BIBLIOTHÈQUE DE LA REVUE D'HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE

FASC. 12

Statuta Capitulorum Generalium Ordinis Cisterciensis

AB ANNO 1116 AD ANNUM 1786

Quae ex libris praesertim manu scriptis collegit, recognovit, annotatione critica enodationibusque instruxit et

EDIDIT

D. Josephus-Mia CANIVEZ

ORD. CIST. REF.

TOMUS IV

AB ANNO 1401 AD ANNUM 1456

1401 – 1456



LOUVAIN

BUREAUX DE LA REVUE

40, RUE DE NAMUR, 40

1936

INTRODUCTIO

Huiusce quarti tomi textuum ineditorum momentum et utilitas, non minus quam tomorum praecedentium, apud historiographos magni habebuntur. In hac enim periodo (1401-1456), cisterciensis ordo graviter concutitur : plurima monasteria vel « propter guerrarum voraginosos impetus » plane destruuntur, vel « propter importabilia guerrarum onera » ad inopiam rediguntur, ita ut unio plurium abbatiarum ab auctoritate competenti decerni debeat [1].

Durante magno schismate Occidentis (1378-1417), a capitulo generali, quod apud Cistercium quotannis celebrebatur, accepti fuerunt illi pontifices quos Gallia successive recognovit : Benedictus XIII (Petrus de Luna), a quo recessit Carolus VI, rex Francorum, et ad quem deinde iterum rediit ; Alexander V, Ioannes XXIII, tandem Martinus V, sub quo tota et unita laetata est Ecclesia [2].

Interim plura habita sunt concilia, ad quae cisterciense capitulum suos misit delegatos, onerosis contributionibus monasteriis omnibus impositis [3]. Aliunde vero quaedam privilegia, Summorum Pontificum munificentia olim concessa cisterciensibus, a plurimis episcopis et aliis personis [4], tunc impugnabantur, et hae causae ac simultates discussae sunt aliquando in ipsis conciliis, quae saepius ista privilegia approbaverunt et confirmaverunt.

Ante autem omnia sub textibus istis tota historia authentica ordinis cisterciensis latet. Sic, verbi gratia, in hisce annis videmus

---

1) Cf. p. 36, 65, 109, 114, 118, 125, 126, 128, 129, 139, 141, 156, 186, 192, 199, 282, 284, 312, 314, 327, 334, 339, 347, 360, 474, 525, 544, 552, 572, 573, 635, 656, 665, 684, 690, 698, 701.

2) Cf. nomen pontificis citatum in principio orationum imperatarum unoquoque anno ; ann. 1408 stat. 16 ; ann. 1409, stat. 47, 50.

3) Cf. p. 99, 112, 123, 159, 210, 213, 238, 252, 257, 269, 274, 290, 344, 357, 373, 393, 417, 484, 653, 657.

4) Cf. p. 34, 87, 159, 186, 310, 550, 565, 603, 604, 912, 618, 693, 698.

originem *Observantiae regularis in Hispania*, cuius auctor, Martinus Vargas, tamquam schismaticus et conspirator, ordinis destructor et novitatum inventor, a capitulo generali excommunicatus fuit et aggravatus [5]. Haec enim suprema auctoritas cisterciensis sibi reservabat ius *reformatores* nominandi et creandi, ad supplendam patrum abbatum negligentiam [6]. Revera notabiles erant tunc abusus, ut vitium proprietatis [7], novitates et qualitates exquisitae in vestibus [8], clausura neglecta et egressus illiciti monachorum et monialium [9], leges de abstinentia et ieiunio quasi in oblivionem missae [10], camerarum particularium usus in locum communis dormitorii [11], competitiones denique ad abbatiatum [12], et alia huiusmodi.

Miranda sane capituli generalis perseverantia in studiis theologicis iuniorum monachorum promovendis : sub poena excommunicationis saepe intimatum fuit praeceptum de mittendis Parisiis, apud Sanctum Bernardum, scolaribus ex diversis abbatiis ordinis universi [13] ; imo prohibitum fuit quibusdam abbatibus ne revocarent suos scolares nisi post adeptum doctoratum [14]. Electi abbates ipsi, antequam administrationem monasterii susciperent, in collegio Sancti Bernardi aliquando commorati sunt, ut, studiis feliciter peractis, gradus academicos adipisci mererentur [15].

Lata fuit tandem a capitulo generali lex de nuntianda eidem

---

5) Cf. p. 450, 455, 489, 490, 582.

6) Cf. p. 38, 54, 56, 67, 74, 75, 86, 95, 108, 116, 120, 142, 157, 164, 171, 190, 195, 196, 200, 205, 209, 213, 215, 225, 237, 243, 244, 245, 256, 260, 275, 282, 288, 290, 305. 309, 313, 320, 322, 324, 330, 341, 349, 350, 368, 404, 428, 468, 488, 535, 563, 572, 573, 574, 575, 583, 603, 628, 629, 637, 638, 640, 651, 662, 666, 676, 678, 699, 701.

7) Cf. p. 20, 25, 83, 163, 170, 179, 233, 306, 331, 337, 374, 388, 432, 440, 547, 604.

8) Cf. p. 340, 342, 352, 362, 381, 395, 432, 466, 544.

9) Cf. p. 34, 112, 200, 249, 250, 312, 323, 327, 363, 364, 376, 440, 490, 609, 617, 661.

10) Cf. p. 222, 336, 380, 430, 473, 487, 547, 607, 620, 626.

11) Cf. p. 337, 547, 620.

12) Cf. p. 207, 246, 252, 406, 562, 566, 581, 623, 641, 645, 646, 677, 688, 691.

13) Cf. p. 6, 11, 32, 50, 60, 70, 83, 84, 85, 141, (143, 169, 188), 157, 158, 162, 229, 239, 241, 267, 280, 286, 287, 306, 308, 317, 340, 346, 351, 357, 364, 377, 386, 396, 398, 402, 405, 409, 437, 465, 477, 480, 482, 510, 520, 533, 535, 539, 554, 557, 562, 578, etc.

14) Cf. p. 287, 306, 357, 364, 377, 378, 386, 396, 535, 537, 554, 557, 684.

15) Cf. p. 690.

capitulo, confirmationis reportandae causa, electione uniuscuiusque abbatis. Documenta autem authentica [16] confirmationum multum conferunt ad emendandas et complendas series abbatem quae leguntur sive in GALLIA CHRISTIANA, sive in aliis huiusmodi operibus.

* * *

In statutorum clausulis frequenter adductis, quae brevitatis causa coarctavimus litteris « *etc.* » italicis sunt notata ; verum, si apud ipsum codicem coarctatio reperitur, vocabulum « etc. » litteris consuetis imprimitur.

Insuper notatu dignum quod in fontibus nostris mss. indifferenter legitur « abbatatus » vel « abbatiatus » ; sed hac ultima forma semper usi sumus in nostra praesenti editione.

16) Cf. *tituli* : ELECTIONUM CONFIRMATIONES.

SERIES FONTIUM MSS CUM SUIS SIGLIS.

Hic illos tantum recensemus codices qui ad praesentem tomum contexendum aliquid contulerunt ; cf. t. I, p. XVII-XXIII ubi uberior habetur enumeratio et annotatio.

CODEX ABBATISVILLAE

A4 Ms. 31 (XVIII° s.) passim quaedam continet statuta, annorum 1403, 1404, 1405, 1450.

CODICES MONACENSES

Clm Codex latinus Monacensis 2889 (XV° s.) praebet novem statuta anni 1448.

R1 Apud bibliopolam L. Rosenthal, catal. CVI, ms. 5316 statuta refert ann. 1432, 1433, 1437.

CODEX INSULENSIS

J Saeculo XV° exaratus in abbatia cist. de Laude prope Insulas, nunc in publico istius civitatis Archivo signatus 27 H n° 70 ; refert statuta annorum 1401-1405.

CODICES LUCERNENSES

Ex octo codicibus (XVIII° s.) qui hodie in Archivo Status Lucernae asservantur sub n° 544.

L1 tomus I nobis praebet statuta ann. 1401-1405 ;
L3 tomus II statuta ann. 1406-1446 *(collectio plenissima)* ;
L4 tomus III statuta ann. 1449-1456 *(collectio plenissima)*.

CODICES PARISINI

P2 Ms. 782 bibliothecae dictae de l'Arsenal, cuius transcriptor, (XVII° s.), saepe in forma abbreviata, refert selecta statuta ex duodecim registris authenticis ann. 1387-1557.

Ms. 783 eiusdem bibliothecae inter alia continet aliquod statutum anni 1419. **P3**

CODEX DUSSELDORFIENSIS

Ms. C 32 et 34 bibliothecae publicae dictae civitatis pauca statuta annorum 1406, 1416, 1426, 1429, 1431 continet. **U**

COLLECTIONES EDITAE.

Thesaurus Anecdotorum a domno Edm. Martène, t. IV, Parisiis, 1715, col. 1538 sq. **M**

F. Winter, *Die Cistercienser des nordöstlichen Deutschlands*, Gotha, 1868-1871, t. III, p. 330 sq. **W**

1401

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo primo statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro romanae Ecclesiae statu, quem Dominus omnipotens felicem concedat, pro domino cardinali Saluciarum Ordinis nostri benevolo protectore, et aliis dominis cardinalibus, pro dominis primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, abbatissis, et pro religiosis omnibus quorumcumque Ordinum, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine, in singulis monasteriis Ordinis universi.

2. Pro serenissimo domino nostro domino Carolo rege Francorum et domina regina consorte sua, pro dominis ducibus et ducissis Aurelianensibus, Bituricensibus, Burgundiae et Borbonii, et omnium praedictorum dominorum liberis et nobili prole et pro toto nobili sanguine Franciae, et generaliter pro omnibus regibus et reginis, ducibus et ducissis, comitibus et comitissis, baronibus et baronissis, ac omnibus aliis nobilibus et dominis fidelibus, in pace et unitate sanctae matris Ecclesiae existentibus, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, alia de Sancta Cruce et tertia de Beata Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

3. Pro burgensibus, mercatoribus, laboratoribus et maxime benefactoribus Ordinis universi, ac universo populo christiano in pace et unitate sanctae matris Ecclesiae constituto, dicatur una missa de Spiritu Sancto in singulis monasteriis Ordinis universi.

1401. *Fontes* : *J* : 1-8 *in forma abbrev.*, 9-72 ; *L*[1] : 1-72 ; *M* : 26, 27, 49, 50 ; *P*[2] : 1 *in forma abbrev.*, 26, 27, 49, 50, 72 ; *W* : 27. [a] *Titulus apud JL*[1].

4. Pro pace et unitate sanctae matris Ecclesiae dicantur tres missae de *Pace* in singulis domibus Ordinis universi.

5. Pro felicis et inclitae recordationis dominis quondam nostris dominis Philippo, Ioanne et Carolo regibus Francorum, et reginis eorum consortibus ultimo defunctis, pro dominis ducibus et ducissis Burgundiae ultimo defunctis ac praedecessoribus eorum, et pro omnibus et singulis baronibus et baronissis et aliis nobilibus defunctis, pro religiosis omnibus et maxime professis Ordinis nostri, et pro omnibus benefactoribus nostris, et aliis fidelibus defunctis, dicantur tres missae de *Requiem* in singulis domibus Ordinis universi.

DIFFINITIONES

6. Abbates Ordinis universi, qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, et secundum Ordinis nostri statuta venire tenebantur, non habentes in, et super hoc legitimum impedimentum seu remanendi licentiam specialem, et illos etiam abbates omnes qui legitimum impedimentum seu licentiam habere se praetendebant, qui de ipsis impedimentis seu licentia in ipso Capitulo per suos procuratores seu excusatores probos et idoneos viros habentes specialia mandata praestandi iuramenta in animas ipsorum mittentium causas absentiae et impedimenta huiusmodi vera esse, secundum statuta papalia, sicut tenebantur, fidem de hiis debitam dicto generali Capitulo non fecerunt, generale Capitulum habet et reputat contumaces, ac decernit, declarat et iudicat ipsos incurrisse poenam dupli eius quod expensuri erant ad idem Capitulum veniendo ac redeundo ab illo, et eos teneri ad exhibendum et solvendum illud duplum in sequenti Capitulo generali ad utilitatem ipsius Capituli convertendum secundum papalia instituta. Ipsis igitur abbatibus Ordinis universi et, sicut praemittitur, in, et super hoc contumacibus et culpabilibus, qui dictam poenam dupli incurrerunt, dictum generale Capitulum mandat, praecipit et iniungit, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis sententiae poena, quatinus dictum duplum realiter, efficaciter et complete in Cistercio solvant deputatis receptoribus contributionum in sequenti Capitulo generali, ubi tunc personaliter se praesentent, vel se excusent secundum papalia instituta. Quatuor etiam primis abbatibus cuilibet in generatione sua datur potestas plenaria

exigendi, levandi et recipiendi dictum duplum modo quo poterunt fortiori. Solos autem et dumtaxat abbates infra scriptos de Valcellis, de Igniaco, de Charmeya, de Ursicampo, de Signiaco, de Valle regis, de Fusniaco, de Caricampo, de Claromarisco, de Valle clara, de Elancio, de Callovio, de Prulliaco, de Cassania, de Alta cumba, de Sancto Sulpicio, de Alta ripa, de Thela, de Alto cristo, de Loco crescenti, de Balerna, de Vallibus Sarnai, de Regali monte, de Bono monte, de Alpibus, de Insula Dei, de Ponte Oltrani, de Caherio, de Buzeyo, de Laude, de Campania, de Valle Beatae Mariae, de Strata, de Bullencuria, de Caroloco, de Castellariis, de Escureyo, de Vallibus in Ornesio, de Oratorio, de Veteri villa, de Briostello, de Valloliis, de Capella Thosan, de Chalocheyo, dé Valentia Pictaviensi, de Trisagio, de Misericordia Dei, de Gratia Dei, de Ré, de Morollia, de Pinu, de Brolio, de Bona valle Pictaviensi, de Domo Dei super Caron, de Mortuo mari, et de Septem Fontibus, habet favorabiliter excusatos.

7. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter, *etc. ut in anno* 1390, n° 7, *sed contributio imposita est sex millium florenorum et receptores sunt tantum prior et cellerarius Cistercii, cellerarius collegii Sancti Bernardi parisiensis ; in fine adduntur insuper sequentia :* Vult etiam dictum Capitulum et dans receptoribus contributionum et eorum cuilibet in solidum committendo districte praecipiens iniungit, quatinus universos et singulos Ordinis abbates, priores, cellerarios, et bursarios monasteriorum totius Ordinis nostri cogant et compellant per censuram Ordinis et aggravationem et publicationem et denuntiationem poenarum contra praedictos non solventes contributiones Ordinis inflictarum et per omnem aliam rationis et iustitiae viam possibilem in Ordinis et Capituli potestate ad solvendum quotas contributionum tam antiquarum quam novarum ipsos et sua monasteria contingentes et per eos debitas, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

8. Ad requestam reverendi patris domini abbatis et conventus monasterii Cistercii Cabilonensis dioecesis, generale Capitulum committit districtius iniungendo dominis abbatibus monasteriorum Firmitatis, dioecesis Cabilonensis, Pontigniaci Antissiodorensis, Claraevallis Lingonensis, Prulliaci Senonensis, de Fonteneto et de Buxeria Aeduensis, et de Gardo dioecesis Ambianensis, et eorum cuilibet in solidum *etc. ut in anno* 1390, *n°* 19.

9. Cum anno Domini 1396 per nostri Cisterciensi Ordinis generale Capitulum facta fuerit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur formaliter in hunc modum : Abusum horribilem et hactenus inauditum, qui, heu, felicibus et sanctis primis temporibus et antiquorum patrum abbatum Ordinis, dum in sui primordio tam odorifice florebat ubique et diutine floruit ac viguit et adhuc viget per Domini nostri Dei gratiam in locis et terris quampluribus Ordo noster, quasi nullatenus poterat suspicari vel etiam cogitari, nec nunc facile crederetur, nisi, sicut dici solet, lapides crebrius iam clamassent quorumdam iniquorum miserorum et indevotorum abbatum Ordinis nostri qui divini nedum amoris sed et timoris et honoris sui ordinis, imo totius religionis ac ecclesiasticae disciplinae penitus immemores, ut videtur, ac etiam plenarie prodigi famae suae in suorum monasteriorum spirituale et temporale gravissimum detrimentum, exempli perniciem et scandalum populorum, pennas, ut sanctus Iob de talibus loquens ait, habentes strutionis similes pennis herodii et accipitris, quam Deus sic sapientia privavit, intelligentiam non conferens, quod nullo timore contingente ova [b] sua derelinquunt in terra, quod pes ea conculcet aut agri bestia conterat obliviscens et duratur ad filios suos quasi non sint sui, dignitates habentes et earumdem fructus colligentes ac gloriantes honoribus, officia incumbentia eis et debita non implent, quos increpando propheta sanctus vituperat ita dicens : O pastor et idolum derelinquens gregem a suis monasteriis et conventibus contra iuris regulas et praecepta ac Ordinis nostri salubria statuta, contraque sanctam regulam sancti Benedicti suaeque professionis regularis formam extra sua monasteria in grangiis cum bubulcis et stabulcis, vel in bonis et aliis villis inter gentes commixti, ut eorum opera discant, et eorum sculptilibus serviant, quasi continue residendo cum aliquibus monachis eis faventibus se sequestrant et extraneant inhumaniter et perverse. Praedictis igitur tot et tantis malis obviare pro viribus cupiens Capitulum generale, abbatibus omnibus et singulis Ordinis nostri totius inferioribus post quatuor abbates, quibus primis abbatibus in hoc deferri satis potest et sperari quod in hiis non delinquant, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, cuius absolutionem sibi reservat dictum Capi-

[b] onera : L^1.

tulum praeterquam in mortis articulo, tenore praesentis statuti firmiter inhibet quantum potest dictum Capitulum generale, ne ipsi abbates quovis colore quaesito de cetero ullo unquam tempore quibuscumque locis extra sua monasteria absque suis conventibus cum ipsis tunc existentibus, absque urgenti necessitate vel magna et evidenti utilitate communi suorum monasteriorum, et tunc in hoc casu fiat illud de licentia suorum patrum abbatum, ac simul cum hoc de conventuum suorum aut maioris et sanioris partis eorumdem sano et unanimi consilio et assensu continue commorentur, resideant vel existant. Et quoniam abbas Caduini, prout ad Capituli generalis notitiam fide dignis relatibus est deductum, huiusmodi sanctum et salubre statutum transgreditur, parvipendit et comtemnit in proprii monasterii spirituale temporaleque detrimentum, quod ulterius generale Capitulum dissimulare non valens, dictum abbatem de Caduino sub dictis poenis in praemissa diffinitione contentis hortatur et monet districtius, quatinus infra quindecim dierum spatium a die notificationis praesentium computandorum, quorum dierum quinque pro primo, quinque pro secundo, et relinquos quinque pro tertio et peremptorio termino dictum Capitulum eidem assignat et praefigit in dicto suo monasterio continuam moram trahat. Citans nihilominus dictum Capitulum praefatum abbatem Caduini peremptorie et praecise, et hoc sub poena depositionis ab abbatiali dignitate coram reverendo patre domino abbate Cistercii reformatore generali totius Ordinis ad diem penultimum duorum mensium intimationem [c] sibi factam immediate sequentium, videlicet in monasterio Cistercii docturum de et super diligentia et obedientia quae fecerit in praemissis, aut responsurum super hiis quae per dictum dominum Cistercii ex officio opponentur et obiicientur eidem, cum intimatione quod sive comparuerit sive non, contra ipsum procedetur prout fuerit rationis.

10. Cum vir magnificus atque spectabilis dominus Raynaudus de Tiye admiraldus Franciae, motus sincerae devotionis affectu, dederit seu dare intendat et proponat Deo, Beatae Virgini et monasterio monialium de Gomerifonte pro animae suae et progenitorum suorum animabus remedio totam terram suam, manerium, redditus, proventus, viridaria, prata, silvas, agriculturas, quae et quas dictus dominus admiraldus habet et percipit in

---

[c] intimationem... in monasterio: *desunt apud* L^1.

loco de Flocourt et de Molencourt prope dictum monasterium Gomerifontis, iam admortuatos de facto, una cum quingentis francis auri in reparationem dicti manerii et emendis redditibus convertendos, videlicet pro una missa quotidiana in ecclesia dicti monasterii in altari sancti Eustachii, una cum quinque anniversariis defunctorum solemnibus alta voce anno quolibet perpetuo celebrandis. De Belloprato et de Voto monasteriorum abbatibus, sacrae theologiae professoribus, generale Capitulum in omnimoda eiusdem Capituli potestate committit, quatinus ad dictum monasterium accedentes personaliter tractatum huiusmodi inter dictas partes prolocutum et initum, matura deliberatione praehabita, et prout ratio dictaverit, quod ad Dei honorem, divini cultus augmentum et relevationem dicti monasterii, ad praefati domini beneplacitum expedire viderint, absque relatione fienda Capitulo, studeant terminare, et consimiliter in omnibus et per omnia eisdem committitur pro monasterio de Fonte Gerardi, in quo egregius et potens dominus Guillemus de Hanquille unam missam quotidianam fundare et reddituare proponit.

11. Attendens generale Capitulum mutuum librorum communis librariae Parisiensis studii damnosum hactenus quamplurimum extitisse, volensque pro viribus futuris incommodis obviare, universis et singulis dicti studii rectoribus, graduatis, scolaribus et aliis quibuscumque quacumque praeeminentia in ipso studio fungentibus [d] sub excommunicationis latae sententiae poena et emissionis a studio, praecipitur districtius quatinus quoscumque libros penes se retinentes seu aliter mutuatos infra unum mensem in dicta libraria reponere et reportare studeant. Et sub dictis poenis eisdem firmiter inhibetur, ne de cetero librum aliquem, concordantiis exceptis quas magistro regenti et biblicis pro suis lecturis et collationibus conceditur licentia, dum eis necessariae fuerint, retinendi et penes se habendi, alicui personae mutuare, imo nec de libraria extrahere quomodolibet audeant vel praesumant.

12. Exposito generali Capitulo pro parte abbatissae Silvae benedictae quod cum ipsa cum conventu suo, de consensu et voluntate abbatis Mansiadae patris abbatis earum, contulerint et dederint Armandoni de Maseriis officium balialatus,

---

[d] satagentibus : L^1.

per quod praefati monasterii iustitia gubernatur, quod officium postmodum per Capitulum generale credens quod prodesse in eodem deberet eidem extitit confirmatum, cuius confirmationis occasione dictus Armandonus intra monasterium sibi attribuit, appropriat et usurpat non solum indebite sed damnose, committendo multos excessus praetextu officii huiusmodi in grande damnum dicti monasterii redundantes. Quae dissimulare non valens Capitulum generale, tribuit et concedit praefatae abbatissae auctoritatem plenariam ordinandi et disponendi de et super dicto balialatus officio, non obstante confirmatione praedicta quam, ne reddatur monasterio damnosa, dictum Capitulum destruit, revocat penitus et annullat.

13. Querelam Colini Fornerii de Costis suscepit Capitulum in substantia continentem quod, cum propter grata servitia et labores monasterio de Cheminione impensos, in quorum laborum recompensationem abbas et conventus dicti monasterii sibi dudum tradiderant unam domum cum pertinentiis sitam in villa de Cheminione per dictum Colinum perpetuo possidendam; quam nihilominus dicti de Cheminione a modico tempore citra eidem amovere nituntur litteram traditionis dictae domus, asserentes non fuisse confirmatam per Capitulum generale. Volens igitur generale Capitulum dicto conquerenti de remedio providere, abbatibus Trium fontium et Altifontis in potestate plenaria committit et iniungit quatinus auditis hinc inde rationibus, visaque littera traditionis dictae domus, faciant partibus bonum et breve iustitiae complementum, eorumdem conscientias onerans Capitulum memoratum.

14. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii Lyoncelli committit abbatibus de Bonavalle Viennensis dioecesis, et de Valle crescenti, in potestate Capituli plenaria, quatinus si remissio seu diminutio cuiusdam pensionis debitae magnifico viro domino Carolo de Pictavia, super quodam molendino dicto de Charleu, attento onere missarum et aliorum in quodam instrumento inde confecto plenius comprehenso, sit dicto monasterio supportabilis et utilis, dictam diminutionem cum suis conditionibus laudent et ratificent, si dictante ratione aut necessitate monasterii, negotium hoc requirat.

15. Super oblata petitione pro parte sororis Elisabeth de Strate moniali de Saliceto continente quod, non obstante defectu natalium quem patitur, ad obtinendam abbatialem dignitatem,

si contigeret, habilitari valeat et assumi, abbati de Laude in omnimoda potestate generalis Capituli committitur, quatinus in, de et super hoc faciat quod sibi videbitur faciendum.

16. Cum Dominicus Malo Tonclerius a duobus annis citra, ut asserit, emisset ab abbate de Bitania ultimo defuncto certas possessiones pro summa sex francorum cum dimidio persolutorum eidem, quos abbas modernus dicto Dominico nititur impedire in ipsius praeiudicium atque damnum, abbati monasterii Bellaevallis Bisuntinae dioecesis, committit generale Capitulum quatinus dictum abbatem de Bitania compellat et coerceat per censuram Ordinis, si hoc fiendum dictante conscientia viderit, vel ad dictam pecuniam restituendam, vel ad ipsum tenendum in dictis possessionibus pacificum et quietem tam in praedictis quam in aliis quibuscumque, taliter quod dictus Dominicus de dicto abbate non habeat de cetero causam rationabilem conquerendi.

17. Ad petitionem abbatis monasterii Fonteneti Aeduensis dioecesis generale Capitulum committit de Caroliloco et de Belloprato monasteriorum abbatibus, sacrae theologiae professoribus, Silvanectensis et Belvacensis dioecesium, et eorum cuilibet in solidum, quatinus si abbatem de Regalimonte, sacrae theologiae professorem, per legitima documenta repererint seu alter eorum repererit teneri in sexaginta francis ratione mutui, necnon in proprietatibus suis et possessionibus quas promotionis suae tempore possidebat, praedictum de Regalimonte ad satisfaciendum dicto de Fonteneto de praedictis per censuram Ordinis auctoritate dicti Capituli et in eiusdem Capituli plenaria potestate viriliter coerceant et compellant, seu alter eorum coerceat et compellat, invocato ad hoc, si opus fuerit, iudicum ecclesiasticorum auxilio et brachii saecularis.

18. Ad supplicationem Guidonis de Orveto in Vallibus Sancti Eligii nunc morantis in substantia continentem quod, cum abbas et conventus de Bithania certum tractatum cum dicto supplicante inierint et fecerint, sigillisque suis roboraverint, de quo paratus est docere, quod tamen tenere et adimplere recusant, domino Morimundi sacrae theologiae professori committit generale Capitulum quatinus viso contractu praedicto et auditis partium rationibus faciat quod erit, dictante iustitia atque conscientia, faciendum.

19. Informatum ad plenum generale Capitulum de et super

quodam censu annuo sexdecim solidorum octo denariorum, collegio Sancti Bernardi Parisiensis annis per reverendum patrem dominum Stephanum de Genreydo debitorum, super quadam pecia terrae sitae in vico Binriae, de quo censu dicti collegii scolares nihil penitus receperunt, timens generale Capitulum coniecturis verisimilibus, ne dictus redditus processu temporis simpliciter reddatur inutilis et ad nihilum reducatur, dat, tribuit et concedit licentiam permutandi seu vendendi dictum redditum seu censum, provido quod pretium seu pecunia inde habenda in emptionem aliorum reddituum vel censuum seu aliud in studii commodum aequivalens convertatur.

20. Cum anno praeterito per Capitulum generale discussum fuerit et deliberatum abbatem monasterii Fonteneti, s. th. pr. et eius conventum teneri et rationabiliter obligari Nicolao Clarambaut de Divione et Guilletae eius matri in summa 31 francorum, 7 grossorum et 11 denariorum, ad cuius summae solutionem fuerat dicto de Fonteneto unius anni terminus assignatus, quod minime adimplere seu persolvere curavit. Quocirca instante parte, memorato abbati de Fonteneto et monasterii conventui per Capitulum generale praecipitur sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra quindecim dies ab intimatione praesentium computandos, dictis Nicolao et Guilletae aut eorum certo mandato satisfacere laborent, aut alias cum eis amicabiliter concordare. Alioquin lapsis quindecim diebus huiusmodi generale Capitulum ex certa scientia dictam excommunicationis sententiam ex nunc prout ex tunc in abbatem et singulares conventus sui personas profert, promulgat ac pronuntiat in hiis scriptis.

21. Ad supplicationem sororis Ioannae de Ganesio, monialis monasterii de Goion, dispensat Capitulum generale cum eadem, quatinus non obstante defectu natalium quem patitur, ad omnes actus legitimos Ordinis, abbatiali dumtaxat seclusa, concurrente abbatissae et conventus proprii monasterii consensu, suis exigentibus meritis, promoveri valeat, dum aliud canonicum non obsistat.

22. Cum prout per relationem et processum factum per abbates monasteriorum de Curia Dei, licentiatum in decretis, et de Pratea, commissarios generalis Capituli in Burdegalensi provincia, clare satis apparet frater Ioannes de Marzeto monasterii Boniloci, Lemovicensis dioecesis, asserens abbatem quamplures

excessus enormes non modica punitione purgandos commiserit, de et super quibus fuit et est sufficienter convictus, et de ipsis apud bonos et graves in partibus ipsi monasterio vicinis et alibi multipliciter multisque modis mirabiliter et miserabiliter diffamatus, utpote de et super tabernarum cum meretricibus frequentatione, cum excommunicatis in convictu participatione, incontinentia, apostasia, irregularitate, bonorum spiritualium et temporalium quantum in se est exterminio et dilapidatione, absque administratione, statutorum Capituli generalis et Ordinis, et praecipue sacrae regulae monachorum contemptu et transgressione, et generaliter prout ex factis eius colligitur, nec Deum timet, nec hominem reveretur ; quos excessus nolens nec valens sub longioris dissimulationis umbraculo sana conscientia praeterire, cum talibus portae patere non debeant dignitatum, suadente iustitia contra ipsum depositionis sententiam, suis exigentibus demeritis, proferre et promulgare duximus in hunc modum. — In nomine Domini, Amen. Nos, frater Iacobus, abbas Cistercii, Cabilonensis dioecesis, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, fratrem Ioannem de Marzeto pro abbate monasterii Boniloci nostri Ordinis, Lemovicensis dioecesis, se gerentem, licet absentem, citatum tamen peremptorie et personaliter ad secundam diem praesentis Capituli, de et super peractis criminibus et aliis, seu maiori parte ipsorum evidentissimis culpabilem, ab officio, administratione et dignitate abbatiali dicti monasterii Boniloci, Deum habentes prae oculis, in hiis perpetuo deponimus et privamus, declarantes ex nunc praefatum Boniloci monasterium esse vacans ac carere pastoris solatio et abbatis. Mandantes ac tenore praesentium committentes praefatis de Curia Dei et de Pratea monasteriorum abbatibus, quatinus ad praefatum de Bonoloco monasterium vacans, ut praefertur, personaliter se transferant, ibidemque nostram praesentem sententiam debitae executioni demandent, dictoque vacanti monasterio per electionem canonicam seu provisionem de persona idonea provideant auctoritate Capituli generalis, invocato ad praemissa et singula, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, ac servatis canonicis et nostri Ordinis regularibus institutis, cum pater abbas eiusdem ad exsequenda praemissa minus sufficiens Capitulo videatur.

23. Dolenter et molestissime ferens generale Capitulum nonnullorum nostri Ordinis abbatum de Vasconiae et linguae occi-

tanae partibus duritiam et exaecationem mentis, qui licet bonis satis per Dei gratiam et opulentis monasteriis praesideant, divino tamen timore pariter et amore damnabiliter reiecto, Dei viventis horrendum iudicium non timentes, poenas et sententias excommunicationis et suspensionis contra non mittentes scolares in Parisiensi studio, quod viros virtuosos et famosos in Ordine et specialiter in illis partibus produxit hactenus et producit, sustinentes animis nequiter nimium induratis irregularitatem etiam, cum iam mala sapientes de fide non vereantur tot et tantis sententiarum innodati laqueis se diutius temeritate damnabili immiscere in divinae Maiestatis offensam, et propriae salutis miserabile detrimentum. Et licet ipsum Capitulum per diffinitiones super hoc editas sufficienter providisse et rationabiliter credidisset, nihilominus crescente semper contumacia et obstinatione eorumdem, generale Capitulum statuit et ordinat executores in et super praemissis et aliis quibuscumque factum tum Parisius quam Tolosae studentium concernentibus, Gimontis et Berdonarum monasteriorum abbates et eorum quemlibet praecipiens eis et eorum cuilibet in solidum firmiter et iniungens in suorum remissionem peccaminum, quatinus diffinitiones Capituli aliis annis editas factum scolarium tangentes omnibus et singulis quos tangunt, notificent et publicent, omnesque et singulos abbates quos ad mittendum Parisius scolares repererint rationabiliter teneri, et non miserunt, et praesertim de Grandisilva, de Bolbona, de Bonofonte, de Bonacumba, de Bellapertica, de Campis bonis, Mansiadae, de Bonavalle Ruthenensi, et de Valle magna excommunicatos, prout sunt palam et publice in monasteriis propriis, parochiis, villis et conventibus vicinis denuntient, et denuntiari faciant quamdiu extiterint sic legati. Compellendo nihilominus praedictos abbates, priores, etiam cellerarios et bursarios ac reddituum monasteriorum receptores, per excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias ad observationem papalium quoad factum scolarium et Ordinis statutorum, invocatoque ad praemissa et singula iudicum ecclesiasticorum auxilio et brachii saecularis, ut secundum quantitatem culpae praetendatur severitas disciplinae, et ut sic rubore confusi ad reconciliationis gratiam reducantur. Et est intentionis Capituli quod omnia et singula ad expensas abbatum et monasteriorum quos praesens tangit negotium, integraliter compleantur.

24. Pro parte abbatissae de Gomerifonte ad generalis Capituli notitiam est deductum quod cum dudum quidam miles bonae memoriae dominus quondam de Calidomonte en Veulguerin decem libras annui redditus dicto monasterio donaverit, de et super quo redditu a 50 annis citra nihil penitus receperunt, cum terra ad manus regias translata sit, propter quod nullum potuerunt nec processu temporis sperant remedium reperire, nam licet dicta abbatissa per dominum admiraldum Franciae saepius supplicari fecit, quatinus de dicto redditu solverentur, nullum responsum aliud reportaverunt nisi quod pro principali et arreragiis dicti redditus ducenti franci pro uno semel eisdem, si voluerint, persolventur. Quod facere non praesumunt, licentia a Capitulo non obtenta. Cupiens igitur generale Capitulum indemnitati dicti monasterii providere, de Belloprato et de Voto monasteriorum abbatibus, s. th. pr. Capitulum generale committit, quatinus si praemissa sic se habeant, ut praefertur, et utilius remedium reperiri non valeat, licentiam recipiendi dictos ducentos francos, quittandique memoratum redditum, auctoritatem Capituli tribuant et impertiantur, eisdem providendo quod pecunia huiusmodi pro emendis redditibus in aliquo loco tuto in deposito reservetur, nec in usus alios convertatur.

25. Exposito generali Capitulo pro parte abbatis et conventus monasterii Rigniaci, quod orta dudum lite inter ipsos ex una et habitatores villae de Guientone ex altera, super annuo redditu octo modiorum vini absque vasis, quem dicti abbas et conventus super dictam communitatem percipere consueverunt, tandem tractantibus viris prudentibus dicta controversia terminata extitit in hunc modum, videlicet quod habitatores praedicti de conventione remanebunt quitti et liberi a solutione praedictorum octo modiorum vini, et hoc pro summa quadringentorum scutorum auri, dictis abbati et conventui pro semel solvendorum, quod absque consensu et beneplacito generalis Capituli facere non praesumunt. Volens igitur generale Capitulum dictis exponentibus de remedio providere, domino Pontigniaci, s. th. pr. et abbati Vallislucentis in potestate plenaria committit idem Capitulum, quatinus de et super praemissis se informent cum diligentia, et utrum dicta venditio sit necessaria vel utilis, et secundum hoc tribuant eisdem licentiam, si dictante conscientia et commodo monasterii suadente hoc viderint expedire,

proviso quod suscipienda inde pecunia in emptionem reddituum et non in usus alios convertatur.

26. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum aliorumque locorum conventualium utriusque sexus et omnium et singularum personarum ubicumque consistentium et ubicumque contigerit eas commorari vel esse nostri Cisterciensis Ordinis in partibus Pictaviae, Britanniae et Andegaviae, in quibus prout ad generalis Capituli pervenit audientiam, sunt plurima reformanda, domino Pontigniaci, s. th. pr. per se vel alium seu alios abbatem vel abbates sufficientem et idoneum aut sufficientes et idoneos ab eo deputandum seu deputandos, ipsum Capitulum generale committit per continuum triennium in ipsorum Capituli et Ordinis quantum potest plenaria potestate, absque patrum abbatum nihilominus praeiudicio, eidem iniungendo quatinus ad ipsa monasteria et loca conventualia vel alia per se vel alium seu alios idoneos et discretos abbatem vel abbates et non alios accedat, et ibidem corrigat, statuat, instituat et destituat, visitet et reformet tam in spiritualibus quam in temporalibus, tam in capitibus quam in membris quaecumque in eisdem instituenda, corrigenda, visitanda et reformanda viderint secundum Deum, nostri Ordinis et papalia instituta, abbates vel abbatissas aut locis conventualibus praesidentes vel alia loca regentes, si sua demerita hoc requirant, destituat et deponat, monasteriis viduatis pastoribus per electionem aut alias, salvis Ordinis institutis et papalibus, providendo, invocato, si necesse fuerit, ad praemissa, auxilio brachii saecularis. De contributionibus autem Ordinis eisdem conceditur potestas et auctoritas ipsas requirendi, exigendi, levandi et recipiendi et mittendi nihilominus domino Cistercii, a quibuscumque personis debitas, compellendi non solventes per censuram Ordinis, dandi quittantias de receptis, et alias faciendi quae in talibus rationabiliter requiruntur. Compellendi abbates ad mittendos scolares Parisius vel ad alia Ordinis studia generalia cum bursis a statutis papalibus et Ordinis deputatis, sub poenis et sententiis in dictis statutis irremissibiliter deliquentibus infligendis. Et hoc faciat ad monasteriorum per ipsum visitandorum seu reformandorum expensas, quas eidem solvant integraliter sine mora, et ad hoc compelli valeant per ipsum viriliter et districte. Universis igitur et singulis personis Ordinis nostri, sub suae salutis incommodo ac excommunicationis sententiae poena, huius commissionis

tenore dat idem Capitulum firmiter in mandatis quatinus in omnibus et singulis supradictis ac ea tangentibus praefato domino Pontigniaci vel alteri, ut praefertur, idoneo abbati per ipsum deputando commissario, dicti Capituli devotae praebeant obedientiae complementum eidem impendendo consilium, auxilium et favorem.

27. Similiter conceditur domino Morimundi per triennium in sua generatione.

28. Si domino Pontigniaci, s. th. pr. reformatori a generali Capitulo deputato in partibus Andegaviae, Britanniae et Pictaviae per se vel alium abbatem idoneum, aut alteri per ipsum deputando constiterit abbatem de Melerayo dudum monachum de Villanova, dum assumptus extitit ad regimen dicti monasterii de Melerayo nonnulla bona mobilia quae de iure ipso monasterio de Villanova pertinebant, secum deportasse, ad restitutionem dictorum bonorum coerceant auctoritate generalis Capituli et per ipsius Ordinis censuram et alia iuris remedia compellat parti cuilibet iustitiam impendendo.

29. Causam et materiam discordiae motam seu movendam inter abbatem de Ursicampo ex una parte et abbatem de Frigidomonte ex altera, et eorumdem locorum conventus super quodam annuo et perpetuo redditu centum et decem solidorum, quem Frigidimontenses monasterio Ursicampi hactenus vendiderant, quam summam abbas modernus Frigidimontis abbati Ursicampi solvere recusavit et recusat, in conquerentis praeiudicium et gravamen, domino Clarevallis, s. th. pr. et abbati Longipontis et eorum cuilibet committit generale Capitulum pace vel iudicio, auditis partium rationibus et allegationibus terminandam, et compellendum reum ad satisfaciendum de principali, arreragiis et expensis per censuram Ordinis in plenaria Capituli potestate.

30. Misericorditer dispensatur cum fratre Petro de Belloforti monacho de Monte Sanctae Mariae ampliando per generale Capitulum gratiam quam dudum obtinuit a domino nostro Papa super defectum natalium antequam intraret Ordinem, sibi factam, ut hoc non obstante ad omnes actus et gradus Ordinis legitimos admitti valeat etiam abbatiatum.

31. Abbatis de Moris senio et gravitati compatiens generale Capitulum ipsum habet a via Capituli generalis de cetero favorabiliter excusatum. — Ad idem pro abbate de Ursicampo. —

Ad idem pro abbate de Charmeya. — Ad idem pro abbate de Flarano. — Ad idem pro abbate de Caherio.

32. Ut cum suis monachis et conversis in foro conscientiae dispensandi potestatem habeat, et eos absolvendi a quibuscumque sententiis et casibus generali Capitulo reservatis abbati de Longoponte dictum Capitulum tribuit potestatem pro duobus annis. — Similiter domino Morimundi. — Ad idem abbati de Populeto pro suo monasterio et filiabus eius. — Ad idem domino Pontigniaci pro suo monasterio et sua generatione.

33. Cum sorore Ioanna de Pirziel moniali monasterii de Fontenellis, quae diabolica versutia castitatis violavit propositum puerperio subsecuto, misericorditer per generale Capitulum dispensatur, ut hoc non obstante ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos admittatur, citra nihilominus abbatialem dignitatem, dum tamen de beneplacito processerit abbatissae et conventus.

34. Similiter dispensatur cum sororibus de la Coute, Pierreta Galande et Paschasia Galande, monialibus de Pratis iuxta Duacum pro puerperio.

35. Ut coerceant et compellant ad satisfactionem plenariam auctoritate generalis Capituli per ipsius et Ordinis censuram et aliis iuris remediis, omnes et singulas personas sexus utriusque quas per legitima documenta repererint obligatas fore monasterio de Charmeya aut ipsius personis regularibus, de Igniaco et de Longoponte monasteriorum abbatibus ac eorum cuilibet in solidum committitur per dictum generale Capitulum.

36. Domino Pontigniaci, s. th. pr. et abbati Prulliaci ac eorumdem cuilibet in solidum per generale Capitulum committitur ut super eo quod conquestae sunt domino Cistercii abbatissa et conventus de Insulis prope Antissiodorum de abbatissa moderna monasterii de Consolatione, dudum abbatissa dicti monasterii de Insulis quae cum assumpta fuerit nuper et ordinata ad regimen dicti monasterii de Consolatione, multa bona, ut dicitur, prioris monasterii secum tulit indebite, ipsi vel alter ipsorum diligenter inquirant, et si repererint dictam abbatissam de Consolatione in aliquo teneri quoquo modo dicto monasterio de Insulis, viriliter et debite per monitiones, sententias, seu alias per censuram Ordinis ad satisfactionem et restitutionem coerceant, complementum iustitiae partibus impendendo auctoritate Capituli memorati.

37. Quia frater Aegidius Lamy monachus Longipontis super multis insolentiis et criminibus accusatur, abbati de Igniaco adiuncto secum publico notario vel alia persona idonea, si et prout decreverit, per generale Capitulum committitur, quatinus ad dictum monasterium Longipontis accedens personaliter, de vita, moribus et conversatione dicti fratris Aegidii se informet. Quod si repererit ipsum deliquisse, iuxta demeriti causam per carceres vel emissionem ad aliud monasterium, absque reversionis spe aliqua, taliter puniat, quod aliis veniat in terrorem.

38. Domino Cistercii reverenter et abbati de Moris ac eorum cuilibet in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, quas teneri seu fore obligatas repererint domino Claraevallis et suo conventui aut eius personis regularibus in particulari, in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfactionem plenariam per censuram Ordinis et alias vias iuris auctoritate dicti Capituli et in ipsius potestate coerceant et compellant.

39. Si de consensu processerit abbatis et conventus Grandissilvae, dispensatur gratiose per generale Capitulum cum Bernardo Boerii, Thoma de Riperia, Martino Blanchi, Iacobo de Antino, Guillelmo Bruni de Abbatia, et Petro Coti, monachis Grandissilvae, ut non obstante apostasia, quam incurrerunt animi ducti levitate, ad omnes gradus, voces, status et honores Ordinis et legitimos admitti valeant, citra tamen abbatiatum.

40. Quia frater Dominicus Viader, monachus monasterii Sanctarum Crucium, absque licentia et ultra sibi concessum terminum ab abbate, per octo dierum spatium in suo tamen habitu regulari discurrit per saeculum vagabundus, verumtamen de facto peregit iniunctam poenitentiam post delictum, eapropter si de beneplacito abbatis et conventus processerit, ad omnes status, gradus et honores, etiam ad abbatialem dignitatem, restituitur per generale Capitulum de gratia speciali.

41. Abbatis et conventus de Bonacumba Ruthenensis dioecesis petitio continebat quod cum nobilis et potens domina Ioanna Rolande, domina de Landorra, vice-comitissa de Cadartio, suam elegit sepulturam in ecclesia dicti monasterii de Bonacumba, et certos redditus ordinaverit pro capellania ibidem construenda, per generale Capitulum dictae dominae devotio ratificatur et approbatur, de sufficientia abbatis de Gimonte

confidens ipsum Capitulum generale, committit eidem quatinus de praemissis effectualiter se informet, et prout fieri decreverit, faciat auctoritate dicti Capituli et in ipsius plenitudine potestatis.

42. Reformationem monasterii de Barberyo, in quo regulares observantiae, prout ad Capituli generalis audientiam deductum est, pene penitus perierunt, et multa alia reformanda videntur, committit idem Capitulum abbati de Voto, s. th. pr. cum omnimoda ipsius Capituli potestate, et clausulis opportunis rationabiliter introductis.

43. Abbati Bellaevallis et magistris Ioanni Pinceti et Ioanni Belini iurisperitis seu eorum alteri per generale Capitulum committitur, ut ad civitatem Bisuntinam et non alibi evocent abbatem de Lococrescenti, qui tenetur in multis pecuniarum summis, ut dicitur, Richardo Domans canonico ecclesiae Bisuntinae, quas solvere renuit in gravamen et praeiudicium creditoris, et per censuram Ordinis et alias vias iuris ad satisfactionem plenariam dictum abbatem de Lococrescenti coerceant et compellant, faciendo partibus iustitiae complementum.

44. Abbati de Gimonte per Capitulum generale committitur ut si abbatem de Bonacumba repererit teneri abbati de Campis bonis, s. th. pr. in summa 20 florenorum Franciae de resta 50 florenorum dudum per generale Capitulum super contributionibus Ordinis per suum praedecessorem receptis, assignatis praefato abbati de Campis bonis, et per defectum solutionis excommunicatus extitit, dominus Petrus de Landorra tunc abbas de Bonacumba, et sic excommunicatus decedens in loco profano sepultus est, dictum abbatem de Bonacumba superstitem coerceant ad satisfactionem plenariam de praemissis, et taliter inter se conveniant quod nunc sepultus in loco profano ad ecclesiasticam sepulturam reducatur, impenso partibus iustitiae complemento auctoritate ipsius Capituli generalis.

45. Cum dominus Raymundus Raphini olim monachus et abbas Bonaecumbae, in sua translatione ad monasterium de Bonavalle Ruthenensi, secum plurima bona mobilia ipsius monasterii de Bonacumba pertinentia indebite portaverit, ut dicitur, abbati de Gimonte committitur per generale Capitulum ut, veritate comperta de ablatis, praefatum Raymundum coerceat ad satisfaciendum auctoritate ipsius Capituli generalis.

46. Domino Pontigniaci, s. th. pr. committitur per generale

Capitulum, quatinus ad monasterium Rigniaci personaliter accedens inquirat diligenter, si permutatio cuiusdam domunculae in civitate Antissiodorensi sitae dicto monasterio Rigniaci pertinentis ad canonicos Sancti Stephani dictae civitatis, sit eidem monasterio fructuosa, quam si fore perutilem cognoverit, auctoritate Capituli ratificet et confirmet, prout fuerit rationis.

47. Cum fratre Ioanne de Landrea monacho de Caherio, qui per mensem apostatavit, dispensatur per generale Capitulum, ut non obstante apostasia praedicta, dum de consensu processerit abbati et conventus dicti loci, ad omnes actus et honores Ordinis admittatur, secluso abbatiatu.

48. Ut promoveatur ad omnes status et honores Ordinis, seclusa dignitate abbatiali, si de consensu sui proprii abbatis et conventus processerit, frater Hugo Niverven, monachus de Roseriis, dispensatur per generale Capitulum, non obstante apostasia quam incurrit per 12 annos ad saeculum discurrens vagabundus.

49. Annuens generale Capitulum affectuose petitioni abbatis de Berdonis continenti, quatinus per ipsum Capitulum electio de ipso ad dictum monasterium de Berdonis factam ratificetur et approbetur. De ipsius electi sufficientia et idoneitate luculenter informatum dictum Capitulum, si et in quantum potest dictam electionem et personam electi ratificat, approbat, confirmat et roborat Capitulum memoratum, defectus supplendo, si qui sint in eligendo vel alias, salvis tamen Ordinis et papalibus institutis.

50. Si de beneplacito processerit abbatis et conventus de Insula Dei dispensandum fore cum fratre Ioanne Arnauld suo conmonacho, ut non obstante furto cuniculorum in garenna insulae de Nigro lacu monasterio per ipsum patrato, ad status Ordinis et honores valeat promoveri auctoritate Capituli, dispensatio huiusmodi conceditur abbati de Villanova.

51. Cum nobilis vir dominus Ioannes de Monte Angulari miles permutare et dare velit et intendat cum abbate et conventu Ioyaci 14 arpenta terrae arabilis de franco allodio moventia et contingua terrae dictorum de Ioyaco et sibi utilia, pro et loco octo sextariorum bladi quos annuatim debebat dictus miles super suum molendinum quod vocatur Pichelon, dicto monasterio Ioyaci. Dictam permutationem fieri annuit dictum Capitulum,

dum tamen dictus miles ad admortizandum, si sit opus, deobliget terras arabiles supradictas.

52. Fratri Dominico de Roseto monacho Dulcis vallis, cum quo alias extitit dispensatum per generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam incurrit, citra nihilominus abbatiatum, ad omnes actus Ordinis legitimos promoveatur, concedit idem Capitulum gratiam ampliando quod ad dignitatem abbatialem etiam admittatur, si sua in posterum merita suffragentur, de consensu tamen abbatis et conventus dicti loci.

53. Cum fratre Guidone de Courcellis monacho de Aceyo per fide dignos informatum Capitulum generale de ipsius honesta conversatione, postquam deliquit apostatando in poenitentiae luctu sua fore facta plangens, dispensat gratiose memoratum Capitulum, ut huiusmodi apostasia non obstante ad omnes actus et gradus Ordinis legitimos, etiam abbatialem dignitatem, promoveri valeat et assumi.

54. De litterali sufficientia, morum gravitate, bona conscientia, et honesta conversatione de Bardonis, Grandisilva et Gimonte monasteriorum abbatum confidens generale Capitulum eorum onerans conscientias, dum tamen rationis limites non excedant, eisdem et cuilibet ipsorum in solidum permittit et concedit idem Capitulum, ut de terris multis quas suis excoli non possunt manibus, et aliis prodesse poterunt, si cuilibet tradantur ad censum annuum vel novum feodum seu alio ut poterunt modo meliori et ad suarum commodum ecclesiarum per ipsos praebeantur, et per ipsum generale Capitulum confirmantur, dum tamen de suorum conventuum processerit voluntate.

55. Quia dudum nobilis memoriae domini de Berugia monasterio de Pinu in eleemosinam concesserunt 20 sextaria siliginis annui et perpetui redditus, qui minime potest admortizari, et de novo per gentes regias ordinatum eisdem extitit, quatinus in brevi a suis manibus dictum redditum evellerent, necnon certum redditum frumenti et avenae, quem dicti de Pinu emerant a domino Guillelmo de Torsayo milite pretio centum francorum, qui eisdem minime solvebantur; tandem in unum convenerunt dominus Ioannes de Torsayo miles haeres unicus dicti quondam domini de Berugia et abbas et conventus dicti monasterii de Pinu, quod pro dicto redditu annuo 20 sextariorum siliginis dicto monasterio debito et bado et avena praedictis, pro semel concedet monasterio praefato dictus miles 500 scuta ad coro-


nam in alios redditus emendos, vel alias ut voluerint exponendos, dum tamen a generali Capitulo, ut asserunt, licentiam valeant reportare. Hinc est quod de Castellariis et de Valentia monasteriorum abbatibus committitur, ut veritate comperta de praemissis, inquisitione praehabita et salva bona conscientia ad honorem Dei et animarum salutem faciant super hoc quod fuerit rationis, ratificent etiam et confirment auctoritate Capituli memorati.

56. Abbati de Rupibus committitur ut si quas Ordinis personas utriusque per legitima documenta vel alias teneri et obligatas esse monasterio de Fontemorum repererit, auctoritate Capituli et per ipsius et Ordinis censuram, vel alio iuris remedio coerceat ad satisfaciendum plenarie et complete, et procedat in omnibus prout fuerit rationis.

57. Cum fratre Ioanne de Nantolio monacho de Barbello dispensat generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam incurrit, dum tamen aliud canonicum non obsistat, et de voluntate suorum processerit abbatis et conventus, ad omnes actus, gradus, status et honores, abbatiali dignitate seclusa, promoveri valeat et assumi.

58. Ut inquirant diligenter se informent per litteras et alia documenta de Curia Dei et de Chalocheyo monasteriorum abbates, seu alter ipsorum, si praedecessor abbatis moderni de Bellabrancha per modum mutui ad tempus receperit ab abbate praedecessore immediato abbatis superstitis monasterii de Villanova quoddam privilegium cum plumbo seu conservatorium. Quod si sic repererint ipsi domini commissarii, vel alter eorumdem, modernum abbatem de Bellabrancha coerceant viriliter ad reddendum dictum privilegium dicto de Villanova per omnes modos et vias iuris prout fuerit rationis, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

59. Lis et controversia, quae a longo tempore motae sunt inter monasterium de Quinciaco et ipsius abbatem actorem ex una parte, ac monasterium de Vallelucenti et ipsius loci abbatem reum ex altera, super peculio defuncti domini Ioannis de Alacrimonte, quod secum attulit a monasterio Igniaci dum assumptus fuit ad monasterium praefatum de Vallelucenti, per commissarios generalis Capituli tractata fuit in hunc modum : videlicet quod abbas et conventus praefati monasterii de Vallelucenti persolverent infallibiliter abbati et conventui dicti monasterii



Quinciaci, deductis omnibus utrobique 16 francos aureos duobus tertiis nunc scilicet in isto Capitulo alios 8 francos. Et sic erit pax inter eos reformata.

60. Tractatum [e] habitum inter abbatem et conventum Ioyaci et fratrem Ioannem de Trecis suum conmonachum super concessione cuiusdam suae grangiae sive domus monasterii Montisboldi ad vitam dicti fratris plus tenendi cum stagnis, prout in litteris super hoc confectis, cui praesens diffinitio est annexa, plenius continetur, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

61. Similiter concedit Capitulum fratri Ioanni de Monesia monacho Igniaci pro grangia Campisestuce ad suam vitam dumtaxat possidendam.

62. Fratris Thomae Coude monachi de Ioyaco devotam poenitentiam post delictum admittens in amplexibus pietatis generale Capitulum, ipsum ad omnes actus, gradus, voces et honores Ordinis legitimos, etiam si abbatialem includant dignitatem, possit admitti, non obstante quod aliquamdiu apostataverit, si de sui abbatis et conventus beneplacito processerit voluntatis.

63. Cum fratre Arnaldo Amelii monacho Bonifontis dispensat generale Capitulum ut non obstante poenitentia quam peregit propter lapsum in quem cecidit castitatis violato proposito, ad omnes actus, gradus et honores Ordinis admittatur, abbatiatu secluso, dum tamen suo abbati et conventui videatur expedire.

64. Domino Morimundi, s. th. pr. aut per eum deputato seu deputando committit generale Capitulum, ut si quas Ordinis personas utriusque sexus abbati et conventui monasterii de Crista in generali vel particulari fore obligatas repererint per litteras, idoneos testes seu alia documenta legitima debitores ad solutionem plenariam coerceat, prout rationis extiterit per Ordinis censuram aut iuris aliis viis, iustitia mediante.

65. Abbatis et conventus monasterii Theoloci petitionem admittens generale Capitulum, qua requirit ut aliqua de suis terris, pratis et aliis haereditatibus in finagio de Ates situatis, ipsis et suo monasterio modici valoris existentia, prout dicunt, et quasi penitus infructuosa, permutandi gratiam habeant ab

---

[e] *apud J legitur in margina* : Iniusta concessio contra Concilium.

ipso Capitulo, ad alias haereditates sibi gratiores et in multo utiliores, domino Morimundi, s. th. pr. committit idem Capitulum ut super hiis informatus fideliter absque ulteriori relatione facienda ipsi Capitulo, gratiam et licentiam huiusmodi conferat auctoritate Capituli memorati.

66. Ad petitionem abbatis monasterii de Theoloco, si tamen conventus ad hoc consenserit, inclinans generale Capitulum, cum fratre Guidone de Campania monacho dicti monasterii de Theoloco dispensat misericorditer, ut non obstante apostasia quam incurrit, super qua fuit alias per dominum Cistercii dispensatum, citra nihilominus abbatiatum, ad dictum abbatiatum admitti valeat, gratiam ampliando annuit Capitulum memoratum.

67. Ut de bono proficiat in melius frater Petrus Bellaquercu monachus de Gardo, qui animi ductus lascivia damnabiliter apostatans demeruit ut gravior sibi poenitentia praeberetur, per generale Capitulum nihilominus sibi conceditur, ut hoc non obstante, si tamen suis abbati et conventui videatur expediens, ad omnes gradus et status Ordinis, citra tamen abbatiatum, promoveri valeat et assumi.

68. Si constet per legitima documenta, testes idoneos vel alias, de Veterivilla et de Buzayo seu eorumdem alteri, quascumque Ordinis utriusque sexus personas fore obligatas seu teneri quocumque modo monasterio de Mellereyo, ipsis duobus et cuilibet eorum per generale Capitulum praebetur facultas et auctoritas ad eas compellendum per ipsius Ordinis censuram, iustitia mediante.

69. Pensionem annuam sex francorum aureorum per dominum Cistercii de consensu abbatis de Caduino dudum factam fratri Geraldo de Bonisfontibus quondam abbati dicti monasterii de Caduino, et nunc monacho de Gimonte, modo et forma contentis in litteris sigillo domini Cistercii sigillatis, super hoc confectis, quibus praesens est annexa diffinitio, ratificat, approbat et confirmat generale Capitulum, abbati et conventui dicti monasterii de Caduino praecipiens et iniungens in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, ne in dicta pensione, quae anno quolibet dicto fratri Geraldo persolvatur, obicem praebeant, si dicti Capituli indignationem voluerit evitare.

70. Ut dare valeant ad censum et in emphiteosim perpetuam

abbas et conventus monasterii de Buzayo, nemine discrepante, quasdam terras, vineas et alias possessiones ad dictum monasterium pertinentes, sibi modici valoris existentes, ut asserunt, et pene penitus steriles et incultas, abbati de Villanova committit generale Capitulum, suam conscientiam onerando, quatinus veritate scita de praemissis et prout rationi viderit fore consonum, dictis abbati et conventui praebeat licentiam dandi possessiones supradictas saecularibus ad hoc aptis ad censum et in emphiteosim perpetuam, ut praefertur, et danda etiam sive data confirmet auctoritate Capituli memorati.

71. De Oratorio et de Chalocheyo monasteriorum abbatibus et cuilibet eorum in solidum committitur per generale Capitulum, ut si repererint abbatem de Insula Dei secum aliquid attulisse de monasterio Buzaii, in quo fuit assumptus ad regimen dicti monasterii de Insula Dei, ad restitutionem dictorum bonorum, si sit ita, dictum abbatem de Insula Dei et conventum dicti loci per censuram Ordinis coerceant, iustitia mediante.

72. Reformationem monasterii de Sigilleriis, in quo plurima sunt reformanda tam in capite quam in membris, tam in spiritualibus quam in t:mporalibus, prout ad audientiam pervenit Capituli generalis, domino Pontigniaci, s. th. pr. committit generale Capitulum in ipsius Capituli quantum potest plenaria potestate, specialiter eidem iniungendo quatinus ad dictum monasterium personaliter accedens ibidem visitet et reformet, corrigat, statuat, institutat et destituat, tam in spiritualibus quam in temporalibus, quaecumque secundum Deum ibidem viderit visitanda, reformanda, statuenda et ordinanda, tam in capite quam in membris. Et quia prout ad dicti Capituli pervenit audientiam, quaedam lites et iurgia inter abbatem et nonnullos de suo conventu sunt exorta, vult et ordinat idem Capitulum praefato domino Pontigniaci suam conscientiam onerando, quatinus informatione diligenti praehabita super causis iurgiorum praedictorum delinquentes severitate condigna puniat, per depositionem vel alias, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis, vel saltem domino Cistercii mittat sub suo sigillo veridicam informationem, et omnia factum tangentia, ut brevius negotium terminetur, dum tamen per dictum dominum Pontigniaci terminari non valeret, vel nollet, iustitia mediante.

1402

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo secundo statuta sunt haec apud Cistercium, in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro romanae Ecclesiae statu, quem Dominus omnipotens felicem concedat, et specialiter pro domino Cardinali Saluciarum..., *etc. ut in anno* 1401.

2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

DIFFINITIONES.

6. Abbates Ordinis universi, qui ad praesens generale Capitulum... *etc. ut in anno* 1401.

Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos habet idem Capitulum excusatos, videlicet de Frigidomonte, de Valle Beatae Mariae, de Boheriis, de Prulliaco, de Eleemosina, de Claromarisco, de Caroliloco, de Bonoradio, de Caricampo, de Longovillari, de Belloprato, de Bonavalle Viennensi, de Castellariis, de Stella, de Pinu, de Misericordia Dei, de Alpibus, de Bonomonte, de Oratorio, de Valentia, de Signiaco, de Valleregis, de Ellancio, de Boudelo, de Alto cristo, de Bellobecco, de Altaripa, de Crista, de Chassania, de Sancto Sulpitio, de Mortuomari, de Morolia, de Brolio grolandi, de Castellaria, de Valleclara, de Valle Richerii, de Bulencuria, de Vallelucenti, de Ioyaco, de Recluso, de Sigilleriis, de Castellione, de Caladia, de Monte Beatae Mariae, de Stella, de Bonoradio, de Pietate, de Gratia Dei in Pictavia, de Chalocheyo, de Persenia, de Claritate, de Trappa, de Sancto Andrea de Gouferno.

1402. *Fontes* : *J* : 1-5 *in forma abbrev.*, 6-83 ; *L*[1] : 1-83 ; *M* : 9 *(prima pars)*, 14, 41, 44, 64, 65, 66, 68, 70, 71, 72, 75 ; *P*[2] : 1, 9, 14, 17, 27, 28, 29, 36, 41 42, 44, 64, 65, 66, 68, 70, 71, 72, 75. [a] *Titulus apud JL*[1].

7. Cum Ordo noster Cisterciensis... *etc. ut in anno* 1401 ; *et in fine additur* : Potestatem autem qualemcumque et quovis modo datam cuicumque dictas contributiones recipiendi per dictum Capitulum vel alium, auctoritate sua dictum Capitulum revocat penitus et annullat. Universis etiam abbatibus, monachis et ceteris personis regularibus Ordinis universi inhibet dictum Capitulum generale sub excommunicationis latae sententiae poena ne quacumque causa vel ratione recipiant contributiones Ordinis, vel aliquid de eisdem, nisi de licentia speciali dicti Capituli generalis, vel domini abbatis Cistercii danda super hoc, etiam si dicerent sibi vel suis monasteriis deberi per Ordinem vel dictum Capitulum aliquos redditus vel proventus, et propter hoc se recipere aliquid de contributionibus antedictis.

8. Ad requestam reverendi patris... *etc. ut in anno* 1390, *n*° 19.

9. Quia praecipiente beatissimo legislatore nostro Benedicto, abbas duplici debet doctrina suis praeesse discipulis, id est omnia bona et sancta factis quam verbis amplius ostendere, ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat, duris vero corde et simplicioribus factis suis divina praecepta demonstret, et ante omnia dissimulet aut parvipendat salutem animarum sibi commissarum, non plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis atque caducis, et non causetur de forte minori substantia noverit scriptum : Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis. Et iterum : Nihil deest timentibus eum. Cellerarium etiam in monasterio quolibet de congregatione debent abbates eligere, qui omni congregationi sit sicut pater et curam gerat de omnibus. Felicis etiam recordationis dominus Benedictus Papa XII in statutis ad reformationem Ordinis nostri salubriter editis inhibet firmiter et districte ne pecunia monasteriorum Ordinis in solius abbatis seu alterius regimini praesidentis aut bursarii alicuius eorum remaneat potestate, sed reponant in aliquo securo loco sub quatuor serraturis et diversificatis clavibus, quarum primam teneat abbas monasterii seu alterius loci conventualis regimini praesidens, secundam bursarius, tertiam prior claustralis, et quartam alius monachus ipsius monasterii seu loci conventualis, de quo eiusdem monasterii seu loci conventualis conventui vel maiori parti eiusdem expedire videbitur fideliter conservanda.

Praecepit etiam et ordinavit praedictus Summus Pontifex ea quae sequuntur. Et quia ubi prudentia et moderantia fidei firmitate vallatae non vendicant sibi locum, luxus inest, longique temporis victum brevis hora consumit; decet et expedit ut per dispensatores prudentes et fidos quaeque manuteneatur substantia et etiam dispensetur. Unde statuimus et etiam ordinamus quod in singulis monasteriis et aliis conventualibus locis praedicti Ordinis, per abbatem seu alium regimini praesidentem, de seniorum sui conventus consilio, duo bursarii deputentur, quorum unus principalis existat; qui siquidem bursarii omnes pecunias ipsius monasterii vel loci conventualis undecumque provenientes universaliter recipiant, et de dicti abbatis vel regimini praesidentis mandato ceteris officialibus et aliis distribuant prout fuerit opportunum. Ipsique bursarii quater in anno, sed ceteri officiales et receptores proventuum semel et etiam pluries, si eidem abbati vel regimini praesidenti videbitur expedire, de omnibus receptis et expensis coram dicto abbate vel regimini praesidente ac senioribus de conventu ipsius monasterii seu loci conventualis teneantur plenissimam et fidelem reddere rationem. Abbates etiam vel regiminibus praesidentes coram dictis senioribus et bursariis, annis singulis, de receptis et expensis eis plenam et fidelem rationem reddere teneantur. Recipiantque ipsi abbates vel regimini praesidentes a dictis bursariis pecunias pro expensis eorum. Et si, dum ipsi extra monasteria vel alia conventualia loca eorum accesserint, eos pecuniam contingat [b] de proventibus monasterii seu locorum conventualium eorum, aut aliunde recipere pecunias, in ipsorum ingressu tradant bursariis praelibatis, computatis si quas de ipsis pecuniis expenderunt. Abbates vero seu alii regiminibus praesidentes, si secus attentare vel sibi temporalia [c] retinere praesumpserint, ab ingressu ecclesiae ac divinis officiis post lapsum duorum mensium a die ingressus huiusmodi computandorum, tamdiu suspensi existant, donec ea tradant bursariis memoratis. Et per eumdem et consimilem modum praecepit et ordinavit, praecipit et ordinat ipsum Capitulum generale sigilla conventuum, monasteriorum nostri praedicti Ordinis conservari [d]. Quae omnia et singula supradicta, sicut publica fama refert, pene penitus observare, custodire

[b] continget... pecunias: *omittuntur apud* L^1. [c] talia: L^1. [d] *M addit* etc, *et sic desinit*.

suo sensui proprio privato et singulari, ex sola causa voluntatis suae damnabiliter renitens et quasi pullum onagri se liberum natum putans ac imitari, si posset, perverse satagens quodammodo Creatorem omnium, qui cuncta rectissime facit secundum suae propositum voluntatis, contra etiam mores, usum et consuetudinem ac doctrinam et vitam per omnes et singulos alios abbates Ordinis nostri et regiminibus praesidentes, qui fecerunt hucusque, inter quos tot valentes et nominati clerici litterati et doctores ac magnae sanctitatis viri nominati fuerunt laudabiliter et salubriter observatos, et qui adhuc per alios modernos abbates dicti Ordinis et regiminibus eorum praesidentes per Dei gratiam humiliter, reverenter et tenaciter observantur. Dominus Ioannes abbas monasterii Pontigniaci, Antissiodorensis dioecesis, utens voluntate sua pro ratione neglexit, contempsit per totum fere tempus quo praefuit eidem monasterio, et adhuc negligit et contemnit totaliter et modum ac formam statutos salubriter vivendi et gubernandi in Ordinis nostri monasteriis a dicto monasterio Pontigniaci totaliter profligavit, ita videlicet inter cetera, quod in dicto monasterio a longo tempore nullus extitit cellerarius, nec adhuc est, cui ipsum permittat officium exercere, nulli unquam sui regiminis tempore fuerunt, nec adhuc sunt bursarii, ipse semper recepit et nunc recipit omnes et singulos pecuniarum redditus et proventus dicti monasterii Pontigniaci, ac penes se et ubi et quomodo vult deponit, detinet inscio et ignorante conventu dicti monasterii, de quibus receptis nunquam vel etiam una sola vice coram dicto conventu aut suo proprio abbate domino Cistercii computare curavit, nec etiam computavit. Ipse penes se solum deposuit et retinuit per magnum tempus, imo ad extraneas partes pergens secum portavit sigillum conventus et de illo quae voluit sigillavit. Et timendum est, ne tot et tanta, in et super diversis sigillaverit, quod dictus conventus et suum monasterium numquam se sentient securos, liberatos vel etiam degravatos. Quae omnia cedunt in offensam divinam, ipsius abbatis dicti monasterii Pontigniaci animae detrimentum, dicti etiam monasterii Pontigniaci grandissimum damnum, exempli perniciem et scandalum plurimorum. Praemissis igitur nefandis ausibus et praesumptionibus obviare, et super praemissis providere cupiens pro viribus Capitulum generale, praedicto abbati dicti monasterii Pontigniaci in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis ac depositionis ab abba-

tiali dignitate latarum sententiarum poenis, tenore praesentis statuti, firmiter praecipit et iniungit, quatinus infra 24 dies, diem notitiae praesentis statuti sibi factae immediate et continue subsequentes, quorum dierum octo pro primo, octo pro pro secundo, et alios octo pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica eidem abbati per praesentes assignat idem Capitulum generale, ipse faciat et constituat ac ordinet, si forte non fuerit factum, et semper teneat in dicto suo monasterio cellerarium proprium et duos bursarios, qui dicta sua faciant officia libere, et de universis et singulis per eum receptis tempore praeterito de redditibus, proventibus et emolumentis dicti monasterii Pontigniaci computet integraliter et perfecte coram domino abbate Cistercii vel eius commissario, prout in regula patris nostri Benedicti, papalibus et Ordinis statutis continetur. Inhibens etiam eidem abbati per hoc statutum sub poenis praedictis dictum Capitulum generale ne pecunias aliquas receptas iam vel recipiendas de proventibus et emolumentis ac bonis et rebus praedicti monasterii recipiat, vel ipsas aut etiam sigillum conventus dicti monasterii penes se aut alium loco sui deponat, det, vel conservet, nisi secundum et prout in dictis papalibus et Ordinis statutis est expressum, sed conserventur ac etiam deponantur, teneantur, dispensentur ac etiam tractentur dictae pecuniae et sigillum ac praemissa omnia per dictum abbatem, quatinus ad eum pertinet sub praedictis pœnis et excommunicationis et depositionis in ipsum abbatem praedicto modo latis, si contrarium faciat vel ordinet nisi secundum dictorum statutorum papalium et Ordinis formam, seriem et tenorem. Alioquin dictis 24 diebus elapsis, nisi saepe dictus abbas dicti monasterii Pontigniaci praedicta et singula sibi modo praedicto praecepta et imperata fecerit et adimpleverit integraliter et perfecte, aut etiam si alia sibi superius inhibita fecerit et perpetraverit quovis tempore et quovis modo, vel aliquod eorum dictum generale Capitulum ipsum praedictum abbatem ex nunc pro tunc excommunicat et a praedicta abbatiali dicti monasterii Pontigniaci et officio perpetuo privat in hiis scriptis. Nisi tamen causam seu causas praetendere, proponere et allegare voluerit propter quam seu quas ad praemissa facienda compelli non debeat, et praemissa contra ipsum fieri non debeant. Ad quam seu quas, si quas habet et voluerit praetendendas, proponendas et allegandas, dictum Capitulum generale se offert promptum et para-

tum, et ad procedendum et faciendum, procedi et fieri visurum prout et quod fuerit rationis.

10. Querimoniis gravibus et infestationibus longaevis multorum abbatum et conventuum monasteriorum Ordinis nostri, dicentium se dictaque sua monasteria plurimum etiam a principio et retroactis temporibus fuisse praegravatos et multo magis nunc continue propter decrementum et diminutiones ac in multis locis fere totales destructiones et annullationes, ob videlicet sterilitates temporum, guerrarum turbines, paucitates colonorum, ac multas alias dolorosas censuum, fructuum, reddituum et proventuum ipsorum monasteriorum ruinas gravari et opprimi in, de et pro taxatis et impositis olim eisdem et dictis suis monasteriis, etiam dum multum valde plus tunc quam nunc in temporalibus bonis et redditibus abundabant, nimis et ultra debitum modum excessivis quotis partibus et portionibus contributionum generalium Ordinis et ipsius Capituli generalis, quae diversis ex causis quamvis rationabilibus fuerant hactenus impositae et annis singulis imponuntur per ipsum Capitulum generale. Compatiens idem Capitulum et eisdem pro viribus super hoc cupiens providere, statuit, ordinat et diffinit, quod abbates et conventus monasteriorum Ordinis nostri quaecumque et ipsa monasteria, qui et quae videlicet ad maiores et grandiores trium librarum pro quibuslibet mille libris dictarum contributionum quotas portiones seu summas ad et propter hoc taxati et impositi seu taxata et imposita fuerunt et sunt, non debeant nec teneantur solvere nec solvant de et pro dictis eos et sua monasteria contingentes et concernentes contributionibus Ordinis per dictum Capitulum generale hactenus singulis annis praeteritis impositis, quas videlicet debite non solverunt, vel de et super quibus cum domino abbate qui nunc est monasterii Cistercii aut praedecessoribus suis abbatibus Cistercii vel eorum alterum aut alicuius ipsorum aut eiusdem Capituli super hoc deputatis commissariis forsan non concordarunt, aut etiam de et pro ipsis contributionibus de cetero ex nunc per ipsum Capitulum imponentur in, de et pro singulis annis nisi per hunc modum qui sequitur, videlicet quod quilibet abbas et conventus cuiuslibet monasterii et ipsum monasterium quodlibet Ordinis nostri, qui et quod ad maiores ulteriores et grandiores trium librarum pro mille libris dictarum contributionum quotas summas seu portiones ad et propter hoc taxati impositi taxatum et impositum fuerunt et

sunt, debeant et teneantur solvere ac solvant solummodo et dumtaxat de et pro singulis mille libris dictarum contributionum Ordinis impositis temporibus praeteritis et imponendis in, de et pro singulis annis tres libras monetae ipsius Capituli generalis, ad quam, de qua et secundum quam solitum est dictas contributiones solvi, ne ad maiorem hac praedicta moderata ac minori trium librarum pro quibuslibet mille libris dictarum contributionum valeant summam cogi, licet ad maiorem forsan hac praedicta summam vel quotam seu portionem taxata et imposita fuerint monasteria supradicta. Cetera autem monasteria Ordinis quae ad minores trium librarum pro quibuslibet mille libris summas quotas seu portiones ob, propter et super hoc taxata et imposita fuerunt et sunt, in illis antiquis et solitis suis quotis, portionibus, taxis et impositionibus remaneant sicut prius, et quod ipsa talia monasteria nihil per hoc aliud quam prius statuitur, mutatur aut innovatur. Vult etiam, ordinat, statuit et diffinit idem Capitulum, astallant arreragia dictarum contributionum ad hoc per abbates et conventus ac personae cuiuslibet monasterii dicti Ordinis, qui, ut praemittitur, super hoc non concordarunt, solvere debeant et teneantur ac solvant de et pro dictis arreragiis dictarum contributionum ipsos et sua monasteria concernentium et contingentium per eos adhuc debitarum singulis annis immediate sequentibus infra festum Resurrectionis Dominicae receptoribus ipsarum contributionum usque ad plenariam solutionem ipsarum, secundum et iuxta moderamen earum supradictum, et hoc sub excommunicationis latae sententiae poena, et etiam sub aliis poenis contra non solventes dictas contributiones Ordinis inflictis statutis et promulgatis per papalia statuta ac per dictum generale Capitulum decem libras. Et nihilominus cum hoc solvere quotas et portiones contributionum annis singulis in futurum per ipsum generale Capitulum imponendarum temporibus et terminis super hoc statuendis. Sententias autem excommunicationum et alias poenas quas abbates Ordinis quicumque officiales et ceterae personae monasteriorum Ordinis quorumcumque propter hoc defectum solutionis dictarum contributionum in, de et pro praeteritis annis et temporibus impositarum statutis terminis non solutarum forsitan incurrerunt, tollit, amovet ac ipsos abbates, officiales et personas a dictis sententiis et poenis absolvit, cum eisdem super irregularitatibus et inha-

bilitatibus, si quas incurrerunt propter hoc, quantum potest misericorditer dispensans in hiis scriptis per tenorem huius statuti dictum Capitulum generale.

11. Cum propter dissensiones et guerrarum turbines diversarum, quae fuerunt, proh dolor ! ac in posterum, quod avertat Dominus Deus, futurae pertimentur inter illustrissimos et potentissimos dominos nostros reges Francorum et Anglorum, et ipsarum guerrarum occasione domini reges Angliae reposuerunt et tenuerunt ad manum per fere quinquaginta continuos annos ultimo lapsos, et adhuc teneat dictus rex, qui nunc est Anglorum, ecclesiam de Scardebourgh, dioecesis Eboracensis, cum capellis suis ac pertinentiis, redditibus, fructibus, proventibus et emolumentis eiusdem ; ac etiam capellam de Stanlay eiusdem dioecesis, quas felicis recordationis domini reges praedecessores regis istius Angliae monasterio Cistercii pro sustentatione et ad utilitatem nostri Cisterciensis Ordinis generalis Capituli contulerant, adeo quod dictum monasterium Cistercii et etiam Capitulum per dictos 50 annos de dictis ecclesia et capella ac earum pertinentiis et fructibus quasi nihil omnino perceperunt aut habuerunt, percipiunt aut habent, nec speratur quod in futurum possint aliquid inde percipere aut habere, et nunc sunt in inemendabili et irreparabili periculo praedicta omnia, ne pro dictis monasterio Cistercii et Capitulo generali totaliter amittantur, et aliis religionibus seu Ordinibus in Anglia per ipsum dominum regem Angliae ad suggestionem, instigationem et precum importunitatem conferantur, quod iam, proh dolor ! ut dicitur, est inceptum. Generale Capitulum concedit, vult et consentit quantum potest, quod dominus abbas et conventus monasterii Cistercii vendant, tradant et deliberent quibuscumque volentibus emere pro pretio competenti, seu alias alienent et concedant prout poterunt convenire et bono modo tractare et facere, dictos redditus, proventus et emolumenta, possessiones et pertinentias et omnia supradicta, convertendo et applicando in alios emendos redditus dicto monasterio Cistercii proquinquiores et tutiores, vel reparandas domus et aedificia, possessiones et bona dicti monasterii, aut aliam utilitatem ipsius monasterii. Et hic in deductionem magnarum summarum pecuniae seu florenorum, quas ex bonis et iustis causis debet dicto monasterio Cistercii domino abbati et conventui eiusdem generale Capitulum et totus etiam noster Ordo. Supplicat igitur humiliter dictum generale Capitulum sanctissi-

mo in Christo patri ac domino nostro domino sacrosanctae romanae et universalis Ecclesiae Summo Pontifici, quatinus dignetur licentiam et auctoritatem impertiri dictis domino abbati et conventui dicti monasterii Cistercii supradicto modo praemissa faciendi, et alia quae circa hoc necessaria fuerint seu etiam opportuna.

12. Abbates et conventus monasteriorum de Campis bonis, de Masan, de Bellavalle, de Crista, de Fonte Ioannis, de Monte petroso, de Caladia, de Chalocheyo, de Begart, de Theoloco, de Bonomonte, de Buxeria Andegavensi, de Aurea[e] valle, de Alneto, de Relech, de Fontanis, de Sancto Sulpitio, de Bethania, de Clarofonte, de Stamedio, de Ponte Oltrani, de Longovillari, de Balerna, de Alpibus, de Boquian, de Valloriis, de Bonofonte, de Cheminione, de Altaripa, de Monte Sanctae Mariae, de Veteri villa, de Obazina, de Boheriis, de Pinu[f], de Alto Cristo, de Bella pertica, de Mellereyo, de Bonavalle Ruthenensi, de Albis petris, de Valle magna, de Villa longa, de Bonacumba, de Sancto Leonardo, de Loco Dei, de Barbereyo, de Benifasano, de Valle digna, de Grandisilva, de Bonofonte dioecesis Convennarum, et personas omnes et singulas ipsorum conventuum hortatur et monet generale Capitulum peremptorie et canonice tenore statuti praesentis, eis in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationum latarum sententiarum poenis in ipsos abbates et in singulares personas dictorum conventuum praecipiens et iniungens, quatinus infra triginta dies post diem notificationis praesentis statuti eis factae seu faciendae immediate secuturos, quorum dierum decem primos pro primo, decem secundos pro secundo, et reliquos decem pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica eis assignat dictum Capitulum per praesentes, mittant ad studium Sancti Bernardi Parisiense vel aliud generale studium Ordinis secundum formam papalium statutorum, ac in eodem continue teneant, quod damnabiliter nimium distulerunt, unum de monachis suis monasteriorum cuiuslibet suorum praedictorum, scolarem cum bursis et provisionibus debitis et statutis per papalia et nostri Ordinis statuta. Alioquin dictis triginta diebus elapsis, nisi praemissis paruerint cum effectu, ipsos abbates et praedictas singulares personas conventuum dictorum monasteriorum praemissis non parentes, propter hoc

[e] Amoena : L^1. [f] Pignu : L^1.

ex nunc pro tunc excommunicat in hiis scriptis idem Capitulum generale, nisi tamen causam seu causas praetendere, proponere et allegare voluerint, propter quam vel quas, si quas habent, et voluerint praetendendas, proponendas et allegandas, citat ipsum Capitulum generale ipsos abbates et conventus ac singulares personas ipsorum conventuum dictorum monasteriorum peremptorie per praesentes coram reverendo in Christo patre domino abbate monasterii Cistercii, generali reformatore Ordinis, in et super hiis et infrascriptis habeat plenariam Ordinis potestatem, in ipso monasterio Cistercii ad diem ultimam dictorum triginta dierum eisdem, ut praemittitur, assignatorum seu assignandorum, nisi fuerit feriata, alioquin ad primam diem post immediate sequentem non feriatam et iuridicam, praedictas causam seu causas praetensionis propposituros et allegaturos, et alias ulterius in, de et super praemissis et ea tangentibus processuros et facturos procedi et fieri visuros prout et quod fuerit rationis. Praesentem autem diffinitionem sub dictis excommunicationum in eosdem abbates et singulares personas dictorum conventuum latarum sententiarum poenis praecipit idem Capitulum per praesentes si tradita fuerit eisdem, eius portatori per eosdem indilate reddi, ipsius copia si voluerint habere tradita prius eis, et de die receptionis eius per eosdem abbates et conventus idem Capitulum certificari competenter, vel dictum dominum Cistercii, si et prout fuerint requisiti per eiusdem portitorem.

13. Quoniam istis diebus nostris in quos fines saeculorum devenerant abundat iniquitas et refriguit charitas multorum, et ut plurimi suspicantur, aut praesto aut ipse est ille, quem fames et sterilitas totius boni et praeit et comitatur, videlicet homo peccati filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne illud quod dicitur Deus aut quod colitur, in cuius diebus, ut Doctores dicunt, homines non plus erubescent adulterari quam comedere, antichristo scilicet, qui Christo et suis membris adversatur toto posse et super quem credi potest universa vastabit et interficiet robustos et populum sanctum secundum voluntatem suam, peccatis nostris, proh dolor ! exigentibus officiales et ministri illustrissimorum dominorum regum, ducum, comitum, baronum et aliorum nobilium praeter ipsorum forsitan voluntatem, imo etiam ipsis ignorantibus, et quod gravius est et grandius dolendum, domini praelati pontifices et abbates et alii dominantes in clero libertates, franchisias et immunitates

nobis et Ordini nostro per dominos praedecessores dictorum dominorum nobilium et praelatorum, quas conservare deberent, ut in ipso Ordine conservantes Domino Deo omnipotenti Creatori nostro gratiam illis suffragante liberius semotis vexationibus ac cunctis gravaminibus serviretur, collatas infringere, imo totaliter coguntur, proh dolor ! annullare, et nos ac ipsum Ordinem gravissimis et variis exactionibus opprimere, et bona nostra modica temporalia ad sustentamentum nobis data excessive diebus istis diminuta, cum in solis agriculturis modicum nunc valentibus Ordo noster quasi totaliter sit fundatus, nobis auferre ac nos ad mendicitatem redigere contra divinas etiam institutiones et iuris aequitatem et ordinem veniendo pro suis viribus, proh dolor ! indebite et iniuste. Volens igitur super praemissis et aliis nobis et Ordini nostro illatis, et ne ulterius inferantur incommodis et gravaminibus pro modicis viribus providere, de Pontigniaco, de Caroliloco, de Regalimonte, de Belloprato monasteriorum abbatibus, s. th. pr. et duobus eorum committendo generale Capitulum benigniter praecipit et iniungit, quatinus ipsi vel eorum duo, prout eis melius videbitur, ad expensas Ordinis accedant principaliter ad dominum nostrum regem, dominos duces avunculos et fratrem ipsius, ac ad alios nobiles et officiarios eorum, et ad dictos dominos praelatos, et eis supplicent ac precibus pulsent rationibus et allegationibus informent, et quantum poterunt procurent, in et super praemissis de salubri remedio aliter provideri.

[DIFFINITIONES] GENERALES [g].

14. In primis, ad audientiam pervenit generalis Capituli, quod nonnulli sexus utriusque nostro in Ordine professi monachi et moniales sub umbra emendationis vitae, seu ut discurrant vagabundi obliti vocationis prioris in qua sunt locati, a voto professionis quam suis in monasteriis emiserunt vocaliter quittari et absolvi requirunt. Tantae abusionis audaciam refrenare cupiens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit inhibendo ne quis Ordinis abbas vel abbatissa de cetero cuicumque monacho vel moniali suam quittanciam vel licentiam alibi quam nostro in Ordine profitendi requirenti, quacumque occasione vel colore

[g] *titulus apud J tant.*

quaesitis, consensum praebant vel absolvant a suo voto professionis absque scitu et licentia generalis Capituli supradicti petita pariter et obtenta.

15. Item, quoniam observari discretio debet in numero religiosorum in monasteriis ponendorum, ut videlicet tot sint, et non plures cohabitent qui vivere possint ordinate, ne vel excusante paupertate vivant irregulariter, vel pro multitudine cohabitantium necessitatibus eorum illicita quaerere compellantur, si dum quaerunt plura, exterior cura crescit, per diversas regiones Ecclesiae beneficia sparguntur, et pro regendis ipsis fratres necessario sparsi subsequuntur, sed inter saeculares habitant, et nolentes pati fraudem iudicio contendere sunt parati. Qui vero per cellulas duo vel tres, vel etiam quatuor aut quinque simul habitant, claustrali non coarctantur lege, si pro libito plerumque suo vivant, et inter gentes commixti discunt eorum vitam et opera, et inter saeculares diversis serviunt sculptilibus vitiorum, ac religionis statuta et Ordinis formam et observationes devotas nedum non servantes pene penitus obliviscuntur. Propter quod antiqui nostri patres sancti salubriter imo necessario propter observationem regulae sancti Benedicti, secundum quam regulam nos omnes solemniter vovimus, et promisimus conversari, statuerunt in diffinitionibus per eos editis, ut ad novam abbatiam minus quam duodecim monachi cum abbate tertiodecimo non mitterentur ipso loco suis domibus, libris, et aliis necessariis sic aptato, quod ibi competenter vivere possent et regulam observare. Quodque minora monasteria tam monachorum quam monialium in quibus non possent congrue sustentari duodecim monachi vel moniales ibidem assidue residentes, ut per omnia possent communia statuta Ordinis observare, patres abbates committerent aliis monasteriis et unirent. Cum igitur monasterium monialium de Gaudio, Noviomensis dioecesis, immediate Cisterciensi subiectum monasterio sit adeo tenuiter reddituatum, et bonis temporalibus insufficienter dotatum, quod nullatenus aut vix in eodem possit dictus numerus monialium cum personis eis propter sua spiritualia temporaliaque negotia procuranda necessariis ad vitam suam transigendam sufficienter procurari seu commode sustentari, generale Capitulum propter hoc et alia plura ipsum ad hoc necessario inducentia multum iuste, unit, incorporat et annectit dictum monasterium de Gaudio monasterio Longipontis eidem satis propinquo, pro grangia vel

cellario faciendis. Abbati dicti monasterii Longipontis committendo praecipiens et iniungens idem Capitulum, quatinus abbatissam, moniales et ceteras personas regulares quae nunc sunt monasterii de Gaudio emittat auctoritate dicti Capituli extra dictum monasterium ad alia singula monasteria monialium dicti nostri Ordinis, quae potentia sint ad sibi necessaria sicut ceteris suis monialibus ministranda, ac in eisdem singulis monasteriis faciat eas recipi regulariter quamdiu vixerint commorandas, possessionemque dicti monasterii de Gaudio veram manualem et realem reddituum, proventuum, fructuum et emolumentorum bonorum haereditagiorum, possessionum, rerum ac pertinentiarum, mobilium et immobilium eiusdem accipiat et intret pro se et suo conventu ac monasterio Longipontis... censuram Ordinis, invocato ad praemissa et infrascripta, si opus sit, auxilio brachii saecularis. Ita tamen quod ipsi abbas et conventus dicti monasterii Longipontis et sui successores iugiter omni tempore teneant in loco dicti monasterii de Gaudio expulsis inde perpetuo monialibus quibuscumque, et sustentent de suis necessariis, et ad haec facienda sint obligati et astricti, tot sacerdotes quot ibidem propter reverentiam divini cultus et inhumatorum corporum humanorum et salutem animarum ipsorum qualibet die una missa ad minus indefectibiliter celebretur. Et nihilominus committit idem Capitulum generale universis et singulis abbatibus dicti Ordinis et specialiter abbatibus de Ursicampo et de Igniaco et eorum cuilibet quatinus, si necesse fuerit, et ad hoc ex parte dictorum abbatis et conventus Longipontis fuerint requisiti, ad dictum monasterium de Gaudio et ipsius pertinentias personaliter se transferant, et executioni debitae praesentem diffinitionem demandent. Praecipitque districte ac iniungit sub poenis excommunicationis et incarcerationis perpetuae praefatis abbatissae et monialibus, quae pro nunc sunt in dicto monasterio de Gaudio quod dictis abbati Longipontis ceterisque commissariis abbatibus, si qui ad hoc fuerint evocati, pareant humiliter et devote, nullam rebellionem vel contradictionem in hiis quae concernunt praesens nostrum statutum vel ipsum contingentia, concernentia seu dependentia per seipsas vel alias quascumque personas ullatenus inferendo.

[DIFFINITIONES] SPECIALES [h].

16. Ut cum fratribus Ioanne Radin sacerdote qui apostatavit, et tempore apostasiae Carthusiensem Ordinem intravit, licet in habitu, prout asserit, licentia nec petita nec obtenta, tandem rediit ad Ordinem ; et Aegidio Bardoul diacono, qui similiter apostatavit, monachis professis de Ursicampo, dispensat gratiose, si repererit dignos et acceptabiles domino Claraevallis, s. th. pr. committitur per generale Capitulum.

17. Domino Claraevallis, s. th. pr. committitur per generale Capitulum, quatinus ad monasterium Longipontis immediate sibi subiectum accedens personaliter, inquirat an traditio ad censum et in emphiteosim perpetuam cuiusdam domus quam habent Parisius iuxta ecclesiam Sancti Gervasii in Gravia, sit dicto monasterio Longipontis utilis et commoda,quam si sic repererit, futuro referat Capitulo generali.

18. Domino Claraevallis, s. th. pr. et abbati de Caroloco seu alteri eorumdem committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas monasterio Morimundi vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas esse, per litteras vel alia documenta legitima, ad satisfactionem plenariam coerceant et compellant.

19. Ut coerceant et compellant ad satisfactionem plenariam debitores et singulas Ordinis personas sexus utriusque, si quas repererint monasterio Claraevallis per litteras vel alia documenta legitima fore obligatas, domino Morimundi et abbati de Crista et cuilibet eorumdem committitur per generale Capitulum.

20. Si repererint per litteras aut alias monasterio Igniaci coniunctim vel divisim, quascumque personas Ordinis obligari, ad satisfaciendum plenarie per censuram Ordinis coerceant, abbatibus de Longoponte et de Valleclara seu alteri eorumdem committitur per generale Capitulum ista vice.

21. Abbatibus de Ygniaco et de Longoponte ac eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quod si quasdam personas Ordinis sexus utriusque obligatas repererint quoquomodo monasterio de Argensoliis vel eiusdem monasterii personis regu-

---

[h] *titulus apud J tant.*

laribus singillatim vel alias, ad satisfaciendum coerceant et compellant.

22. Dispensatur gratiose per generale Capitulum cum fratre Iacobo dicto Speurad, monacho Sancti Urbani, ut non obstante apostasia quam incurrit quasi per dimidium annum per saeculum discurrendo, ad omnes actus, et gradus Ordinis legitimos admittatur citra tamen abbatialem dignitatem.

23. Quia soror Brunnerin monialis domus Consilii, violato castitatis proposito, carnis illecebris fuit involuta subsecuto puerperio, poenitentiam tamen condignam post delictum peregit, eapropter dispensatur per Capitulum generale, ut hiis non obstantibus ad omnes actus Ordinis legitimos admittatur, citra nihilominus abbatiatum.

24. Si repererit traditionem cuiusdam domus in civitate Catalaunensi sitae monasterio Igniaci pertinentis ad censum et in emphiteosim perpetuam fore dicto monasterio proficuam, in sua visitatione primaria quam faciet in dicto monasterio Igniaci sibi immediate subiecto dominus Claraevallis, s. th. pr. inquiret diligenter et referat generali Capitulo futuro.

25. Cum alias fuerit per generale Capitulum gratiose dispensatum cum fratre Ioanne de Bellovisu monacho de Acevo, ut non obstante apostasia et irregularitate quas commisit celebrando vagus per saeculum, ad omnes gradus legitimos, citra tamen abbatiatum, admitti valeat, gratiam amplians idem Capitulum concedit praefato Ioanni de speciali gratia ut si sua merita suffragentur in posterum etiam ad abbatialem dignitatem admitti valeat et assumi, dum tamen de abbatis et conventus processerit voluntate.

26. Ut non obstante apostasia et furti 40 librarum accusatione de quibus convicti fuerunt fratres Ioannes Helion et Philippus Dimeon monachi de Valentia, pro quibus fore factis per carceres in compedibus et alias puniti fuerunt, et vitam emendatiorem duxerunt severiter post delictum, ad humilem supplicationem abbatis et conventus dicti monasterii, omnes Ordinis gradus legitimi, etiam dignitas abbatialis eisdem impertiuntur per generale Capitulum et de gratia speciali, dum tamen aliud canonicum non obsistat.

27. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum aliorumque locorum conventualium, et omnium et singularum personarum utriusque sexus ubique consistentium, et quos-

cumque contigerit eas commorari vel esse nostri Cisterciensis Ordinis in totali generatione mediata et immediata domini Claraevallis, in quibus, prout ad generalis Capituli pervenit auditum, sunt plurima reformanda, eidem domino Claraevallis, s. th. pr. *etc. ut in forma consueta, cf. ann.* 1401, *n*o 26.,... per continuum triennium ... brachii saecularis. Compellatque abbates ad mittendum scolares Parisius vel ad alia Ordinis studia generalia cum bursis... Insuper confessiones omnium et singularum abbatissarum et monialium aliarumque personarum regularium audiendi et eas absolvendi in, de et super omnibus casibus in, de et super quibus absolvere potest easdem idem Capitulum generale ; et de confessoribus idoneis ac procuratoribus in suis monasteriis providendi dum et quantum sibi visum fuerit, quascumque poenas inflictas per statuta dicti Capituli generalis remittendi in et super dictis statutis dispensandi, et eas absolvendi. Et generaliter omnia et singula gerendi et exercendi ac faciendi circa praemissa et ea tangentia, quotiescumque et in aliis quibuscumque et ubicumque et quocumque modo, tempore quo reformabit ante et postquam dictum Capitulum gerere, facere et exercere potest et posset, etiam si potestatem, auctoritatem et mandatum exigerent speciales. Et haec omnia praemissa fiant ad expensas... *etc.* Universis igitur, *etc.*

28. Similiter domino Pontigniaci per triennium in sua generatione.

29. Similiter conceditur per triennium domino Morimundi in sua generatione.

30. Si de Curia Dei et de Barzella monasteriorum abbatibus vel eorum alteri constiterit abbatem de Oliveto teneri et efficaciter obligatum esse in summa 4 librarum et 12 denariorum turonensium, ad satisfactionem plenariam per censuram Ordinis coerceant et compellant.

31. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Gratia Dei in Pictavia conceditur per generale Capitulum fratri Nicolao Syram suo conmonacho, ut non obstante apostasia quam incurrit per saeculum regulari habitu derelicto quasi per sex menses damnabiliter evagando, super quo poenitentiam devote peregit, ad omnes actus, gradus et status Ordinis legitimos admittatur etiam abbatiatum.

32. Quia per generale Capitulum fuit alias dispensatum cum

fratre Nicolao de Compendio monacho Longipontis [i], ut non obstante apostasia quam per duos annos incurrit suis iuvenilibus in annis, ad omnes actus Ordinis legitimos citra tamen abbatialem dignitatem admitti valeat, quia tamen de bono in melius proficiens gratiam maiorem promeruit, idcirco idem Capitulum ampliando gratiam prius datam, eidem concedit ut si sua merita suffragentur in posterum ad omnes actus, etiam abbatialem, promoveri valeat et assumi.

33. Controversias et lites motas in generali Capitulo inter abbatem de Ré ex una parte et conventum dicti loci ex altera terminandas penitus per dominum Pontigniaci, s. th. pr. patrem abbatem dicti monasterii, et abbatem de Curia Dei, in iure canonico licentiatum, coniunctim, diligenti examine praehabito, absque ulteriori relatione facienda ipsi Capitulo prout rationis extiterit, faciant iustitiae complementum, eisdem committitur in ipsius Ordinis et Capituli plenitudine potestatis.

34. Porrectam supplicationem abbatis et conventus de Dunis generali Capitulo, qua quaerebant quasdam ordinationes factas in suo monasterio ad recreationem Deo servientium per dictum Capitulum approbari et confirmari, dictum Capitulum admittens gratiose, et in quantum iuste, rite et canonice factae fuerunt, quantum potest et debet de iure praefatum Capitulum praemissas ordinationes quibus praesens annectitur diffinitio, ratificat, approbat et confirmat.

35. Misericorditer dispensatur per generale Capitulum cum fratre Ioanne de Saincheron monacho Altifontis ad humilem supplicationem dicti monasterii abbatis, ut non obstante apostasia quam incurrit quasi per unum annum, attento quod poenitentiam condignam peregit, seclusa abbatiali dignitate, ad omnes actus, gradus et honores Ordinis legitimos admittatur.

36. Abbatis et conventus monasterii de Bonoportu supplicationem amplexans generale Capitulum continentem, quatinus cum fratribus Guillelmo Balduini et Ioanne de Sepibus suis conmonachis, cum quibus alias ad omnes actus Ordinis, citra tamen abbatiatum, per dominum Cistercii extitit dispensatum, non obstante apostasia quam incurrerunt, dignetur idem Capitulum misericorditer dispensare, gratiam ampliando etiam abba-

[i] Ligniaci : *L*[1].

tialem dignitatem adiungit, si sua in posterum merita suffragentur.

37. Cum fratre Petro de Bellaquercu monacho de Gardo, cum quo alias fuit dispensatum, ut ad omnes Ordinis status admitteretur secluso abbatiatu, ad petitionem abbatis et conventus dicti loci ampliatur gratia per generale Capitulum, et conceditur ut etiam ad abbatialem dignitatem promoveri valeat in posterum et assumi.

38. De Belloprato, s. th. pr. et de Lanneyo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum, quod si repererint per legitima documenta abbatem et conventum de Gardo abbati de Longovillari et suo conventui teneri et efficaciter obligari in summa 25 librarum cum 6 solidis parisiensibus, ad solutionem plenariam de praemissis per censuram Ordinis coerceant et compellant.

39. Causam et materiam discordiae motam seu movendam inter abbatem de Ursicampo ex una parte, et abbatem de Frigidomonte ex altera, et eorumdem locorum conventus super quodam annuo et perpetuo redditu 110 solidorum, quem Frigidimontenses monasterio Ursicampi vendiderunt, de qua summa 20 solidos abbas modernus Frigidimontis abbati Ursicampi solvere recusavit et recusat in conquerentis praeiudicium et gravamen, domino Claraevallis, s. th. pr. et abbati Longipontis et eorum cuilibet committit generale Capitulum pace vel iudicio, auditis partium rationibus et allegationibus terminandam, et compellendum reum ad satisfaciendum de principali, arreragiis et expensis per censuram Ordinis in plenaria Capituli potestate.

40. Ad petitionem abbatissae de Vallenigra committitur per generale Capitulum fratri Petro Helyae [j] monacho de Bolbona visitatio dicti monasterii Vallisdignae, in qua confessorem qui eas audiendi et absolvendi in, de et singulis casibus, in, de et super quibus potest et debet absolvere dictum Capitulum, constituat, ordinet et deputet auctoritate dicti Capituli generalis.

41. Abbatibus de Grandisilva et de Gimonte ac cuilibet eorum in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Fullenchis personaliter accedentes inquirant diligenter, si abbas dicti loci a viginti annis citra sacramentis

---

[j] Hesyo : *L*[1].

ecclesiasticis confessionis et receptionis eucharistiae abstinuerit indebite contra conscientiam et suae salutis immemor in dedecus et vituperium totius religionis, quem si sic erroneum repererint, deponant ab abbatiali dignitate et retrudant in carceres horridos, alium idoneum et habilem loco sui subrogando.

42. Committitur abbati Belliprati, s. th. pr. quatinus si suis meritis exigentibus repererit sororem Lucetam monialem monasterii de Fonte Gerardi dignam regendi et exercendi officia eleemosinariae et sacristae dicti monasterii quamdiu vitam duxerit in humanis, dum tamen in eis nihil agat quod sit disciplinae regulari contrarium vel sinistrum, auctoritate generalis Capituli, suam conscientiam onerando, ratificet et confirmet officia supradicta.

43. Senio et debilitate abbatis Fusniaci attentis, cordialiter a via Capituli generalis ipsum habet dictum Capitulum favorabiliter excusatum.

44. Domino Claraevallis, s. th. pr. et abbati de Savigniaco ac eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum quatibus diligenter inquirant, si pensio data fratri Guillelmo Le Mazurier [k] in sua cessione spontanea de regimine monasterii de Barbereyo [l] sit excessiva seu minus iuste data. Quod si sic repererint, rescindatur, vel augmentetur, prout decreverint, pietate, iustitia et rationis limitibus observatis.

45. Non obstante apostasia quam incurrit frater Ioannes Bouli monachus Lucellensis, ad omnes status et honores, citra nihilominus abbatiatum, admittitur per generale Capitulum de gratia speciali, si de beneplacito abbatis et conventus dicti loci processerit et consensu.

46. Cum fratre Ioanne Rosset monacho Populeti dispensatur per Capitulum generale ut non obstante defectu natalium quem patitur ex solutis parentibus genitus, suis meritis exigentibus ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos, abbatiali dignitate seclusa, promoveri valeat et sacros ordines etiam presbyteratus recipere Capitulum generale annuit et permittit.

47. Ut cum suis monachis et suae generationis immediatae dispensare valeat et ipsos habilitare super omnibus casibus Capitulo debitis et reservatis, magistro Vincentio abbati Populeti,

---

[k] Masenier : *L*1. [l] Vereyo : *L*1.

s. th. pr. quamdiu vixerit abbas Populeti, facultas conceditur et auctoritas a Capitulo generali.

48. Fratris Hugonis de Charitate Nivernensi monacho de Roseriis petitionem admittens generale Capitulum, continentem quod cum alias fuerit secum dispensatum, citra tamen abbatiatum, restituatur ad omnes gradus etiam abbatialem dignitatem conceditur augmentando gratiam quod omnes gradus et honores Ordinis etiam abbatiatum obtineat si meruerit in futurum auctoritate Capituli generalis.

49. Domino Pontigniaci, s. th. pr. committitur quod si abbatem et conventum de Fonte Ioannis in quibuscumque summis pecuniarum vel alias obligatos esse vel teneri quodammodo abbati et conventui de Escharleis, ipsos per censuram Ordinis coerceat et compellat ad satisfactionem plenariam de praemissis.

50. Ut tradere valeant ad censum et in emphiteosim perpetuam abbas et conventus de Stella quamdam suam domum omnino eis inutilem quae Melly nuncupatur, de Valentia et de Misericordia Dei monasteriorum abbatibus et cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum ut, informatione praehabita faciant dictante conscientia et ratione quidquid super hiis fuerit faciendum absque ulteriori relatione facienda ipsi Capitulo generali.

51. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Tela dispensari petentium cum fratre Guillelmo de Bisuncio suo conmonacho, ut non obstante apostasia quam incurrit per biennium per saeculum evagando, ad gradus Ordinis restauretur. Hinc est quod dictum Capitulum permotum misericorditer cum dicto fratre Guillelmo dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos valeat admitti consentit, citra tamen abbatialem dignitatem.

52. Abbatis et conventus de Bellabrancha petitionem admittens generale Capitulum, sibi dari licentiam tradendi in emphiteosim perpetuam quosdam redditus modici valoris, qui forent aliis fructuosi, abbati de Oratorio committitur, ut de praemissis veritate comperta, det eis licentiam et faciat quod rationis fuerit in praemissis.

53. Similiter abbati et conventui de Oratorio et committitur abbati de Curia Dei.

54. Consimiliter abbati et conventui de Chalocheyo et committitur abbati de Curia Dei.

55. Domino Claraevallis, s. th. pr. committitur quatinus si repererit fratrem Ranulphum Louvel [m] monachum Savigniaci, qui apostavit per multos annos, dignum gratia et dispensatione, faciat auctoritate Capituli generalis prout decreverit, ratione non oblita.

56. Ad petitionem abbatis et conventus de Valloliis dispensatur misericorditer cum fratribus Ioanne de Porta et Ioanne Almaritii suis conmonachis, ut non obstante infamia quam incurrerunt, ad omnes status Ordinis, gradus et honores legitimos restituantur, citra tamen abbatialem dignitatem.

57. Abbati Savigniaci committit generale Capitulum quatinus pro reparatione monasterii de Veteri villa per concessionem vendantur silvae dicti monasterii destinatae, ac alias provideat prout secundum Deum et Ordinis instituta fuerit faciendum.

58. Ut omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas obligatas esse reperit per legitima documenta abbati et conventui de Oratorio, coerceat et compellat ad satisfactionem plenariam per censuram Ordinis, abbatibus de Chalocheyo, de Bella brancha, de Claromonte et de Melereyo, ac omnibus eorum in solidum committitur per generale Capitulum.

59. Cum Varnero de Atkia [n] monacho Lucellae dispensatur per Capitulum ut non obstante quod abbas suus sibi amoverit habitum regularem occasione qua suae professionis quittantiam petierat, et licet ad proprium monasterium redierit post paucos dies, illum reputavit apostatam, ad omnes gradus, status et honores admitti valeat citra abbatiatum.

60. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum fratre Petro de Aurivilla monacho Theoloci, qui quasi per duos annos apostatavit, ut hoc non obstante ad omnes gradus et honores Ordinis admittatur sine abbatiatu, si tamen de sui abbatis et conventus processerit beneplacito voluntatis.

61. Similiter fiat pro fratre Theobaldo monacho dicti monasterii Theoloci, qui quasi per semiannum apostatavit.

62. Abbatis et conventus monasterii de Tribus fontibus petitionem admittens generale Capitulum, qua requirunt dispensari misericorditer cum fratre Iacobo de Sarmasia suo conmonacho, ut non obstante apostasia quam incurrit per quindenam, admit-

---

[m] Loirsel : L^1. [n] Albas : L^1.

tatur ad status Ordinis et honores, favorabiliter admittitur etiam abbatiatus.

63. Ut ad studium Andegavense profiteri valeat et ibidem commorari quamdiu voluerit abbas de Bellabrancha, sibi conceditur licentia per generale Capitulum.

64. Quoniam prout ad audientiam pervenit Capituli generalis, dominus episcopus Antissiodorensis pabulum quod dicimus in Ordine charitativum sibi tamquam debitum omni anno de more a Rigniacensi monasterio suae dioecesis requirit cum violentia sibi et suis exhiberi, quod vergeret in totius Ordinis ruinam permaximam et nostrorum privilegiorum infractionem. Cum igitur in morbi novitate propinari [o] debeatur medela, ne veterascens infirmitas adeo membris adhaereat quod non valeat radicitus amputari, hinc est quod ad tuitionem et defensionem privilegiorum Ordinis et praesertim huius novae invasionis, abbatibus de Prulliaco et de Vallelucenti committitur per generale Capitulum coniunctim et iniungitur quatinus ad certum locum se transferentes, contributionem moderatam 40 florenorum ad coronam super abbates et abbatissas Ordinis in provincia Senonensi assideant et imponant, eosdem ad quotas sibi per dictos abbates impositas persolvendas per censuram Ordinis et auctoritate generalis Capituli coerceant et compellant.

65. Ad idem fiat pro monasterio de Bellabrancha contra dominum episcopum Cenomanensem in provincia Turonensi, et committitur abbatibus de Oratorio et de Melereyo usque ad summam 40 florenorum ad coronam.

66. Annuens generale Capitulum affectuose petitioni fratris Nicolai de Sacracuria dudum monachi et cellerarii Claraevallis et nunc abbatis Longipontis, continenti quatinus per ipsum Capitulum provisio de ipso auctoritate patris abbatis ad dictum monasterium Longipontis facta ratificetur et approbetur, de illius sufficientia et idoneitate informatum dictum Capitulum si et in quantum potest etiam provisionem ratificat, approbat, confirmat et corroborat Capitulum memoratum.

67. Abbati de Curia Dei committitur per generale Capitulum quatinus quam primum ad monasterium de Prato benedicto suum iter direxerit, inquirat de vita, moribus et conversatione fratris Andreae de Brolhaco monacho dicti monasterii, quem si

[o] proportionari : *L*[1].

dignum gratia repererit, faciat ad suae libitum voluntatis, rationis limitibus observatis.

68. Electionem de fratre Fernando de Bolaines ad monasterium de Morerola [p], Zamorensis dioecesis, factam rite et canonice prout ad aures Capituli pervenit, ipsam ratificat, approbat et confirmat Capitulum memoratum, silentium perpetuum imponens opponentibus et ipsum impedientibus sub poenis excommunicationis. Mandat autem dictum Capitulum praefato abbati quatinus expensas fratris Ioannis de Wogha [q] monachi Vallis Dei, Ovetensis dioecesis, persolvat integraliter et complete.

69. Concedit licentiam profitendi generale Capitulum, ubicumque repererit abbatem nostri Ordinis, fratri Laurentio Zeyfridisdorum monacho Sanctae Mariae de Zifcips, dioecesis Stringoniensis, certis ex causis iustis et rationabilibus dictum Capitulum moventibus.

70. Approbat generale Capitulum electionem fratris Arnaldi Capellani de se factam ad monasterium de Bolhanis ; annullat, cassat et reprobat quidquid contra ipsam hactenus actum sit, inhibet fratri Geraldo de Nigayo [r] monacho dicti monasterii de Bolhanis ne a cetero impediat dictum electum per ipsum coram iudicibus quibuscumque saecularibus impediendi [s] in sui detrimentum monasterii et infamiam totius Ordinis trahat, nec conveniat ; approbatque processum dictae electionis, ratificat et confirmat.

71. Districtius inhibet generale Capitulum omnibus abbatissis Ordinis nostri in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena ac depositionis, ne de cetero habeant admittere aliquem episcopum in suis monasteriis pro aliquibus benedictionibus fiendis ab ipsis, cum hoc sit contra iuris formam et nostri Ordinis disciplinam.

72. Dispensat generale Capitulum cum fratre Raimundo Torti, baccalario in decretris, monacho et sindico monasterii Bolbonae, quatinus valeat tenere ostium in cella sua, cum ipse habeat facere frequenter suos sermones et timeat [t] perdere libros et nonnulla monasterii munimenta [u].

73. Misericorditer dispensat generale Capitulum ad suppli-

---

[p] Morella : *L*¹. [q] Dulglia : *M* ; Vurglia : *P*². [r] Angaiss : *M* ; Angays : *P*². [s] in praeiudicium : *M*. [t] teneat prope se : *L*¹. [u] imminentia : *L*.

cationem abbatis et conventus de Begar cum fratre Ioanne Gunenen suo monacho, qui malitia ductus, suae salutis immemor, nonnulla vasa argentea abstulerit, et ad saeculum rediit habitu temere reiecto, hiis non obstantibus ad omnes actus Ordinis legitimos valeat promoveri, citra tamen abbatiatum.

74. Ad supplicationem abbatis et conventus de Relec misericorditer dispensat generale Capitulum cum fratre Adam Galtei suo conmonacho,ut non obstante infamia quam incurrit per saeculum damnabiliter fere per sex annos evagando, super quo poenitentiam sibi propter hoc iniunctam peregit humiliter, ut valeat ad omnes Ordinis legitimos promoveri actus.

75. Annuit generale Capitulum supplicationibus fratrum Fernandi et Ioannis monachorum de Mataplana, ut valeant per quinquennium studere in studiis Salamantico vel Vallisoletano petita licentia licet non obtenta, ut fructus uberes valeant in Dei Ecclesia afferre, expensis suorum parentum seu amicorum.

76. Dispensat misericorditer generale Capitulum cum fratre Ioanne de Claromonte monacho de Caladia, ut non obstante apostasia quam incurrit per spatium unius mensis vel quasi, valeat ad omnes actus Ordinis et gradus etiam abbatialem promoveri.

77. Ad supplicationem abbatis de Caherio dispensat generale Capitulum cum fratre Valterno de Bonsono monacho antedicti monasterii, ut non obstante apostasia quam incurrit per spatium sex dierum, ut ad omnes actus Ordinis et gradus legitimos etiam ad abbatialem statum valeat promoveri.

78. Ut ad omnes actus Ordinis et gradus legitimos valeat promoveri frater Ioannes de Genicuria monachus monasterii de Monasteriis in Argona [v], ut non obstante apostasia quam incurrit per decem annos vel quasi pluribus negotiis implicatus, etiam ad abbatialem statum, dispensat misericorditer generale Capitulum.

79. Ad supplicationem abbatis Firmitatis super Gronam committit generale Capitulum et committendo mandat abbati de Gimundo, quatinus viriliter compellat et compelli faciat auctoritate dicti Capituli generalis omnes abbates nostri Ordinis, quos repererit eidem abbati Firmitatis teneri in pecuniarum summis

---

[v] Arragonia : *JL*[1].

per censuram Ordinis et alias vias iuris opportunas in sui plenaria potestate.

80. Ad supplicationem Guillelmi Deposoliis domicelli, approbat generale Capitulum, ratificat et confirmat Baiuliam quam se dicit habere monasterii Bellaecumbae monialium dioecesis Aniciensis ab abbatissa dicti monasterii et approbatam per abbatem Mansiadae, patrem dicti monasterii Bellaecumbae.

81. Committit generale Capitulum abbatibus de Campis bonis, de Valle benedicta, quatinus personaliter accedant ad monasterium Mansiadae et ibi fideliter ac plenarie se informent an grangiae de Butergiis, de Lichereto, de Saccoburzili sint maioris utilitatis monasterii Mansiadae si tradantur in perpetuam emphiteosim quam sic nunc, et si sic, statutis Ordinis non omissis concedit generale Capitulum plenariam potestatem dictis commissariis praefatas grangias ad emphiteosim perpetuam concedendas.

82. Auditis devotione, affectione, eleemosinis ac recommendationibus affectuosis alti sanguinis et magnae prosapiae domini comitis Astariaci, quas gessit et gerit erga monasterium de Gimundo Cisterciensis Ordinis, Auxitanae dioecesis, gratiose concedit generale Capitulum abbati et conventui de Gimundo licentiam celebrandi annuatim unam missam solemnem in festo beati Martini hiemalis pro antedicto domino comite, eius consorte, filiis praesentibus et futuris ac toto suo genere.

83. Ad supplicationem abbatis de Gimundo approbat generale Capitulum quoddam arrendamentum factum de grangia de Peysiniis per abbatem et conventum monasterii de Fullienchis nostri Cisterciensis Ordinis et Rivensis[w] dioecesis, fratri Arnaldo de Monteacuto monacho antedicti monasterii ad quinquennium, ut patet per publicum instrumentum cui praesentes annexantur.

---

[w] Metensis : *JL*[1]

1403

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo tertio, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro sanctissimo... Benedicto XIII... *etc. ut in ann.* 1401.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES].

6. Abbates Ordinis universi... *etc. ut in anno* 1401, *n*° 6. Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos habet dictum Capitulum excusatos, videlicet de Valle Richerii, de Altofonte, de Laude, de Valcellis, de Capella Thosan, de Claromarisco, de Bodello, de Prulliaco, de Barbello, de Moroliis, de Pietate Dei, de Oratorio, de Persenia, de Trappa, de Trizagio, de Pinu, de Bonavalle in Pictavia, de Valentia, de Bonavalle Viennensi, de Ré, de Gratia Dei, de Charone, de Bullencuria, de Castellariis, de Misericordia Dei Pictaviensi, de Ponte Oltrani, de Mellereio, de Buzayo, de Stella, de Calloviis, de Rupibus, de Fontemorum, de Valle Beatae Mariae, de Bono radio, de Boheriis, de Campania, de Caherio, de Caladia, de Insula Barrensi, de Rigniaco, de Vallibus in Ornesio, de Clarofonte, de Escureyo, de Altacumba, de Altacrista, de Altaripa, de Sancto Sulpitio, de Chassania, de Belloprato in Lotharingia, de Bonomonte, de Alpibus, de Tela, de Signiaco, de Elancio, de Valloriis, de Caricampo, de Regalimonte, de Frigidomonte, de Claritate, de Buxeria Andegavensi, de Barzella, de Pratea, de Oliveto, de Landesio, de Sancto Leonardo.

1403. *Fontes* : *A*[1] : 30, 47 ; *J* : 1-5 *in forma abbrev.*, 6 *citat quatuor primos abb. absentes tant.*, 7-48 ; *L*[1] : 1-48 ; *M* : 9, 10 *in forma abbrev.* ; *P*[2] : 1, 9, 10 *in forma abbrev. W* : 9 *abbrev.* [a] *Titulus apud JL*[1] *tant.*

7. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1402, *n*° 7, *receptoribus additur Procurator generalis in romana curia.*

8. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1390, *n*° 19.

9. Abbates et conventus monasteriorum de Belloprato in Lotharingia, de Vallelucenti, de Noa, de Trappa, de Albis fontibus, de Fonte Ioannis, de Tribus fontibus, de Boheriis, de Altofonte, de Begar, de Bona requie, de Loco regio, de Sancto Leonardo, de Pinu, de Sancto Sulpitio, de Bonofonte, de Stamedio, de Altacrista, de Monte Sanctae Mariae, et personas omnes et singulas... *etc. ut in anno* 1402, *n*° 12.

10. Attestante scriptura sacra, qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis et in die orationis suae exaudietur ; et, qui honorat patrem suum vita vivet longiore ; et, honora patrem tuum ut superveniat tibi benedictio ; et consequenter, gloria, inquit, hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore. Quae de patribus spiritualibus sicut et corporalibus dici vel intelligi satis possunt. Unde et apostolus ad Timotheum scribit : qui bene praesunt presbyteri duplici honore digni habeantur. Ut ergo patribus et superioribus abbatibus, qui subditos suos in tantis et inevitabilibus sollicitudinibus et laboribus, ut constat, notorie gubernarunt et gubernabunt in futurum, vices aliquae impendantur, generale Capitulum ordinat, statuit, ac omnibus et singulis abbatibus et aliis personis regularibus Ordinis nostri, prout eorum quemlibet negotium istud tanget, praecipit et iniungit de cetero in perpetuum ut in omnibus et singulis monasteriis et locis conventualibus ipsius Ordinis ubi primum de cuiuscumque abbatis monasterii Cistercii obitu certitudo claruerit, in quolibet dictorum monasteriorum pro eo solemnes exsequiae, vesperae videlicet seu vigiliae, laudes et missa conventualis alta voce devotius celebrentur. Et donec de ipsius monasterii provisione indubitanter rumor protulerit veritatem, humiles preces fundantur ad Dominum, et apud eum devotis orationibus insistatur, quod provisio celeris, concors et utilis quantocius subsequatur. Et consimiliter per omnia fiat de quatuor primorum abbatum obitu et subsequenda provisione monasteriorum eorum, et etiam de omnibus abbatibus Ordinis habentibus generationem magnam seu parvam in monasteriis subiectis eisdem in eorum generationibus et a personis regularibus eorumdem.

DIFFINITIONES SPECIALES.

11. Tractatum initum super quodam excambio contento in litteris quibus praesens diffinitio inseritur, inter abbatem de Escharleis et suum conventum ex una parte, et venerabilem virum magistrum Ioannem Fagoli, regis Francorum domini nostri clericum et suum receptorem Senonensem ex altera, committit generale Capitulum terminandum per dominum Pontigniaci, s. th. pr. et abbates Ioyaci et de Fonte Ioannis ac quemlibet eorumdem, dum tamen diligenter inquirant, si tractatus huiusmodi secundum Deum et iustitiam riteque ac rationabiliter processerit, quo agnito suas conscientias onerando, auctoritate generalis Capituli eumdem tractatum ratificent, approbent et confirment.

12. Ad petitionem abbatissae et conventus monasterii de Portu regio dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum sororibus Beatrice Fauresse et Pierreta de Himal, suis conmonialibus, ut non obstante quod earum quaelibet fuerit bis convicta de puerperio, ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos admitti valeant, citra tamen abbatialem dignitatem.

13. Si de consensu abbatis et conventus monasterii de Igniaco processerit et dignum iudicaverint fratrem Ioannem de Carbonis monachum dicti monasterii, dispensatur per generale Capitulum ut non obstante quod semel quamdam mulierem famae levis sui monasterii portas introduxisse convictus extiterit, et exinde suspectus de carnali contagio, ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos admittatur, seclusa nihilominus abbatiali dignitate.

14. Cum sorore Quintina de Noroy moniali monasterii de Sarvachiis dispensatur gratiose per generale Capitulum, ut non obstante puerperio pluries post violati propositi discrimen subsecuto, et apostasia propter hoc occasionaliter contracta, ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos admitti valeat, citra nihilominus abbatiatum, attento quod poenitentiam devote peregerit post delictum.

15. Ad idem similiter pro sorore Coleta Dassonville moniali de Farnarsiis [b].

---

[b] Sarnagiis : *L*[1].

16. Quia frater Stephanus Bartholomei monachus Igniaci iuvenilibus in annis Ordinis disciplinam reformidans in suo habitu rediit ad parentes, moram trahens quasi per tres hebdomadas, compassive dispensat generale Capitulum cum eodem, ut hoc non obstante ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos etiam abbatiatum admitti valeat et assumi.

17. De Fusniaco et de Valle clara monasteriorum abbatibus et cuilibet eorumdem in solidum per Capitulum generale committitur, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque quas abbati de Signiaco et conventui vel suis personis teneri vel alias obligatas efficaciter repererint per legitima documenta, coerceant et compellant ad satisfactionem plenariam cum effectu.

18. Dispensatur gratiose per generale Capitulum cum fratre Roberto de Meldis monacho de Longoponte, ut non obstante apostasia quam incurrit per tres dies exeundo monasterium sine licentia, ut ad suos parentes in suo habitu declinaret iuvenilibus in annis et alias quasi per annum derelicto habitu, rigorem disciplinae super quibusdam excessibus reformidans, de et pro quibus tamen poenitentiam condignam peregit, ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos restituatur, citra tamen abbatialem dignitatem.

19. Cum alias fuerit dispensatum per generale Capitulum cum fratre Philippo Piot, monacho Longipontis, ut non obstante apostasia quam incurrerat quasi per annum, regulari habitu derelicto, ad omnes gradus et honores Ordinis citra tamen abbatiatum admitti valeret, gratiam amplians dictum Capitulum concedit praefato Philippo de speciali gratia, ut si sua merita suffragentur in posterum, etiam ad abbatialem dignitatem admitti valeat et assumi.

20. Ad idem et per omnia sicut de isto fiat pro fratre Adam Malin, monacho Longipontis.

21. Committit generale Capitulum abbatibus de Campis bonis, de Valle benedicta et de Bonavalle Ruthenensi, vel eorum duobus, tertio legitime impedito, quatinus personaliter accedant ad monasterium Mansiadae, et ibi fideliter ac plenarie se informent an grangia de Butergiis, de Lichereto et de Saccoburzili sint maioris utilitatis monasterio Mansiadae si tradantur in perpetuam emphiteosim quam sunt nunc, et si sic statutis Ordinis non omissis, concedit generale Capitulum de hinc ad triennium

plenariam potestatem dictis commissariis praefatas grangias ad emphiteosim perpetuam concedendas.

22. Emptio viginti florenorum per abbatem et conventum Bellae vallis acquisitorum facta et annuatim solvendorum in festo Omnium Sanctorum, super quamdam curiam vocatam Fasens et quamdam grangiam Michelebachi nuncupatam ad abbatem et conventum de Lucella spectantibus, nec non super et de omnibus ipsius monasterii de Lucella bonis mobilibus et immobilibus, prout in litteris super hoc confectis,quibus praesens diffinitio annectitur, continetur, si tamen et in quantum alias rite, iuste ac canonice processerit, et facta sit emptio supradicta per generale Capitulum approbatur, ratificatur et irrevocabiliter confirmatur.

23. Fratrum Ioannis Gossé et Nicolai de Sancto Iusto, monachorum de Recluso petitio continebat quod, cum dudum iuvenilibus in annis apostataverunt aliquamdiu religionis habitu derelicto, dignetur de speciali gratia generale Capitulum de sua misericordia impertiri, quatinus hiis non obstantibus ad omnes status et gradus admitterentur. Quapropter concedit idem Capitulum praedictis delinquentibus, si tamen de beneplacito sui abbatis et conventus processerit voluntatis, quatinus ad omnes gradus, status, dignitates et honores Ordinis legitimos admittentur, abbatiali dignitate seclusa.

24. Abbatis de Pinu senio et gravitati compatiens, generale Capitulum ipsum habet a via generalis Capituli de cetero favorabiliter excusatum. — Ad idem de Caherio. — Ad idem de Stella. — Ad idem de Aceyo. — Ad idem de Vallibus in Ornesio.

25. Cum fratre Ioanne Castellani, monacho de Oliveto, qui pluries apostatans etiam irregularitatem incurrit divina celebrando in saeculo, dispensat misericorditer Capitulum generale, ut hoc non obstante ad omnes Ordinis dignitates, citra tamen abbatiatum valeat promoveri.

26. Idem et similiter fiat pro fratre Philippo Gedeti, monacho de Oliveto.

27. Quia frater Ioannes de Montefalconis, monachus de Monasteriis in Argona, pluries convictus fuit de latrocinio et carnis lapsu dum iuvenis esset, et in melius suos mores correxerit, ad petitionem sui abbatis dispensat Capitulum generale, ut hiis non obstantibus valeat ad omnes gradus, status et honores

Ordinis legitimos promoveri, abbatiali nihilominus dignitate seclusa.

28. Reformationem monasterii de Valle benedicta, in quo regulares observantiae prout generalis Capituli pervenit ad aures, pene penitus ruinantur, committit idem Capitulum de Mansiade et de Benedictione Dei monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum, cum omnimoda ipsius Capituli potestate et clausulis opportunis et rationabiliter requisitis.

29. De malo regimine et administratione tam spirituali quam temporali abbatis de Campania, Cenomanensis dioecesis, informatum plenarie generale Capitulum, abbati de Curia Dei licentiato in decretis reformationem dicti monasterii pro ipso anno duxit idem Capitulum specialiter committendum, mandans eidem, praecipiens et iniungens, quatinus ad dictum monasterium personaliter accedens ibidem visitet, corrigat, reformet, statuat, destituat tam in capite quam in membris tam in spiritualibus quam temporalibus quaecumque in eodem instituenda et destituenda, statuenda, corrigenda, visitanda et reformanda viderit secundum Deum, papalia et nostri Ordinis instituta, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Decernens idem Capitulum fratrem Henricum Magistri et Gervasium Songusses monachos praefati monasterii de Campania nullas excommunicationes, infamiae vel alias poenas incurrisse occasione sui adventus ad generale Capitulum vel ad dictum abbatem Curiae Dei reformatorem in illis partibus auctoritate Capituli generalis.

30. Annuens generale Capitulum gratiose petitioni domini Morimundi et sui conventus qua requirunt excambium per ipsos factum perpetuo de quibusdam salis portionibus, censibus redditibus ac haereditagiis, quae habebant sibi non multum utilia in villis, salinis et territoris de Xamey, de Genercourt, de Vico, de Mediano, vico de Marcello, ad abbatem et conventum monasterii Belli prati Tullensis dioecesis, ius et dominium quoddam habebant in praemissis, in manus praedictorum, de Bello prato transferentes pro uno modio salis cum dimidio ad mensuram de Mediano vico, de sale meliori de Mediano vico vel alio aeque bono, quos modium cum dimidio solvere tenentur annuatim monasterio Morimundi in octavis Nativitatis beati Ioannis Baptistae, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, per dictum Capitulum ratificari et confirmari. Cum igitur decer-

nat idem Capitulum dictum excambium fore partibus fructuosum, eapropter illud idem ratificat, approbat et confirmat.

31. Cum fratribus Ioanne Charlot et Ioanne Lucas, monachis Fontis Ioannis, si tamen de suorum abbatis et conventus processerit voluntate, per generale Capitulum dispensatur quod non obstante apostasia quam incurrerunt per modicum temporis in saeculo vagabundi, assumi valeant ad omnes actus, status et honores Ordinis legitimos, citra tamen abbatiatum.

32. Si de consensu processerit et voluntate abbatis et conventus de Begar, dispensatur gratiose per generale Capitulum cum fratre Ioanne Guevenen suo conmonacho, ut non obstante quod ab uno anno citra dicti monasterii gerens claves vinorum, de horreo ipsius unam doliatam bladi extraxerit violenter et in penore cuius claves habebat, animo furandi, reposuerit, cuius facti occasione ad monasterium de Eleemosina fuit missus, eumdem revocat ad proprium monasterium Capitulum memoratum, sibi tribuens de gratia speciali, ut citra dignitatem abbatialem, ad omnes status, gradus et honores Ordinis, legitimos valeat promoveri.

33. Abbatibus de Oratorio et de Chalocheyo et cuilibet eorum in solidum committit generale Capitulum ut si quas Ordinis personas compererint per litteras aut alia documenta legitima teneri abbati et conventui de Melereyo, dictas personas ad solutionem plenariam coerceant per censuram Ordinis in dicti Capituli potestate.

34. Licet iuvenilibus in annis animi ductus levitate frater Ioannes de Modiano Belli prati, Tullensis dioecesis, quasi per annum apostataverit habitu Ordinis incaute derelicto, et postmodum ad cor rediens poenitentiam exinde sibi per suos superiores iniunctam devote peregit, dispensat cum eodem generale Capitulum, si tamen suis abbati et conventui placuerit, ut praemissis non obstantibus valeat ad omnes gradus, status et honores Ordinis promoveri, abbatiali dignitate seclusa.

35. Cum sorore Aegidia de Renis, moniali de Rosariis, dispensat Capitulum generale, ut non obstante violato castitatis proposito, et exinde pluries puerperio subsecuto, admitti valeat ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos, citra nihilominus abbatialem dignitatem.

36. Domino Morimundi committitur per generale Capitulum ut si abbatissam et conventum de Bello monte, Lingonensis dioe-

cesis, teneri fratri Ioanni de Monsterello, monacho Clarifontis, pro suo salario et servitio eisdem per ipsum impenso, eosdem ad satisfactionem plenariam coerceat per censuram Ordinis et alia iuris remedia, prout fuerit rationis.

37. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum et locorum conventualium nostri Ordinis sexus utriusque in regnis et partibus Castellae, Legionis, Navarrae et Portugalliae constitutorum, abbati de Spina et fratri Ioanni de Vega monacho Vallis Dei simul et coniunctim, ...usque ad immediate sequens triennium, ...simul et personaliter accedant, ...De contributionibus... Et specialissime compellendi abbates ad mittendum scolares ad Ordinis studia generalia... Et haec omnia faciant ...Non est tamen intentionis Capituli memorati quod propter ea visitationes patrum abbatum et iura ipsis pertinentia per dictos commissarios ipsius Capituli quomodolibet impediantur. Universis igitur... *etc. ut in forma consueta* ; *cf. ann.* 1401, *n*° 26.

38. Iuxta relationem domini Claraevallis, s. th. pr., patris abbatis monasterii Igniacensis, cui per generale Capitulum anni praeteriti commissum fuerat ut inquireret si traditio in emphiteosim perpetuam cuiusdam domus sitae in civitate Catalaunensi esset ipsi monasterio Igniaci utilis et fructuosa, quam reperit per totum conventum in sua plenaria visitatione ipsis fore perutilem dictae domus traditionem ad emphiteosim, eamdem approbat, confirmat et ratificat Capitulum memoratum.

39. Abbati de Pinu conceditur per generale Capitulum licentia eligendi confessorem idoneum de Ordine quoties voluerit, qui a casibus ipsi Ordini et Capitulo reservatis dictum abbatem absolvat auctoritate dicti Capituli generalis.

40. Abbatem de Varenis per abbatem Curiae Dei reformatorem monasteriorum Ordinis in provincia Bituricensi peremptorie et personaliter ad hoc praesens Capitulum citatum, se visurum deponi a dignitate abbatiali, reputat contumacem Capitulum memoratum, citans eumdem abbatem de Varenis, et per dictum abbatem Curiae Dei citari mandat ad proximum generale Capitulum, causas suae absentiae allegaturum, seque visurum deponi, et ulterius contra ipsum procedi ut fuerit rationis, cum intimatione quod, sive venerit sive non, procedet ad dictam depositionem et alias contra praefatum abbatem de Varenis dictum Capitulum, iustitia suadente.

41. Conceditur per generale Capitulum de Fonte Ioannis et de Rupibus monasteriorum abbatibus de speciali gratia, quatinus non obstantibus diffinitionibus, ipsi duo pariter mittant et habeant Parisius unum scolarem, ita tamen quod iuxta statuta papalia taliter provideant misso vel mittendo scolari de suis monasteriis in victu, vestitu et libris, quatinus merito causam non habeant de ipsis conquerendi, vel alias contra ipsos procedendi Capitulum memoratum.

42. Domino Claraevallis, s. th. pr. et abbati de Caroloco seu alteri eorumdem committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas monasterio Morimundi vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas esse repererint per litteras vel alia documenta legitima, ad satisfactionem plenariam coerceant et compellant.

43. Abbatibus de Prulliaco et de Recluso seu alteri eorumdem committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas monasterio Ioyaci vel personis... *etc. ut supra nº praeced.*

44. Domino Morimundi et abbati de Crista seu alteri eorum committitur... monasterio Claraevallis... *etc. ut supra nº* 43.

45. Supplicationem abbatis et conventus monasterii de Quinciaco admittens Capitulum generale, qua supplicant ipsis dari licentiam vendendi quoddam parvum passagium suum a Ghamprei super Yonam praedictis abbati et conventui, ut asserunt, penitus inutile et damnosum, domino Pontigniaci, s. th. pr., committit idem Capitulum ut super hiis diligenter informatus, si venditionem huiusmodi repererit monasterio praedicto fore fructuosam ac si et in quantum alias rite et canonice processerit, petitam licentiam conferat auctoritate Capituli memorati.

46. Cum frater Michael Bussoneau, monachus monasterii de Buzayo cuidam mulieri solutae se adhaeserit, eam in quadam grangia praedicti monasterii per aliqua tempora detinendo, et ex ea habuit aliquos infantes, nunquam autem et ab octo annis citra vivit et vixit continenter et honeste, cum delicti prioris tristitiam et dolorem supportat, quatinus cum eodem nunc dispensetur, eapropter cum praedicto fratre Michaele per Capitulum generale dispensatur, ut praedictis non obstantibus, si de sui abbatis et conventus consensu processerit, ad omnes actus et

gradus Ordinis legitimos valeat promoveri, citra tamen abbatialem dignitatem.

47. Sententias excommunicationis dudum latas in abbatem de Dunis et abbatissam de Felinis per abbates Ygniaci, Vallis clarae ac Vallis regis occasione reformationis sibi traditae ad monasterium praefatum de Marketa, declarat et iudicat nullas fuisse tamquam contra iuris ordinem latas, generale Capitulum decernens eosdem nullam excommunicationis sententiam propterea incurrisse, volens, praecipiens et iniungens ultimo praedictis Ygniaci, Vallis clarae ac Vallis regis monasteriorum abbatibus, quatinus reverenter suum patrem abbatem dominum Claraevallis, s. th. pr., quem propterea turbaverunt, pacificent, eidem reverentiam et honorem impendentes de cetero sicut debent ; et quia praedicti abbates iuris ignari simpliciter erraverunt in praemissis, idem Capitulum eis compatiens remittit et quittat omnia quae propterea requirebantur ab ipsis expensae factae per abbates memoratos, ratione reformationis monasterii de Marketa, remanent in dispositione domini Claraevallis.

48. Cum lis et controversia iam a longo tempore fuisset exorta, praesumpta diutius prolongari nisi de remedio opportuno provideretur, inter abbatem et conventum monasterii Albae ripae actores ex una parte, et abbatem et conventum Longivadi reos ex altera parte, de et super eo quod dicti Albaeripenses requirebant instantissime a Longivadensibus 20 sextarios medietatem bladi et medietatem avenae in granario Longivadi, occasione decimarum Latriceri annuatim per eos e debito recipiendos, ut dicebant, infra festum beati Andreae apostoli annuatim, aliis de Longovado renitentibus et asserentibus quod quamvis prioribus per compositionem factam ex ordinatione bonae memoriae domini Radulphi, olim abbatis Claraevallis, solvere promisissent dictos 20 sextarios in recompensationem certae portionis dictarum decimarum quam in dictis decimis dicebant se habere Albaeripenses, et ab ipsis concorditer habuerunt Longivadenses pro pretio dictorum 20 sextariorum sub hoc pacto, ut quousque per dominum Claraevallis vel suum cellerarium pro tempore, aut per eorum ordinationem fuisset alibi iuxta aliquam portionem, quam habere se dicebant Albaeripenses in dicto decimo per Longivadenses fuisset assignata rei, unde solutio praedictae portionis possit haberi vel persolvi. Cum igitur praefatam controversiam velit generale Capitulum per ipsius Ordinis personas et non alias

tractari, eapropter domino Claraevallis committitur per ipsum generale Capitulum, quatinus se informet diligenter de portione praedicta, coercendo abbatem et conventum Albae ripae et ipsius conventus personas singulares de dicta portione, quam super decimas Latriceri habere se dicebant, et iuxta Capituli ordinationem, quam asserunt, vel suam portionem quam dicunt se habere Albaeripenses in dicta decima recipere et habere, vel iuxta receptionem dictarum decimarum pro dicta portione a medio 30 annorum citra valorem infallibiliter reportare, prout etiam in litteris dicti domini Radulphi continetur. De quorum omnium concernentia veritate comperta iuxta dicti generalis Capituli ordinationem ac secundum Deum, conscientiae dictamen ac rationis aequilibram partibus faciat iustitiae complementum, vice et auctoritate dicti Capituli generalis.

1404

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quarto, statuta sunt haec apud Cistercium, in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro sanctissimo in Christo patre ac domino domino Benedicto divina Providentia Papa XIII, ...*etc. ut in anno* 1401.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Abbates Ordinis universi... *etc. ut in anno* 1401, *n*º 6.
Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos habet dictum Capitulum excusatos, videlicet de Altaripa, de Alpibus, de Sancto Sulpitio, de Alta cumba, de Caheyrio, de Chassenia, de Bullen

1404. *Fontes* : A^1 : 39 ; *J* : 1-5 *in forma abbrev.*, 6-42 ; L^1 : 1-42 ; *M* : 21, 32, 37 *abbrev.* ; P^2 : 1, 21, 32, 37 ; *W* : 21. [a] *Titulus apud* JL^1 *tant.*

curia, de Alto fonte, de Tribus fontibus, de Castellione in Vepria, de Caladia, de Calercio, de Valle clara, de Signiaco, de Boheriis, de Vaucellis, de Bodelo, de Capella Tosan, de Claromarisco, de Laude, de Longo villari, de Grandisilva, de Caroloco, de Bella pertica, de Caroliloco, de Sancto Benedicto in Vepria, de Escureyo, de Bona valle Viennensi, de Brolio Grolandi, de Charone, de Buzeyo, de Moroliis, de Trizagio, de Gratia Dei, de Ellancio, de Valle Sarnaii, de Persenia, de Bello becco, de Buxeria Andegavensi, de Briostello, de Valle Sanctae Mariae, de Leoncello, de Frigido monte, de Caricampo, de Bello prato Belvacensi, de Valloliis, de Loco crescenti, de Valle benedicta, de Bello prato in Lotharingia, de Eleemosina, de Benedictione Dei, de Landesio, de Valentia, de Chalocheyo, de Domo Dei super Carum, de Alta Crista, de Monte Sanctae Mariae, de Thela, de Bella pertica, de Misericordia Dei, de Castellariis, de Oratorio, de Colomba, de Oliveto, de Pratea, de Barzella, de Rupibus, de Ré, de Claritate.

7. Cum Ordo noster Cisterciensis... *ut in anno* 1402, *n*° 7.

8. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1390, *n*° 19.

9. Abbates et conventus monasteriorum de Gratia Dei Pictaviensis, de Bona valle Pictaviensis, de Bona valle Viennensis, de Begar, de Relech, de Veteri villa, de Trizagio, de Castellariis, de Valentia, de Nigro lacu, de Loco regio, de Caricampo, de Barbereyo, de Fonte Ioannis, de Balerna, de Monte Sanctae Mariae, de Fontanis, de Bona cumba, de Petra, de Rota, de Lavatio, de Verola, de Benifazano, de Regali Maioricensi, de Orta, de Obazina, de Bona valle Ruthinensi, de Sancto Bernardo prope Valentiam, de Mansiade, de Campis bonis, de Curia Dei, de Eleemosina, de Oratorio, de Sancto Andrea, de Pietate Dei, de Alba ripa, de Pinu, de Loco Dei, de Pratea, de Fonteneto, de Tribus fontibus, de Rigniaco, de Caroloco, de Bonomonte, de Altaripa, de Benedictione Dei, de Camberone, de Vallibus Sernaii, de Bello becco, de Brolio, de Longo villari, de Caladia, de Monasteriis in Argona, de Alto fonte, de Precibus, de Caherio, de Bodelo, de Cheminione, de Eschalleis, de Valle regis, de Villa nova, de Alba petra, de Theoloco, de Insula Barrensi, de Bona requie, de Ponte Oltrani ac de Igniaco, et personas omnes et singulas... *etc. ut in anno* 1402, *n*° 12.

DIFFINITIONES SPECIALES.

10. Generale Capitulum constituit et ordinat specialiter et expresse generalem procuratorem Ordinis s. th. pr., in curia romana, qui nunc est, et pro tempore fuerit, receptorem contributionum per ipsum generale Capitulum impositarum et imponendarum, pro tempore praeterito debitarum, et pro praesenti et futuro tempore debendarum per abbates et conventus monasteriorum tantummodo et dumtaxat infrascriptorum in regnis et dominiis Castellae, Arragoniae, Portugalliae, Navarrae atque occitana lingua, videlicet, de Obesina, de Scarpio, de Sinaqua, de Valle magna, de Valleta, de Varensi, de Ardorello, de Bono loco Lemovicensi, de Bono loco Burdigalensi, de Caduino, de Dalone, de Bello loco in Vasconia, de Bella pertica, de Benifazano, de Bona cumba, de Calercio, de Candelio, de Fonte frigido, de Grandisilva, de Lapedine in Hispania, de Melone, de Mela, de Montefero, de Morerola, de Nucharia, de Oya, de Oliva, de Palatiolo, de Petra, de Populeto, de Regali filia Populeti, de Saltu novali, de Sancta Fide in Arragonia, de Sancto Christophoro, de Sancta Maria de Aquilis, de Sanctis Crucibus, de Spina, de Superado, de Valle debona, de Valle ecclesiarum, de Valle digna, de Valle paradisi, de Viridi ligno, de Ursaria, de Elnis in Vasconia, de Aquabella, de Berdonis, de Benedictione Dei in Vasconia, de Bonofonte in Vasconia, de Bocheto, de Bona valle in Hispania, de Borbona, de Boilhanis, de Ferraria, de Florano, de Franquis vallibus, de Fulentio in Vasconia, de Gemundo, de Mataplana, de Monte salutis, de Oliva, de Ovila, de Rivosicco, de Rota, de Sacramenia, de Scala Dei, de Silvacana, de Valledore, de Valle bona et de Villa longa, praecipiens eidem procuratori dictum Capitulum generale et firmiter iniungens per se vel alium seu alios repetat, levet, exigat et recipiat, et ad solvendum per abbates et conventus dictorum monasteriorum per censuram Ordinis viriliter et debite coerceat et compellat. Et de pecuniis inde recipiendis satisfaciat reverendissimo in Christo patre et domino domino cardinali Saluciarum, Ordinis nostri protectori, de hiis quae sibi debentur et debebuntur pro pensione ad causam dictam protectoratus. Et ipse etiam procurator accipiat inde quae sibi debebuntur ratione salarii seu pensionis ex dicti officii sui causa, reddatque omni anno per se vel per alium de receptis et expensis per eum in praemissis fidelem rationem, et debite

computet singulis annis in Capitulo generali. Potestates autem datas quibuscumque abbatibus et personis regnorum Castellae, Arragoniae, Navarrae et Portugalliae, de et super hiis et pro dictis contributionibus recipiendis, revocat penitus et annullat dictum Capitulum generale. Compellat etiam et coerceat viriliter et alacriter abbates et alios receptores dictarum contributionum in dictis regnis ad reddendum compūtum et rationem de receptis per eos et ad tradendum et solvendum sibi pecunias per eos de et super hoc integraliter receptas, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

11. Ex relatione domini Claraevallis, s. th. pr., per informationem auctoritate Capituli generalis in sua visitatione ordinaria factam in monasterio Longipontis immediate sibi subiecto, tractatum habitum et factum per abbatem et conventum dicti monasterii Longipontis super traditione in emphiteosim perpetuam cuiusdam suae domus, quam habebant Parisius sitam in Gravia iuxta ecclesiam Sancti Gervasii, cum Petro de Sancto Adomaro pro pretio viginti librarum parisiensium annuatim, asserentis fore ipsi monasterio fructuosum, admittens praefatum Capitulum ipsum ratificat, approbat et confirmat.

12. Cum alias fuerit dispensatum per generale Capitulum cum Laurentio Deodati monacho et professo monasterii Mortuimaris, ut non obstante apostasia quam incurrit per saeculum aliquamdiu evagando, ad omnes gradus et honores, citra tamen abbatiatum, admitti valeat, gratiam amplians idem Capitulum praefato Laurentio de speciali gratia concedit ut, si sua merita suffragentur, in posterum etiam ad abbatialem dignitatem admitti valeat et assumi.

13. Similem gratiam confert in forma consueta generale Capitulum fratribus Ioanni Hennequini et Guerino de Bormonte, monachis monasterii Morimundi.

14. Ut coerceant et compellant ad satisfactionem plenariam debitores et singulares personas sexus utriusque, si quas repererint, monasterio Claraevallis per litteras vel alia documenta legitima fore obligatas, domino Morimundi et abbati de Crista et cuilibet eorum comittitur per Capitulum generale.

15. Si repererint per litteras aut aliter monasterio Firmitatis coniunctim vel divisim quascumque personas Ordinis obligari, ad satisfaciendum plenarie per censuram Ordinis coerceant,

domino Claraevallis, s. th. pr., et abbati de Maceriis, seu alteri eorumdem per generale Capitulum committitur ista vice.

16. Senio et debilitate abbatis de Bonomonte attentis, cordialiter a via Capituli generalis ipsum habet dictum Capitulum de cetero favorabiliter excusatum.

17. De Caroloco et de Crista monasteriorum abbatibus et cuilibet eorum in solidum committitur per generale Capitulum quod, si repererint per legitima documenta vel aliter quascumque Ordinis personas sexus utriusque domino abbati et conventui Morimundi teneri et efficaciter obligari, ad solutionem plenariam per censuram Ordinis coerceant et compellant.

18. Ut cum suis monachis et conversis in foro conscientiae dispensandi potestatem habeat et eos absolvendi a quibuscumque sententiis et casibus generali Capitulo reservatis, abbati de Signiaco, pro anno praesenti dumtaxat, dictum Capitulum tribuit potestatem.

19. Abbatibus de Fusniaco et de Valle clara et cuilibet eorum committitur per generale Capitulum quod, si quascumque personas Ordinis sexus utriusque obligatas repererint quoquomodo monasterio et conventui de Signiaco, ad satisfaciendum coerceant et compellant.

20. Similiter pro abbate et conventu de Vallibus in Ornesio, et est iudex abbas de Crista.

21. Cum abbas et conventus de Capella Thosan ignorantes Ioannem Vos, filium Victoris, clericum non esse de legitimo matrimonio procreatum, ipsum receperunt ad habitum novitii, post cuius habitus receptionem ad eos notitia pervenit ipsum non fore legitimum, nihilominus attenta sufficientia et idoneitate dicti Ioannis, Capitulum generale concedit eidem abbati licentiam dictum Ioannem recipiendi ad habitum et regularem professionem.

22. Cum prout generali Capitulo reseratum extitit, abbas et monasterium de Bono fonte in Terascia in quamplurimis sint contributionum arreragiis onerata, ad quorum solutionem se asserunt esse impotentes, alias multipliciter pergravati, eorumdem impotentiae generale Capitulum compatiens eisdem de gratia speciali dicta arreragia quittat, remittit atque donat.

23. Ad idem et per omnia fiat pro abbate et conventu monasterii de Longovillari.

24. Ad idem pro abbate et conventu monasterii de Boheriis.

25. Ad idem pro abbate et conventu monasterii de Castellione in Vepria.

26. De Gardo, de Caricampo, de Valloliis monasteriorum abbatibus et cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum quatinus, si repererint per legitima documenta aut aliter, reverendo in Christo patri domino abbati Cistercii et eius conventui, abbatissam et conventum monasterii monialium de Villencuria et suum conventum teneri et efficaciter obligari in summa sexdecim librarum parisiensium vel alia quam eisdem concessit frater quondam Ioannes de Portu monachus dicti monasterii Cistercii, ad solutionem plenariam de praemissis per censuram Ordinis et alia iuris remedia coerceant et compellant.

27. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Bello becco conceditur per generale Capitulum fratri Roberto Roberii suo conmonacho qui, procurante diabolo, apostasiam perpetravit, monasterii limites exeundo licet modico tempore, ut non obstante dicta apostasia ad omnes actus, gradus et status Ordinis legitimos admittatur etiam abbatiatum.

28. Si permutationem quorumdam nemorum, quae Boscus de Huart vulgariter nuncupantur, ad abbatem et conventum monasterii de Fonte Ioannis spectantium, cum decano et capitulo ecclesiae Beatae Mariae de Monsterello in Fulioyvone qui super decimis parochiae de Villemer ad dictos de Fonte Ioannis pertinentibus, et super omnibus eiusdem monasterii proventibus, octo modios gravi tertiatim siliginis, hordei et avenae ad mensuram de Nemosio annuatim percipiunt ad ipsos octo modios, iam factam, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, aut etiam in posterum rationabiliter faciendam, domino Pontigniaci, s. th. pr., praemissa inquisitione constiterit ad utilitatem monasterii supradicti de Fonte Ioannis cedere, eamdem confirmet, ratificet et approbet auctoritate Capituli generalis, sic tamen quod dicti de Fonte Ioannis a solutione octo modiorum praedictorum quitti de cetero remaneant et immunes.

29. Pernitiosae rebellionis et apostasiae contumaciam fratris Guillelmi Sioleti, monachi monasterii de Bono loco, qui in animae suae detrimentum et Ordinis dedecus a monasterio praedicto contra abbatis sui voluntatem recessit apostatando et iam prope monasterium evagari non verens, iam diu est, et adhuc evagari non cessat, suoque abbati protervus existens eidem opprobriose minas infert tam per se quam per quosdam nobiles de

patria, quibus apodiatus abiicit et contemnit totius Ordinis disciplinam, et ut paucis verbis concluantur multa, nec Deum timet nec hominem reveretur, detestans Capitulum generale, dicti monasterii de Bono loco abbati praecipue necnon ceteris Ordinis omnibus et singulis abbatibus super hoc requirendis et ad quos haec praesens diffinitio pervenerit, idem Capitulum praecipit districtius et iniungit, quatinus dictum fratrem Guillelmum Sioleti apostatam et consequenter excommunicatum publice denuntient, ipsumque evitent ac ab aliis faciant, prout est possibile fuerit, evitari, ipsumque nihilominus si eum apprehendere potuerint, capiant, captumque vinculis fortibus et competentibus et carceribus suis detrudant et detineant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

30. Domino de Pontigniaco, s. th. pr., et de Curia Dei monasteriorum abbatibus per Capitulum generale committitur quod, si invenerint assignationem 24 librarum parisiensium per conventum monasterii Sacraecellae pro eorumdem conventus indumentis, per quemdam ipsius monasterii abbatem nuper factam, dicto monasterio Sacraecellae inutilem fore, ipsam irritent, confirmatione quacumque super huiusmodi assignatione non obstante.

31. Ad petitionem abbatis et conventus de Gardo, Ambianensis dioecesis, abbati de Belloprato, s. th. pr., generale Capitulum committit quod si, debita inquisitione praecedente et vocatis evocandis, eidem innotuerit abbatem et conventum de Longo villari eisdem de Gardo teneri et esse efficaciter obligatos in summa 16 librarum parisiensium, causa et ratione mutui dictis de Longo villari per eosdem de Gardo facti de resta et residuo maioris summae, ipsos de Longo villari coerceat et compellat dictam pecuniae summam solvere et reddere praefatis de Gardo per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, in plenaria Ordinis potestate.

32. Pestiferae desolationi quam hostes regni Franciae, Anglici videlicet anno isto bina vice Insulae de Re, in qua quoddam monasterium Ordinis nostri vocatum monasterium de Ré situatur, fecerunt, domos eiusdem insulae comburendo ipsamque ad importabiles pecuniae summas redimendo, occasione cuius dictum monasterium de Ré fuit et est multipliciter pergravatum, sicque quotas contributionum sibi impositarum anno elapso nequeat solvere Capitulo generali, idem Capitulum generale

compatiens piae caritatis affectu, dicto monasterio de Ré quotas contributionis sibi in ultimo Capitulo generali impositas et praesenti Capitulo imponendas quittat et remittit de gratia speciali.

33. Petitioni abbatissae et conventus monasterii de Gomerfonte annuens generale Capitulum, de Voto et de Belloprato Belvacensis dioecesis monasteriorum abbatibus, s. th. pr., et eorum cuilibet committit et iniungit, quatinus si per inquisitionem debite factam eisdem vel eorumdem alteri constiterit, compositionem et transactionem inter dictas abbatissam et conventum Sancti Germerii de Fleyerio de, in, et super eo, quod dicti abbas et conventus 50 eminas multurae super dictarum de Gomerfonte molendino eiusque pertinentiis habebant et percipiebant de redditu annuali, quod quidem molendinum praedictam bladi quantitatem non valet de praesenti, quamobrem dictae de Gomerfonte ipsi molendino renuntiare, ipsumque dictis abbati et conventui Germerii relinquere satagebant pro onere supradicto, quam renuntiationem dictis religiosis refutantibus eisdem de eorum consensu 34 eminas bladi pro et loco 52 eminarum super tribus modiis quos dictae de Gomerfonte annis singulis in festo beati Remigii super dictorum religiosorum grangia Defay nuncupata in diminutionem et defalcationem dictorum trium modiorum, quos dictae de Gomerfonte habebant in grangia supradicta perpetuo assignarunt irritas et factas, sicut in litteris dictarum impositionis et transactionis plenius continetur, ipsi monasterio de Gomerfonte existere fructuosam, easdem, approbent et ratificent auctoritate generalis Capituli, et faciant super hoc auctoritate praedicta quod fuerit rationis, sine ulteriori relatione ipsi Capitulo facienda.

34. Gratiose concedit generale Capitulum abbati de Grandisilva ut cum fratribus Bernardo Bernia, Petro Piga et Ioanne de Podio, qui diabolo instigante aliquamdiu discurrerunt per saeculum vagabundi, et postmodum revertentes a saeculo poenitentiam eisdem iniunctam in spiritu humilitatis et animo contrito peregerunt, valeat, si aliud non obsistat canonicum, dispensare, eosque ut ad honores, administrationes et dignitates omnes Ordinis promoveri valeant, habilitare.

35. De Buzeyo, de Chalocheyo, de Claromonte, et de Melereyo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum generale Capitulum committit omnes causas et controversias civiles, quas abbas et conventus de Oratorio movere intendunt contra quas-

cumque personas Ordinis sexus utriusque, etiam si dignitatis abbatialis praefulgeant praerogativa, mandans eisdem commissariis et cuilibet eorum ac praecipiens quatinus inter partes, ipsis auditis simpliciter et de plano et sine strepitu iudicii et figura procedendi, iustitia mediante et statutis Ordinis observatis, faciant iustitiae compendiosum complementum, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

36. Ad idem de abbate et conventu Albaeripae, quibus dantur iudices dominus Claraevallis, de Theoloco et de Crista monasteriorum abbates et eorum quilibet.

37. Reformationem omnium ...*etc.*, in totali generatione mediata vel immediata domini Pontigniaci, necnon in Pictaviae, Britanniae, Andegaviae et Cenomanniae partibus, cuiuscumque generationis existant, in quibus, prout ad generalis Capituli pervenit auditum, sunt plura reformanda, eidem domino Pontigniaci, s. th. pr., per se vel... *etc.*, per continuum triennium... *etc.*, ut in anno 1402, nº 27.

38. Ut non obstante apostasia qua frater Petrus Ayeta monachus Belli loci contraxit biennio per saeculum vagabundus, ad actus legitimos, honores et dignitates valeat promoveri, generale Capitulum dispensat, abbatiali dignitate seclusa

39. Morum honestate, competenti litteratura et idoneitate fratris Bernardi Romani conversi monasterii de Bella pertica ad generale Capitulum perlati, idem Capitulum cum eo misericorditer dispensat ut ad monachatum ascendere, et ad omnes Ordinis gradus etiam sacros promoveri valeat pos modum, si alias sua merita suffragentur et aliud canonicum non obsistat.

40. Cum alias cum fratribus Ioanne de Germanvilla [illegible]o, Guarino de Bormonte, et Ioanne Henequini, monachis Morimundi fuerit per generale Capitulum dispensatum, ut infamia quam contraxerant per saeculum evagando, habitu regulari derelicto, non obstante possent ad omnes actus legitimos et dignitates assumi, abbatiali dignitate exclusa, eorum laudabilis vita et honestas conversatio promeretur ut amplioris gratiae dono gaudere debeant et potiori ; hac causa generale Capitulum permotum eisdem concedit de gratia speciali ut ad omnes dignitates et honores etiam si abbatialis existat, si aliud canonicum non obviet, valeant promoveri, dicta apostasia non obstante.

41. Ordinationi abbatis et conventus monasterii de Pinu, qui nobili viro domino Ioanni de Corseyo militi quittaverunt et con-

cesserunt quadringentis scutis auri, viginti sextarios siliginis, undecim sextarios frumenti et tredecim sextarios avenae cum centum solidis turonensibus, quas grani quantitates et pecuniae summam iidem de Pinu percipiebant et habebant de annuo et perpetuo redditu super quibusdam terris, locis et rebus aliis ad dictum nobilem spectantibus, prout et quemadmodum in litteris super hoc confectis aut etiam conficiendis, prout poterit plenius apparere, consentiens Capitulum generale, ipsam ordinationem attentis causis in ipsis expressis ratificat, approbat et confirmat, proviso tamen et non aliter quod praescripta pecunia sub quatuor vel tribus serraturis sub bona custodia tute et secure, sicut cavetur in statutis domini Benedicti Papae XII reponatur, in emptionem aliorum redditudum et non alias convertenda, quos quidem redditus usque ad valorem et aestimationem quantitatum grani et pecuniae supradictorum tenebitur admortizare omnino vel facere admortizari modo consimili nobilis supradictus, et ad hoc se et sua atque suos haeredes et causam ab eo habentes et habituros efficaciter obligabit.

42. Grandi suborta coram Diffinitoribus Capituli generalis dissensionis materia inter abbatem et conventum monasterii de Albaripa, et abbatem et conventum de Longovado, ex, et super eo quod dicti Albaeripenses a praedictis de Longovado 20 sextarios per medium frumenti et avenae ad mensuram de Latricerio [b] petebant dicentes se ius habere ipsos percipiendi in, et super granario sex horreo praedictorum de Longovado ratione decimarum de Latricerio [b] ad ipsos Albaeripenses olim pertinentium et per ordinationem domini Radulphi quondam abbatis Claraevallis translatarum pro 20 sextariis praelibatis tamdiu per ipsos Albaeripenses in ipsorum de Longovado horreo percipiendis, donec tantum bladi et avenae eisdem Albaeripensibus fuisset assignatum alibi quantum tota illa decima de Latricerio [b] nunc valet, aut saltem usque ad valorem 20 sextariorum praedictorum, et de huiusmodi redditus perceptione se dicebant hactenus usos fuisse et esse in pacifica possessione, concludendos dictos de Longovado ad solvendum arreragia ipsis Albaeripensibus ratione dicti redditus per triennium non soluti, per ipsum Capitulum generale debere condemnari, memoratis de Longovado contrarium dicentibus et asserentibus quod cum olim ex

---

[b] Latercerio : L^1.

largitione domini Hugonis de Sancto Benigno et Margaritae eius consortis tertia pars decimae praedictis de Latricerio tantummodo ad dictos Albaeripenses quondam pertinent et pro illius partis tertiae decimae portione in dominium illorum de Longovado translata per ordinationem praedicti domini Radulphi Claraevallensis, per eumdem praedicti 20 sextarii assignati fuerunt tamdiu per dictos Albaeripenses percipiendi, ut praefertur, donec ipsi de Longovado infra quatuor leucas duxerint assignandum. Et quia iidem de Longovado dictae tertiae partis decimae portionem eisdem Albaeripensibus dimittere aut valorem ipsius alibi parati erant assignare iuxta praefati domini Radulphi ordinationem, ad solvendum dictos sextarios nequaquam debeant compelli. Capitulum generale lites et debatum quae super huiusmodi dissensione praeclari diutius miserabiliter circumdebantur, cupiens amputari, matura ac digesta super hoc deliberatione praehabita iudicat, ordinat et diffinit quod tota decima praedicti loci de Latricerio penes illos de Longovado perpetuo remanente, saepe nominati Albaeripenses pro 20 sextariis praedictis quos diutius super horreo dictorum de Longovado perceperant decem sextarios per medium frumenti et avenae recipiant tantummodo deinceps et in perpetuum super omnibus ipsius monasterii de Longovado redditibus et revenientibus et ad mensuram de Latricerio supradictam de perpetuo annuoque redditu in festo beati Andreae percipient et habebunt. De arreragiis autem quae ipsis Albaeripensibus occasione dicti redditus non solutis a tempore transacto usque nunc, ita per idem Capitulum generale ordinatur, quod iidem Albaeripenses 40 sextarios grani saepedicti a decimis de Longovado habebunt et percipient in quatuor terminis festi beati Andreae apostoli proximo secuturis, quolibet videlicet termino decem sextarios una cum reditu memorato decem sextarios praedictos. Et per hanc generalis Capituli ordinationem omnes litterae tum dicti domini Radulphi et Hugonis Lingonensis quondam episcopi et aliae quaecumque, quae diffinitioni huic obviare possent quovis modo, per idem Capitulum decernuntur irritae et inanes. Postremo per ipsum Capitulum diffinitur quod praedictae ambae partes dabunt una alteri habere volenti et requirenti litteras obligatorias mobilium et immobilium bonorum ipsorum monasteriorum, sigillis abbatum et conventuum monasteriorum praedictorum sigillatas, de servando inviolabiliter et implendo omnia praemissa et quodlibet praemissorum.

1405

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinto, die undecima septembris statuta sunt haec apud Cistercium, in ipsius Ordinis Cisterciensis Capitulo generali.

[DIFFINITIONES GENERALES.]

1. In primis, circa reformationem studiorum Ordinis generalium maxime Parisiensis, quod esse dignoscitur splendor et speculum Ordinis universi, eo libentius vacat et intendit Capitulum quo divinae Maiestati sanctaeque romanae Curiae traditur acceptius ac uberioris et utilioris fructus honoris et honestatis exinde proveniunt et ulterius sperantur eidem Ordini provenire. Cum itaque felicis et sanctae recordationis dominus Benedictus Papa XII huius nominis, materiam praebere cupiens ut Ordinis nostri professores per sacrae theologiae studium erudiantur, et in Ecclesia Dei salutares fructus, agricola caelesti rigante, producant, matura deliberatione statuerit, ordinaverit et disposuerit pro suo et postero tempore, quod de quolibet monasterio praedicti Ordinis cuiuscumque provinciae seu generationis, in quo forent vel esse possent quadraginta monachi, ad ipsum parisiense studium duo mitti debeant ; de quolibet vero monasterio in quo forent vel esse possent triginta monachi, ad idem studium parisiense debeat unus mitti ; et de quolibet monasterio in quo forent vel esse possent octodecim monachi et supra usque ad triginta exclusive ad generalia studia, vel Parisius, si mittentes maluerint, debeat similiter unus mitti ; quodque scolares praedictos cum bursis ac provisionibus moderatis et competentibus abbates ipsorum monasteriorum sumptibus eorumdem et statutis terminis ad ipsa studia mittere tenerentur. Et ut ipsi... *etc. ut in anno* 1390, *n*° 14 (t. III, p. 585).

2. Item, cum studium Sancti Bernardi Parisius inter alia

1405. *Fontes*: A^1 : 3, 8, 11, 14, 19 ; J : 1-31 ; L^1 : 1-31 ; M : 1, 2, 4, 5, 18, 29 ; P^2 : 1, 2, 4, 5, 15, 18, 29.

[a] *Titulus apud* JL^1 *tant.* ; *apud* P^2 *legitur in margine* : Innocentio VII Papa, Joanne VI abb. Cister. 37.

sit flos, decus et ornamentum speciale totius Ordinis, providere cupiens ut regente, baccalariis idoneisque personis et sufficientibus ad honorem Domini Dei et ipsius Ordinis continue fulciatur, ut decet, generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod ex nunc et in futurum quicumque Bibliam aut Sententias legere voluerint in eodem, priusquam ad huiusmodi lecturas ordinentur, aut eis concedatur legendi licentia, iuramentum solemne coram testibus et publico notario praestare teneantur, et instrumentum super huius praestationis iuramenti publicum dare vel mittere domino Cistercii penes ipsum remanendum, quod nec ante nec post adeptum in dicto studio quemcumque gradum per se vel per alium procurabunt vel impetrabunt, nec procurari aut impetrari consentient vel acceptabunt absque licentia speciali domini Cisterciensis, qui nunc est aut fuerit pro tempore, ut promoveantur ad abbatiatum vel alium quemcumque statum antequam regentiae tempus compleverint in eodem studio consuetum, nisi tamen infra dictum tempus canonice sint electi, vel patrum abbatum auctoritate promoti. Qui vero iam sunt ordinati actu legentes, et qui iam legerunt nullatenus praesententur ad licentiam, nec aliquid pro lecturis ab Ordine recipiant, donec praedictum iuramentum praestiterint et super hoc, et dictum est, domino Cistercii publicum tradiderint instrumentum. Baccalarii autem cursores, postquam suae lecturae compleverint, nisi sint ad legendum Sententias deputati, ad propria monasteria sub excommunicationis latae sententiae poena redeant infra annum.

3. Item, quia religiosi decentius multo religiosiusque simul vivere possunt quam inter saeculares permixti, dicente Psalmista : quam bonum est fratres habitare in unum, praesertim cum non minus vita, moribus et conversatione quam habitu differre debemus ab aliis, generale Capitulum statuendo diffiniens omnibus et singulis abbatibus et personis regularibus Ordinis universi nunc vel futuro tempore Tolosae in quacumque Facultate studentibus, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena dictrictius inhibet ne quamdiu studentes erunt ibidem in dicta civitate, maneant aut suam communem faciant residentiam extra domum Ordinis ab antiquo tempore specialiter deputatam, cuius domus deputatae studentibus aedificia declarat et decernit idem Capitulum sumptibus eorumdem studentium reparanda.

4. Item, nonnullorum Ordinis se iactantium obtinuisse licentiam in romana Curia ut iura canonica studere valeant et audire, temerarium ausum refrenare satagens Capitulum generale, districtius inhibet etiam sub excommunicationis latae sententiae poena, ne quae de cetero praefati Ordinis persona cuiuscumque status aut conditionis existat, iura canonica studere aut audire praesumat in quocumque studio, nisi prius de huiusmodi licentia dominum Cistercii reddiderit certiorem.

5. Item, cum multoties quampluribus Ordinis monasteriis et locis retroactis acciderit temporibus, ut dum scolares de dictis monasteriis vel locis Parisius vel alibi mitterentur ad studium, per favores inordinatos, carne et sanguine revelantibus, ignari et inhabiles [b] deputarentur, et adeo ut qui rudes et inepti, vacantes otio et a studio declinantes, velut animales bestiae ducebantur, reverterentur brutalibus rudiores, tantae abusionis decursum abolere cupiens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit ut quoties de quocumque Ordinis monasterio scolaris mittetur Parisius vel alibi, eligatur ab illis quibus et abbas eligitur, vel saltem a saniori parte conventus. Monachus aetate iuvenis, sensu canus, bonae indolis, maturus moribus, clarus ingenio, de thoro legitimo procreatus, et habilis ad studendum, alias minime in praefatis studiis admittatur.

[DIFFINITIONES SPECIALES.]

6. Abbatis et conventus de Lioncello per generale Capitulum admittitur supplicatio qua requirunt, quod cum plures habeant possessiones in agriculturis, vineis et aliis, steriles et incultas ac modici valoris, nec sit spes quod de cetero fructum afferant vel commodum ipsi monasterio, de licentia ipsius Capituli tradere valeant easdem ad censum et in emphiteosim perpetuam, idem Capitulum licentiam confert eisdem dictas possessiones tradendi ad censum annuum et in emphiteosim perpetuam, dum tamen ex sui patris abbatis et conventus de Lioncello processerit consilio et assensu.

7. Cum fratre Guillelmo Chulle, monacho Lioncelli, ad petitionem abbatis et conventus dicti loci dispensatur gratiose per generale Capitulum, ut non obstante quod per novem annos

---

[b] ignobiles : *MP*[2].

vel quasi apostataverit, ad omnes gradus, status et honores admittatur, citra nihilominus abbatiatum, attento quod poenitentiam eidem iniunctam devote peregit.

8. Domino Claraevallis, s. th. pr., committitur per generale Capitulum ut veritate comperta de vita, moribus et conversatione fratrum Ioannis Maillicastro [c] et Gerardi de Vermentare, monachorum Rigniaci, qui propter aliquas insolentias et levitates, gradus, status et honores et habitum Ordinis amiserunt, si eos repererit gratia dignos, faciat iuxta dictamen conscientiae, in plenaria Ordinis potestate.

9. Si constiterit abbati Bonaevallis Viennensis, patri abbati monasterii Vallis crescentis, Dyensis dioecesis, quod tractatus habitus per abbatem et conventum dicti monasterii Vallis crescentis de quodam prato in dioecesi Gratianopolitana sito, et tradito in emphiteosim perpetuam, ut per instrumentum publicum luculenter apparuit generali Capitulo, sit ipsi monasterio fructuosus, ipsum tractatum auctoritate generalis Capituli ratificet et confirmet.

10. Cum abbas et conventus Vallis crescentis, Dyensis dioecesis, tradiderunt in emphiteosim perpetuam et ad censum annuum certis cultoribus certas possessiones et terras tam steriles quam fructiferas, secundum modum et formam quam dominus Hugo Sybaudi [d] quondam abbas dicti monasterii, dum vivebat, tradiderat, prout in instrumeto super hoc confecto plenius continetur, abbati Bonaevallis Viennensis patri abbati dicti monasterii, committitur per generale Capitulum ut, veritate comperta de commodo tractatus et concessionis praedictorum, eadem ratificet, confirmet et corroboret auctoritate Capituli generalis.

11. Audita supplicatione abbatis et conventus de Loco regio super venditione suarum silvarum non caeduarum saltem usque ad duodecim arpenta, convertendo pretium super hoc habitum in reparationem suorum aedificiorum et debitorum solutionem, abbati de Curia Dei suo patri abbati per generale Capitulum committitur, ut inquirat diligenter de indigentia huiusmodi, et faciat super hoc quod decreverit, auctoritate Capituli generalis.

12. Abbati Bonaevallis Viennensis committit generale Capitulum quatinus, si in monasterio de Stamedio repererit quod

---

[c] Maillitestio : L^1. [d] Sobandi : L^1.

traditio in emphiteosim et ad censum fienda per abbatem et conventum dicti monasterii de terris incultis, et eidem modici vel nullius valoris, ut asserunt, sit eidem monasterio fructuosa, eamdem ratificet auctoritate Capituli memorati.

13. Ut per censuram Ordinis et alia iuris remedia compellant de Curia Dei et de Albis petris monasteriorum abbates, seu alter eorumdem, auctoritate Capituli generalis, omnes personas Ordinis utriusque sexus, quas teneri et esse obligatas repererint per legitima documenta vel alias monasterio de Varennis vel ipsius personis, eisdem committitur et cuilibet eorum per Capitulum memoratum.

14. Ad petitionem abbatis et conventus de Castellione per generale Capitulum committitur de Longoponte et de Caheriis monasteriorum abbatibus, ut quam cito commode poterunt ad dictum monasterium de Castellione personaliter accedentes, mittant pro fratre Ioanne Morel nuper abbate dicti monasterii et ad ipsos venire coerceant per censuram Ordinis, auctoritate Capituli generalis, ut de receptis et de expensis dicti monasterii coram dictis abbatibus, praesertim de quibusdam redditibus traditis per ipsum et venditis ad terminos diversis personis, sine scitu conventus et licentia patris abbatis aut Capituli generalis, reddat rationem, alioquin si venire renuerit, iuxta demerita puniatur, et nihilominus dictas venditiones in quantum poterunt annihilent tamquam minus iuste factas.

15. Concessionem cuiusdam camerae sitae in infirmitorio monasterii de Parco dominarum factam dudum per bonae memoriae dominum Claraevallis ultimo defunctum sorori Ioannae Pictricis, moniali dicti monasterii de Parco, quam de suis patrimonialibus fecit reparari, abbati Caroliloci, s. th. pr., si sibi videatur expediens, ob reverentiam conferentis, ratificet et confirmet auctoritate Capituli generalis.

16. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus, omniumque et singularium personarum nostri Cisterciensis Ordinis in partibus ultramontanis committit per continuum triennium generale Capitulum abbati de Iubino et procuratori Ordinis, qui nunc est, vel fuerit pro tempore, coniunctim eisdem praecipiens dictum Capitulum et iniungens quatinus ad ipsa monasteria cuiuscumque generationis existant personaliter accedentes ibidem visitent, ... *etc. ut in forma con-*

sueta (cf. ann. 1401, n° 26), sublata mentione de monachis ad studia generalia mittendis.

17. Quia suos mores commutavit in melius frater Ioannes Guevenen monachus de Begar, et alias secum per generale Capitulum fuerit dispensatum, ut non obstante quod dum claves gereret cellarii vinorum, de horreo ipsius monasterii unam doliatam bladi violenter extraxerit, ut ex hoc suam faceret voluntatem furtive, cuius facti occasione ad monasterium de Eleemosina fuit missus et eumdem revocaverit Capitulum ad proprium, sibi tribuens de gratia speciali, ut citra dignitatem abbatialem ad omnes Ordinis status, gradus et honores legitimos promoveri valeret, dictum Capitulum suam gratiam ampliando etiam ad abbatialem dignitatem, si sua merita suffragentur, in posterum valeat admitti.

18. Cum in regnis et dominiis regum Castellae, Legionis, Portugalliae, Arragoniae, Navarrae et partibus eisdem circumvicinis et adiacentibus monasteria Ordinis Cisterciensis utriusque sexus in personis, disciplina et moribus sint, proh dolor ! quamplurimum deformata, prout ad Sanctissimi patris in Christo ac domini Benedicti Papae XIII huius nominis rumoribus innumeris pervenit auditum, quae per vocis organum procuratoris generalis Ordinis, s. th. pr., generali Capitulo detegenda praecepit, ut per idem Capitulum super hiis de celeri et opportuno remedio succurratur, cuius domini praeceptis, ut tenetur et debet parere, cupiens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quatinus, quam citius commode fieri poterit, omnes abbates dictorum regnorum et partium adiacentium modo, loco et tempore per dominum Cistercii, s. th. pr., specialiter ordinandis in unum conveniant tamquam ad Capitulum generale in quo dictus dominus Cistercii, vel alter quatuor primorum quem dictus dominus Cisterciensis eligere et ordinare decreverit, praesideat, et ibidem faciat, statuat et ordinet, corrigat et reformet, destituat et instituat tam in capitibus quam in membris, quaecumque secundum Deum, papalia et Ordinis instituta viderit ordinanda et reformanda cognoverit, auctoritate dicti Capituli generalis. Et haec omnia fiant ad expensas dictorum monasteriorum, tantumque in praemissis faciat quod gloriosus Deus in suis operibus honoretur, dictus Dominus noster sanctissimus, sentibus criminum ab ipsius Ordinis incolis penitus extirpatis et virtutum insertis

surculis, contentetur, et domini temporales in tali reformatione laetentur.

19. Ad audientiam Capituli generalis pervenit quod pleraeque ecclesiasticae personae ac laici dioecesis Bituricensis decimas possidentes in parochiis et locis eiusdem dioecesis, in quibus terrae ad monasteria nostri Ordinis inibi constituta situantur, exigunt et extorquent de terris praedictis, quas abbates et conventus ipsorum monasteriorum aliis tradunt excolendas ab earumdem terrarum cultoribus, mediam decimam, cum ipsas terras ad medietatem vel integram quam pro certa portione excolunt, quamvis ipsae terrae de antiqua existant acquisitione et a solutione decimarum semper fuerint liberae ac immunes, cultoresque praedictos coram iudicibus ecclesiasticis et saecularibus super hoc trahunt et alias molestant multipliciter et fatigant, quod non solum in praefatorum monasteriorum dioecesis Bituricensis, verum etiam totius Ordinis privilegiorum et libertatum ipsi Ordini a Sancta Sede Apostolica indultarum praeiudicium et gravamen censetur quamplurimum redundare. Quia vero, quod omnes tangit ab omnibus est approbandum pariter et servandum, et similiter iam edita Ordinis instituta abbates monasteriorum Ordinis constitutorum in provincia illa, in qua dicta privilegia et libertates infringi seu violari attentantur, ad ipsorum custodiam contribuere iuxta uniuscuisque facultatem, prout qualitas infractionis huiusmodi exigit obligantur, dicta statuta innovando committit generale Capitulum abbati de Curia Dei, eidem praecipiens et iniungens quatinus per se vel per alium ad hoc idoneum, ipso legitime impedito, compellat per omnia iuris et Ordinis remedia omnes abbates monasteriorum Ordinis in dicta dioecesi sitorum ad iuvandum omnes abbates et conventus ipsius Ordinis qui contra dicta privilegia super libertate decimarum Ordini indulta, in se vel in cultoribus terrarum suarum, super solutione decimarum a dictis personis ecclesiasticis vel laicis decimas possidentibus coram iudicibus ecclesiasticis vel saecularibus in dicta dioecesi molestantur vel molestabuntur in futurum, ipsosque abbates cogat ad contribuendum et praestandum aliquod subsidium seu collectam faciendam pro sustentatione processus et litigii, quos occasione huiusmodi inquietationis contra abbates memoratos contingere poterit exoriri. Et praecipue hoc faciat commissarius praedictus pro abbate de Pratea, antedictae dioecesis Bituricensis, qui in se vel

in cultoribus terrarum ad monasterium suum de antiqua acquisitione spectantium, et de quibus nullus decimas hactenus habuit aut percepit, impetitur vel praesumitur infra breve verisimiliter impetendus.

20. Ad requestam domini Morimundi citantur peremptorie et personaliter ad futurum immediatum Capitulum generale, sub poena carceris, per ipsum Capitulum fratres Godefridus de Sancta Ruffina, Ioannes de Aigenvilla, et Ioannes Abardi, monachi de Sancto Benedicto in Vepria, super sibi obiiciendis quod iustum fuerit responsuri.

21. Abbatem de Aceyo monet Capitulum generale pro secundo et tertio quatinus, sub poena excommunicationis infra triginta dies a notificatione praesentis diffinitionis, quorum primi pro primo, decem secundi pro secundo, et decem alii pro tertio et peremptorio termino et monitione canonica, satisfaciat abbati de Charitate, de quodam equo valore 14 francorum, quem secum duxit ad dictum monasterium de Aceyo in sua creatione in abbatem dicti loci ; alioquin elapso dictae monitionis termino excommunicationis sententiam se noverit incurrisse, nisi tamen allegare voluerit quatinus ad hoc minime teneatur, ad quam allegandam coram abbate Caroliloci dies penultima dictae monitionis eidem assignatur.

22. Cum alias per generale Capitulum dispensatum extiterit cum fratre Roberto de Meldis, monacho Longipontis, ut non obstante apostasia quam incurrit per tres dies exeundo monasterium sine licentia, ut ad suos parentes in suo regulari habitu declinaret iuvenilibus in annis, et alias quasi per annum derelicto habitu rigorem disciplinae super quibusdam excessibus reformidans, de et pro quibus tamen poenitentiam condignam peregit, ad omnes status, gradus et honores legitimos restitueretur citra tamen abbatiatum, dictam gratiam suis meritis exigentibus amplians idem Capitulum etiam ad abbatialem dignitatem admitti decernit, si casus se offerat et merita suffragentur.

23. Abbatis de Bolbona petitionem admittens generale Capitulum, qua requirit cum fratre Petro Fontas suo monacho, qui quasi per duos menses apostatavit per saeculum vagabundus, et tandem rediens poenitentiam iniunctam peregit, gratiose dispensari, ut hiis non obstantibus ad omnes actus Ordinis legitimos promoveri valeat, libere conceditur ut ad omnes gra-

dus, status et honores Ordinis legitimos et pristinos admittatur, secluso nihilominus abbatiatu.

24. Ut per censuram Ordinis et iuris alia remedia compellat abbatem Bonaecumbae ad refundenda plura bona mobilia seu valorem, abbati et conventui Grandissilvae seu eorum procuratori secum portanti litteras recognitionis de praemissis, abbati de Bolbona committitur per generale Capitulum.

25. Gerardi de Longocampo in Champignola commorantis admittitur petitio, per quam conqueritur de fratre Ioanne Le Champonois monacho de Castellione in Vepria, qui eidem tenetur, ut asserit, in duodecim solidis turonensibus vel circa, et solvere differt in suum damnum. Abbati de Tribus fontibus committit generale Capitulum ut eumdem Champonois ad plenariam solutionem compellat fiendam praefato conquerenti.

26. Abbati Camporum bonorum, s. th. pr., committitur per generale Capitulum ut personaliter accedens ad monasterium de Monte petroso, diligenter se informet, Deum habendo prae oculis, de vita, moribus et conversatione tam abbatis quam personarum regularium conventus dicti loci, particulariter et divisim, et ibidem per modum reformationis auctoritate generalis Capituli viriliter corrigat delinquentes, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

27. Quamvis abbas de Bonavalle Viennensi querelam et causam motam inter abbatem de Stamedio immediate sibi subiectum, et Radulphum de Techenay, monachum Stamedii, terminandam per ipsum generale Capitulum commiserit et indeterminatam remiserit ipsi Capitulo, nihilominus dictum Capitulum, cum non possit de querelae veritate plenius informari, totum negotium praedictorum abbatis et monachi in ipsius Capituli plenaria potestate remittit penitus terminandum, absolvendo, si sint delinquentes a quacumque sententia, vel aliter, ut meruerint, providendo.

28. Abbatis de Vallibus Sernaii senio et gravitati compatiens generale Capitulum, ipsum habet a via Capituli de cetero favorabiliter excusatum.

29. Cum abbas et conventus monasterii Populeti multipliciter intendant multiplicationi litteratorum virorum et graduatorum operam dare, tam propter Ordinis honorem quam monachorum instructionem in partibus illis praesertim in dicto monasterio Populeti, sacrae theologiae studium frequentari, ut ad

hoc diligentius intendant et amplius animentur, ad humilem supplicationem magistri Bartholomei scutiferi, s. th. pr., et procuratoris Cisterciensis Ordinis in romana Curia generalis, monachi quondam dicti monasterii Populeti, conceditur per generale Capitulum, ut si quoties in dicto monasterio Populeti magistrum in theologia non abbatem habere contigerit de gremio Populeti, qui actus theologicos in saepe dicto monasterio exerceat et frequentet, de speciali gratia idem magister recipiat pro sustentatione sui status et aliquali exoneratione monasterii annis singulis quibus ipsos actus theologicos, ut praemittitur, exercebit, quotam vel quotas contributionum, quam vel quas dictum monasterium deberet Capitulo generali solvere iuxta Ordinis instituta, sub poena solvere negligentibus infligenda. Quod si magister non abbas dictos actus in eodem monasterio non fuerit exercens, idem monasterium tenebitur suas contributionum quotas annis singulis earumdem receptoribus a dicto generali Capitulo deputatis.

30. Domino Morimundi committitur per generale Capitulum ut, si repererit abbatem de Clarofonte teneri Nicolao Billequit in summa sex scutorum aureorum, ad solutionem praedictorum per censuram Ordinis ipsum coerceat et compellat.

31. Si constiterit abbati Grandissilvae quod nonnullae possessiones in terris incultis et aliis immobilibus et ad monasterium de Candelio, cui pertinent, modici valoris et inutilibus abbati et conventui dicti monasterii de Candelio, licentiam conferat easdem tradendi ad censum annuum et in emphiteosim perpetuam et easdem confirmet auctoritate Capituli generalis.

1406

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo sexto, statuta sunt haec apud Cistercium in ipsius Capitulo generali.

1406. *Fontes* : L^3 : 1-51 ; *M* : 11 *in forma abbrev.*, 12, 33 ; P^2 : 1-5 *sub hac forma abbrev.* : Orationes pro Benedicto XIII et Carolo francorum rege, et ceteris, more solito, ut supra, 6, 7, 9, 11, 12, 27, 32, 38, 46 ; *U* : 52 ; W : 52.

[a] *Titulus apud* L^3.

ORATIONES.

1. Pro sanctissimo in Christo patre ac domino domino Benedicto divina Providentia Papa XIII, ...*etc. ut in anno* 1401.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES].

6. In primis, cum felicis recordationis dominus Benedictus Papa XII adversus illos qui ad solvendum contributiones, quae in nostro Ordine pro necessitatibus et usibus communibus et aliis consuetis ipsius Ordinis pro tempore imponuntur, se reddunt difficiles et remissos, et circa negotia contributionum ipsarum aliaque contingentia, providere volens generale Capitulum, dominis Cistercii, Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis, et Morimundi monasteriorum abbatibus, qui pro tempore forent et cuilibet eorum auctoritate apostolica, remoto appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam et per alia remedia secundum dicti Ordinis instituta et observantias consuetas, aliaque opportuna remedia compellendi eos quibus dictae contributiones fuerint pro tempore impositae, ad solvendum easdem, et ad id etiam coercendum recusantes seu negligentes solvere praedictas contributiones iam impositas, et quodvis aliud impedimentum praestantes publice vel occulte quominus contributiones praedictae solverentur, ad desistendum prorsus ab huiusmodi impedimento, necnon processus habendos, ac excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias ferendas in tales negligentes, recusantes et impedimentum praebentes quandocumque in eorum et aliis monasteriis ac locis circumvicinis dicti Ordinis prout fuisset opportunum, ac in generali Capitulo ipsius Ordinis publicandi et publicari faciendi plenam atque liberam concessit potestatem. Praedictum etiam generale Capitulum statuerit, ordinaverit et diffinierit iam quadraginta anni sunt elapsi, ut in *Libello Diffinitionum novellar.* continetur, quod abbates Ordinis summas contributionum sibi impositas per dictum Capitulum generale statuto termino non solventes eo ipso excommunicationis vinculo se ligatos agnoscant ; et quod si abbates propter

non solutas dictas contributiones dictam excommunicationis sententiam per sex menses sustinuerint animis induratis, ex nunc prout ex tunc deponuntur ; quodque patres abbates et eorum commissarii de non solventibus inquirant in suis visitationibus diligentia qua convenit, et quos repererint non solvisse dictas contributiones, excommunicatos denuntient et depositos, si, ut est dictum, eorum contumacia hoc requirat. Quae praemissa abbates Ordinis quamplurimi, proh dolor ! non curantes, imo verius damnabiliter non timentes quotas contributionum per generale Capitulum multis annis iam praeteritis impositarum ipsos et sua monasteria concernentes et contingentes, ac eis impositas, super hoc iustas dilationes aut prorogationes ad solvendum, vel remissiones ipsarum contributionum non habentes, per illos qui has dare possunt, in terminis super hoc ordinatis per multos annos iam praeteritos, vel etiam postea non solverunt, nec adhuc solvere curant, propter defectum huiusmodi solutionis dictam excommunicationis sententiam incurrendo ; quam sententiam nedum per sex menses, sed per unum annum et per plures annos multi sustinuerunt et adhuc sustinent animis induratis, quod cedit in detrimentum animarum suarum et subditorum suorum qui cum eis participant, et quibus habent sacramenta ecclesiastica ministrare, et ea excommunicati ministrant, et immiscent damnabiliter se divinis in plurimorum scandalum, et monasterii praecipue Cistercii, cui Ordo tenetur pro expensis ministratis in multis Capitulis generalibus et pro diversis pecuniarum summis expensis, expositis et traditis, per dominos abbates et conventum ipsius monasterii Cistercii pro factis, negotiis et necessitatibus dicti Ordinis et dictorum Capitulorum generalium in viginti quatuor millibus nongentis sexaginta florenis auri, ac etiam aliorum monasteriorum quibus etiam dictus Ordo tenetur et procuratoris Ordinis in romana Curia generalis, magistrorum in studiis generalibus regentium et baccalariorum legentium, quibus habet dictus Ordo de dictis communibus contributionibus, et propter defectum dictorum non solventium ipsis non potest et iam diu non potuit providere, damna non modica pariter et iacturas Capituli generalis et totius Ordinis vituperium, dedecus et pudorem. In et super praemissis igitur, et ne inde subsequantur inconvenientia graviora, generale Capitulum cupiens pro viribus providere, decernit et declarat ipsum generale Capitulum omnes et singulos abbates Ordinis, qui ut

praemittitur, dictas praemissarum contributionum quotas ipsos et sua monasteria contingentes et concernentes, ac eis impositas, super hoc iustas dilationes vel prorogationes ad solvendum vel remissiones ipsarum contibutionum per illos qui has dare possunt, non habentes, terminis in et super hoc ordinatis et praefixis iam elapsis, vel postea prout tenebantur non solverunt, excommunicationis propter hoc sententiam incurrisse, et eos publice denuntiat excommunicatos, omnibus prioribus, supprioribus et aliis officiariis ac monachis omnium et singulorum monasteriorum Ordinis in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis praecipiens et iniungens ut abbates ipsos ad requestam domini Cistercii, quatuor primorum de Ordine, videlicet dominorum Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis et Morimundi monasteriorum abbatum, cuilibet ipsorum et etiam commissariorum deputatorum seu deputandorum ab eisdem et eorum quolibet, excommunicatos publice denuntient, singulis diebus dominicis, solemnibus et festivis, et ipsos evitent, eis in nullo obedientes, vel cum eis participantes quovis modo, quamdiu sic excommunicati perstiterint, nisi in solis casibus a iure permissis. Et quia crescente contumacia, crescere debet et poena, dictum generale Capitulum citat peremptorie tenore praesentis statuti praemissos omnes et singulos tales abbates Ordinis, sicut praemittitur, propter defectum solutionis dictarum quotarum contributionum praemissarum excommunicatos ad proximum quod tenebitur sequens generale Capitulum, visuros et audituros decerni et declarari per ipsum Capitulum ipsos sententiam depositionis ab administratione abbatiali propter praemissa meruisse, et alias processuros et procedi visuros et facturos prout et quod fuerit rationis, cum intimatione quod sive venerint sive non, contra ipsos procedetur et fiet de et super praemissis prout et quod fuerit rationis.

7. Item [b], sacrosanctae romanae Ecclesiae... *etc. ut in anno* 1400, *n*° 10 (t. III, p. 736).

8. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1390, *n*° 19, *et citatur insuper abbas de Gardo, Ambianensis dioecesis.*

9. Abbates [c] Ordinis universi... *etc. ut in anno* 1401, *n*° 6. Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos, de Tribus fonti-

[b] Indicuntur orationes pro sedando Ecclesiae universalis schismate : P^2.
[c] Excusantur abbates absentes : P^2.

bus, de Monasteriis in Argona, de Altofonte, de Valle regis, de Bonofonte, de Caricampo, de Caherio, de Grandisilva, de Bella pertica, de Berdonis, de Scala Dei, de Florano, de Caduino, de Helnis, de Bonofonte in Vasconia, de Calercio, de Ardorello, de Alpibus, de Tela, de Frigido monte, de Valle Nostrae Dominae, de Valloriis, de Altaripa, de Bitania, de Loco crescenti, de Clarofonte, de Insula Barrensi, de Belloprato Tullensi, de Sancto Benedicto in Vepria, de Ré, de Gratia Dei, de Chassania, de Sancto Sulpicio, de Bonavalle Viennensi, de Escureyo, de Vallibus in Ornesio, de Valle Clara, de Ygniaco, de Signiaco, de Pietate, de Laude, de Valcellis, de Capella Thosan, de Claromarisco, de Altacumba, de Balerna, de Bello loco, de Barbello, de Bullencuria, de Landesio, de Briella, de Brolio Grolandi, de Bonavalle Pictaviensi, de Oliveto, de Castellariis, de Valentia, de Morolia, de Caroliloco, de Oratorio, de Claritate, de Buxeria Andegavensi, de Prulliaco, de Misericordia Dei, de Sancto Andrea de Gouferno, de Buzayo, de Trizagio, de Stamedio, de Eslancio, de Belloprato Belvacensi, de Dulci valle, de Longo villari, de Briostello, de Caladia, de Boheriis, habet favorabiliter excusatos.

10. Editas anno praeterito diffinitiones in generali Capitulo omnes et singulas cum omni earumdem substantia scolares et studia concernentes ratificat generale Capitulum, approbat pariter et confirmat.

11. Item [d], diffinitionem editam in generali Capitulo anno 1403 quae sequitur in hac forma : Attestante Scriptura sacra... *etc. ut in anno supradicto, n*° 10, *et in fine additur* : tamquam dignam, laudabilem et in caritatis debitae visceribus amplexandam, ratificat generale Capitulum, approbat et confirmat.

12. Generalis Capituli rumoribus innumeris et dolorosis indiciis pervenit ad aures, quod nonnullae utriusque sexus Ordinis personae contra Ordinis libertates et statuta coram et in curiis dioecesanorum quam alias suos debitores, qui suis monasteriis obligari deberent, in suis propriis nominibus faciunt obligari, ac vice versa se ipsos obligant, citant et citantur, ac forum sequuntur dioecesanorum ipsorum. Nonnulli etiam, si quas habeant proprietates per sui superioris licentiam vel alias, in fraudem suorum superiorum ac monasteriorum detrimentum, plus in

---

[d] *in forma abbrev. apud MP*[2].

extraneis quam suis fratribus in Ordine confidentes, eas portant in custodia penes suos parentes aut alibi silenter et absque scitu superiorum, unde frequenter accidit quod dictas haereditates habere denegant observantes. Tantae abusionis laxatis frenis obviare cupiens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod quaecumque personae Ordinis amodo sic in curiis dioecesanorum se obligaverint, aut suis propriis nominibus alios obligare fecerint, sed dumtaxat suo monasterio causa sui et occasione, cum sententia excommunicationis quam incurrunt, tamquam proprietarii per omnia puniantur. Quaecumque vero sic in fraudem sui superioris et monasterii alibi quam in propriis monasteriis aut locis securioribus dictis monasteriis pertinentibus, et in custodia personarum Ordinis cum scitu sui patris superioris aliqua deportaverint conservanda, nisi infra mensem a publicatione praesentis statuti sibi facta ad domos Ordinis et praesertim suum monasterium integraliter reportaverint, quidquid silenter abstulerint, pro furto habeatur, et nihilominus excommunicati denuntientur. Quod si in tali contumacia et errore decesserint, ita quod suum monasterium in suis rebus defraudetur, ut sua secum sint in perditionem, sic decedens ecclesiastica privetur sepultura.

13. Abbatibus vero infrascriptis praecipitur per generale Capitulum quatinus infra festum Omnium Sanctorum in proximo venturum mittant scolares per modum inferius scriptum sub poenis supradictis. Abbates de Tribus fontibus et de Cheminione mittant unum scolarem cum bursis et aliis provisionibus. Abbates de Montepetroso et de Benedictione Dei in Alvernia, unum ; de Chassania et de Miratorio, unum ; de Curia Dei et de Loco regio, unum ; de Fonte Ioannis et de Escharleiis, unum ; de Rupibus et de Bonoradio, unum ; de Relech et de Coetmaloen, unum ; de Septem fontibus et de Moris, unum ; de Ponte Ottrani et de Mellereyo, unum ; de Albaripa et de Longovado, unum ; de Gratia Dei in Pictavia et de Charone, unum ; de Pinu et de Bonavalle Pictaviensi, unum ; de Bockien et de Sancto Albino, unum ; de Ré, unum ; de Monte Sanctae Mariae et de Alto cristo, unum ; de Trizagio, de Sancto Leonardo et de Brolio Grolandi, unum ; de Persenia et de Tyronello, unum ; de Boheriis et de Valle regis, unum ; de Nigro lacu et de Prato benedicto, unum ; de Loco Dei et de Fulcardimonte, unum ; de Pratea et de Albis petris, unum ; de Bona requie, de Langonio et de Sancto Mauritio,

unum ; de Charmeya, de Bullencuria et de Ripatorio, unum ; de Bellavalle et de Lococrescenti, unum ; de Fontemorum et de Albiniaco, unum. Praecipitur similiter abbatibus sequentibus quatinus ad studium Tolosanum mittant scolares de quolibet monasterio unum, cum bursis et provisionibus, sub poenis in diffinitionibus editis super hoc contentis, videlicet de Loco Dei et de Bello loco Ruthenensi, de Bella pertica, de Bonofonte in Vasconia, de Flarano, de Scala Dei, de Ponte alto, de Ardorello, de Elnis, de Anisorio, de Valle magna, et de Villa longa. Patribus abbatibus insuper monasteriorum praedictorum seu visitatoribus et reformatoribus in eisdem per generale Capitulum antedictum datur firmiter in mandatis, quatinus omnia in praesenti diffinitione contenta debitae executioni demandent auctoritate Capituli generalis.

14. Item, cum abbates infrascripti, videlicet monasteriorum de Savigniaco, de Fonteneto, de Mansiade, de Oratorio, de Ygniaco, de Vallibus sernaii, de Begar, de Sancto Andrea in Goufferiis, de Caroloco, de Bonomonte, de Valcellis, de Maceriis, de Sancto Sulpitio, de Valle clara, de Balerna, de Alpibus, de Grandisilva, de Valle richerii, de Barbello, de Eslancio, de Laude, de Sanctis Crucibus, de Bonacumba, de Bonavalle Ruthenensi, de Barbereyo, de Valentia, de Cheseriaco, tenerentur et deberent ac debuissent secundum Ordinis et generalis Capituli statuta, ut ipsi Capitulo generali satis constat, destinare et mittere, et non destinaverunt nec miserunt, prout tenebantur, ad aliquod nostri Ordinis studium generale, quilibet videlicet ipsorum abbatum unum monachum scolarem, et in eodem studio destinatum tenere cum bursa, provisionibus in et super hoc ordinatis, quod non fecerunt in anno iam elapso, et aliqui eorum in annis pluribus iam elapsis, generale Capitulum declarat et decernit omnes et singulos abbates praedictos propter hoc latas contra ipsos per ipsum generale Capitulum excommunicationis sententias et poenas alias incurrisse, et ipsos excommunicatos tenore praesentis statuti praecepit publice nuntiari. Prioribus igitur et supprioribus ac aliis monachis Ordinis omnibus et singulis qui tenebunt capitula seu praesidebunt in capitulis ipsorum monasteriorum de cetero in futurum praecipit et iniungit ipsum Capitulum in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis sententiae poena, ut quamprimum ipsis de praesenti diffinitione constiterit, vel super hoc pro parte Capituli vel patrum abbatum dicti

suorum superiorum requisiti fuerint, praedictos etiam proprios abbates excommunicatos publice nuntient ipsorum monasteriorum, conventu praesente, in dictis capitulis suorum monasteriorum omnibus et singulis diebus dominicis, solemnibus et festivis, non participando cum ipsis quovis modo quamdiu sic excommunicati permanserint, nisi dumtaxat in casibus a iure permissis. Abbates autem de Mortuomari, de Veterivilla et de Vallelucenti iuraverunt in diffinitorio quilibet eorum scolarem mittere infra festum beati Andreae, alioquin supradictas sententias incurrent ipso facto.

15. Inhibetur omnibus abbatibus et abbatissis Ordinis universi per generale Capitulum ne de cetero cuiquam suorum monachorum aut monialium professionis quittantiam praebeant ad preces cuiuscumque, quousque sibi per litteras patentes abbatis aut abbatissae recipientis consiterit evidenter.

[DIFFINITIONES SPECIALES].

16. Reformationem monasterii de Stamedio in quo regulares observantiae, prout generalis Capituli pervenit ad aures, pene penitus ruinantur, domino Claraevallis, s. th. pr., committit idem Capitulum cum omnimoda ipsius Capituli potestate et clausulis opportunis et rationabiliter ad hoc tam in capite quam in membris requisitis.

17. Fratris Ioannis Bataille de Lobris, monachi et supprioris Signiaci, peregrinatio aut verius praesumptio, quam dudum fecit abbate et priore suis absentibus dum pergeret Aquisgrani, sibi pro apostasia imputatur, quam sic decernit puniendam generale Capitulum, videlicet quod per mensem in cuculla ultimus sit omnium sacerdotum, disciplinam recipiat in capitulo diebus veneris dicti mensis, et poenitentiam panis et aquae faciat his diebus ; quibus lapsis, audita dicti fratris Ioannis sufficientia et idoneitate ad religionem ipsum vult restitui et assumi generale Capitulum antedictum ad omnes status, gradus et honores Ordinis pristinos et praesertim in supprioratus officium, ac etiam abbatiatus, si sua in posterum suffragentur merita, de gratia speciali.

18. De Ygniaco et de Longoponte monasteriorum abbatibus eorum cuilibet commitit generale Capitulum ut omnes et singulas Ordinis personas, quas teneri vel obligatas esse repererint

per litteras aut alia legitima documenta, abbati et conventui de Eslancio quocumque nomine censeantur, in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus allis, ad plenariam satisfactionem per censuram Ordinis et alia iuris remedia coerceant et compellant.

19. Litem et controversiam inter abbatem de Ponte Thieffredi et fratrem Ioannem de Muchia suum praedecessorem immediatum terminat generale Capitulum in hunc modum, videlicet quod, utrobique partibus concordatis, dictus abbas solvet praefato Ioanni quindecim florenos ad tres annos et terminos, primo incipiente in festo Nativitatis Domini nostri instantis, et sic deinceps in dicto festi Nativitatis Domini, usque ad finalem debiti solutionem. Praecipiens et iniungens idem Capitulum praefato fratri Ioanni ut ad proprium monasterium in quo egit professionem infra quindenam a data praesentis diffinitionis redeat, sub poena apostantibus infligi consueta. Dictus vero abbas omnia debita, quae sunt in litteris compromissi contenta, levabit ad suam et sui monasterii utilitatem.

20. Si per litteras aut alia documenta legitima constiterit de Caroliloco, s. th. pr., et de Oratorio monasteriorum abbatibus, seu alteri eorumdem, quascumque personas sexus utriusque Ordinis teneri et obligatas fore abbati et conventui de Precibus in quibuscumque pecuniarum summis aut alias, ad satisfactionem plenariam per censuram Ordinis coerceant et compellant.

21. Pro defendendis libertatibus Ordinis communibus, contra quas vexatur monasterium Rigniaci per reverendum patrem dominum episcopum Antissiodorensem, domino Pontigniaci, s. th. pr., committitur per generale Capitulum quatinus contributionem summae et quotae centum francorum aureorum exigendam et levandam proportionaliter secundum facultates ab omnibus abbatibus, abbatissis, eorumque conventibus et monasteriis in Senonensi provincia constitutis, imponat auctoritate generalis Capituli, et levare et exigi faciat viriliter per censuram Ordinis, ad suffragium dictorum abbatis et conventus Rigniaci, secundum papalia et Ordinis instituta, contradictores etiam virilius coercendo per alia iuris remedia, sicut decet.

22. Cum fratre Iacobo de Hampigneyo, monacho de Bullencuria, cui fuit alias data gratia, ut non obstante apostasia quam incurrerat quasi per quinque annos, posset admitti ad omnes gradus legitimos, abbatiali secluso, dispensatur gratiose per gene-

rale Capitulum ut etiam ad abbatialem dignitatem promoveri valeat, si sua in posterum merita suffragentur.

23. Licet cum fratre Matheo de Vasseyo, monacho de Bullencuria, ob defectum natalium ex soluto et soluta per Sedem apostolicam fuerit alias dispensatum, ut ad sacros ordines promoveri valeret, verumtamen quia per 30 annos et amplius in suo monasterio extitit honorifice conversatus, pietatis intuitu inclinatum Capitulum, si et in quantum potest et debet, etiam ad omnes status, gradus Ordinis legitimos et abbatiatum admitti valeat si meruerit, concedit de gratia speciali.

24. Ad petitionem fratris Guillelmi de Bellebec, monacho de Voto, cui tenetur abbatissa de Gomerifonte Rothomagensis dioecesis, ut asserit, in certis pecuniarum summis et rebus aliis, de Belloprato et de Lanneyo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, ut si praefatam abbatissam repererit eidem monacho in aliquo teneri, ut asserit, ad solutionem plenariam compellant et coerceant per censuram Ordinis, in plenitudine potestatis.

25. Cum fratre Henrico Rorin de Trecis, monacho monasterii de Ripatorio, dispensatur gratiose, ut non obstante quod per tres hebdomadas vel quasi, regulari habitu non demisso, apostataverit, et postmodum rediens voluntarie poenitentiam devote peregit, ad omnes gradus, status, habitus et honores, secluso abbatiatu, admittatur, de gratia speciali.

26. Similiter dispensatur cum fratre Simone de Villa subtus Firmitatem, monacho de Moris, qui quasi per 15 dies in suo habitu apostatavit.

27. Si de Mortuomari, s. th. pr., et Belloprato, Belvacensis dioecesis, monasteriorum abbatibus vel eorum alteri constiterit, abbatissam de Fonte Guerardi teneri fratri Guillelmo Meurient [c], monacho de Voto, suo confessori in aliqua summa pecuniae pro suis salariis, mutuo et aliis expensis pro ipsa factis per dictum suum confessorem et ad suam requestam, suadente iustitia coerceant ad satisfactionem plenariam de praemissis.

28. Similiter fiat de Nicolao de Quemino, burgensi Rhotomagensi, contra abbatissam de Gomerifonte, quae tenetur eidem in diversis pecuniarum summis et rebus aliis, et committitur de

---

[c] Meutrent : *P*².

Belloprato, de Lanneyo, Belvacensis dioecesis, monasteriorum abbatibus qui super hoc inquirant et coerceant, iustitia suadente.

29. Attenta rebellione abbatis de Langonio, qui per abbatem de Precibus reformatorem ad suum monasterium per generale Capitulum destinatum, citatus fuerat ad praesens Capitulum, non comparuit per se vel alium, iterum per idem Capitulum citatur ad futurum immediate Capitulum generale, super sibi obiiciendis personaliter responsurus.

30. Ut in monasterio de Benedictione Dei, alias de Anisocio, admittantur ad suam devotionem quamplures devotae personae, quae in ipso monasterio fundare intendunt unum vel plura anniversaria, abbati et conventui dicti loci datur licentia per generale Capitulum eas accipiendi, tractandi, et incepta negotia perficiendi, si aliud canonicum non obsistat.

31. Si videatur expediens abbati et conventui Bellaevallis, quod dispensetur misericorditer cum fratre Ioanne de Bruyerio suo conmonacho, qui apostatavit quasi per 14 annos, et nihilominus devotam peregit poenitentiam, ut dicitur, per generale Capitulum admittitur ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos, citra nihilominus abbatiatus, prioratus et cellerariatus officia, dum tamen aliud canonicum non obsistat.

32. Tractatum habitum inter abbatem et conventum de Fullentio et fratrem Arnaldum de Monteacuto suum conmonachum super traditione cuiusdam suae grangiae de Pechinis vocatae, ad octo annos, prout apparet in quodam publico instrumento super hoc confecto, cui praesens diffinitio est annexa, non obstantibus diffinitionibus in contrarium habitis, generale Capitulum ratificat et approbat, ac de gratia speciali confirmat.

33. Dispensatur gratiose per generale Capitulum cum sorore Ioanna de Savesio, moniali monasterii de Goiono [f], ut non obstante quod alias secum fuerit dispensatum super defectu natalium citra dignitates et officia, dictam gratiam amplians dictum Capitulum eamdem, si sua merita suffragentur in posterum, admitti vult ad omnes honores, status et gradus Ordinis legitimos, etiam abbatiatum.

34. Ut inquirat et diligenter se informet abbas de Aquabella si traditio ad censum et in emphiteosim perpetuam quarumdam terrarum inutilium, domorum inermium, et bruietarum

[f] *Deest MP².*

infertilium monasterio de Campis bonis pertinentium, de quibus solebant magna bona recipere et nihil modernis temporibus recipiunt vel modicum, eidem sit monasterio fructuosa, per generale Capitulum committitur dicto abbati de Aquabella, ut eis de Campis bonis licentiam praebeat, approbet et confirmet auctoritate Capituli generalis, si sibi videatur expediens, et super hoc onerat suam conscientiam Capitulum memoratum.

35. Ad idem fiat pro Benedictione Dei in Vasconia et committitur abbati de Gimundo.

36. Abbati et conventui monasterii de Maceriis per generale Capitulum iniungitur et praecipitur, quatinus ad suum monasterium revertentem fratrem Ioannem de Columbey, monachum professum dicti monasterii, absque ulla difficultate recipiant, quamvis suis demeritis exigentibus per dominum Firmitatis, patrem abbatem dicti monasterii, alias fuerit exulatus, et revertens ultimus omnium sacerdotum nunc existentium habeatur, usque dumtaxat ad nutum Capituli generalis.

37. Ut tradere valeant ad censum et in emphiteosim perpetuam abbas et conventus Longipontis quasdam terras et vineas incultas, in suo dominio situatas sibi penitus inutiles et infructuosas, necnon et aliquas petrarum macerias in tronqueto suae grangiae vendere, conceditur sibi potestas et licentia per Capitulum generale.

38. Abbati Ioyiaci committitur per generale Capitulum, ut quam primum monasterium Sigilleriarum visitaverit, aut citius a sententia excommunicationis, quam incurrit frater Ioannes Guiardi [g], monachus Sigilleriarum, manus iniiciendo in presbiterum religiosum Ordinis Sancti Benedicti, et ipsum verberando usque ad sanguinis enormem effusionem, et etiam irregularitate contracta se divinis immiscendo, auctoritate Capituli generali, absolvat.

39. Domino Claravallis, s. th. pr., et abbati de Caroloco seu alteri eorumdem committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia, omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas monasterio Morimundi vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas esse per litteras vel alia documenta legitima repererint, coerceant ad satisfactionem plenariam viriliter et compellant.

---

[g] Guerdi : *P*²

40. Ad idem fiat pro monasterio Claraevallis, et ponantur iudices dominus Morimundi et abbas de Crista.

41. Ad idem fiat pro monasterio Longipontis, et ponantur iudices dominus Claraevallis et de Ygniaco ac Vallis clarae monasteriorum abbates.

42. Ad idem fiat pro monasterio monialium de Argensoliis, et ponantur iudices de Ygniaco, de Longoponte et de Valle clara monasteriorum abbates.

43. Ad idem fiat pro monasterio Pontigniaci, et ponantur iudices de Fonteneto, s. th. pr., et de Rigniaco monasteriorum abbates.

44. Committitur domino Claraevallis, s. th. pr., per generale Capitulum, quatinus de et super quibusdam forgiarum aedificiis, de quibus vertitur quaestio inter abbates et conventus monasteriorum Trium fontium et de Cheminione se informet cum diligentia, et secundum negotii exigentiam confirmet vel infirmet, et apponat in principali et accessoriis iustitiae complementum.

45. Diffinitionem alias editam pro domino Pontigniaci, s. th. pr., et suo conventu, per quam sibi dabatur licentia a generali Capitulo vendendi quosdam redditus et alia quae habent in regno Angliae sibi nullius valoris existentia, in forma et substantia, renovat Capitulum generale.

46. Cum sorore Maseria Cavaria [h], moniali monasterii de Thesauro Beatae Mariae, dispensatur per generale Capitulum, ut non obstante violato voti castitatis proposito, puerperio subsecuto, ad omnes gradus, status, habitus et honores Ordinis legitimos, citra tamen abbatiatum, promoveri valeat et assumi.

47. Similiter per omnia fiat pro sorore Cavaria, moniali dicti monasterii de Thesauro.

48. Domino Cistercii, s. th. pr., per generale Capitulum reverenter committitur, quatinus de tractatu habito inter abbatem et conventum Mortuimaris ex una parte, et Ioannem de Boutilier, accordato per dominum comitem de Tantarvilla diligenter se informet, an dicto monasterio sit utilis, et si eidem videatur expediens, auctoritate generalis Capituli quidquid actum super hoc fuerit, ratificet et confirmet.

[h] Maceria Tavaria : P^2.

49. Ut fratrem Ioannem Bocquet monachum Mortuimaris absolvere valeat abbas dicti monasterii Mortuimaris, s. th. pr., a sententia excommunicationis quam incurrit suum quemdam socium antiquum usque ad diuturnam sanguinis effusionem verberando, eidem abbati committitur per generale Capitulum.

50. Si constiterit de Bonoportu, de Noa monasteriorum abbatibus vel alteri eorum, quod abbas de Strata monasterio de Mortuomari tenetur per litteras vel alia documenta in aliquo propter suum peculium, quod portavit secum, dum ad regimen dicti monasterii de Strata fuit promotus, vel alias, eumdem ad restitutionem vel satisfactionem compellant per censuram Ordinis vel alias, iustitia mediante.

51. Abbati de Bonavalle Viennensi committitur per generale Capitulum, quatinus abbatem Montispetrosi coerceat per omnes vias opportunas ad refundendum monasterio Valliscrescentis omnia illa quae secum attulit de dicto monasterio Valliscrescentis, dum assumptus extitit ad regimen dicti monasterii de Montepetroso.

52. Perversorum detestanda temeritas animos praesidentium in illam necessitatem plerumque incitat et impellit, ut non sint sola prohibitione aut levis poenae appositione contenti, sed poenarum graviorum exaggeratione eos subditos oporteat ab illicitis revocare. Sane cum alias per papalia et Ordinis instituta fuerit salubriter ordinatum, ut quocumque monasterio Ordinis vacante, conventus eiusdem ad electionem abbatis futuri nullatenus procedat, nisi patre abbate aut eius ommissario requisito primitus et praesente, aliter electio de futuro abbate celebrata nullius momenti extitit. Et nihilominus taliter eligentes ea vice tam active quam passive privantur potestate eligendi, provisione eidem monasterio viduato facienda de persona idonea penes patrem abbatem aut eius commissarium penitus remanente. Quod quidem statutum pro bono pacis, et ut litigiorum anfractus tollantur, provideaturque facilius monasteriis vacantibus sine magnis laboribus et expensis iuste et rationabiliter editum, nonnulli conventus Ordinis, spretis patribus abbatibus aut eorum commissariis in monasteriis vacantibus electionem aut postulationem praesumunt temere celebrare. Quia vero crescente contumacia crescere debet et poena, generale Capitulum omnia statuta contra huiusmodi electiones aut postulationes iam facta confirmat, ratificat et approbat, ipsaque vult habere totius roboris firmita-

tem, eisque diffiniendo et ordinando adiiciens, ut quicumque conventus aut personae Ordinis, monasterio quocumque Ordinis vacante, sine patre abbate aut eius commissario debite requisito et praesente, ad electionem aut postulationem futuri abbatis procedere attentaverint, singulae personae sic eligentes aut postulantes excommunicationis sententiam et infamiae poenam incurrant ipso facto, de qua excommunicatione nisi per patres abbates aut Capitulum generale, casibus in iure expressis dumtaxat exceptis, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Datum sub sigillo Diffinitorum anno Domini M. CCCC. VI die quarta decima mensis septembris.

1407

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo septimo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro sanctissimo... *etc. ut in anno* 1406.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES].

6. In primis, cum felicis recordationis Benedictus Papa XII, *etc. ut anno* 1406, *n*° 6, *et in fine additur* : Contributionem sex millium modo et forma ac pro causis quibus anno praecedenti, personis Ordinis universi imponit praesens Capitulum generale.

7. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1406, *n*° 8.

8. Pro defendendis libertatibus Ordinis... *etc. ut in anno* 1406, *n*° 21 *et additur* : Nihilominus si per ipsius domini Pontigniaci

---

1407. *Fontes* : *L*³ : 1-27 ; *M* : 8, 26 ; *P*² : 8, 26.
[a] *Titulus apud L*³.

disertam industriam possint ambae partes quoquomodo pacificari de praemissis controversiis absque figura iudicii, eidem per dictum generale Capitulum pax committitur reformanda.

[DIFFINITIONES SPECIALES].

9. Abbatis de Bellavalle petitionem admittens generale Capitulum, qua requirit cum fratre Stephano de Grayaco monacho suo, qui quasi per novem hebdomadas apostatavit per saeculum vagabundus, super quo poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit, gratiose dispensari, ut hiis non obstantibus ad omnes actus Ordinis legitimos promoveri valeat, conceditur ut ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos et pristinos admittatur, abbatiatu nihilominus secluso.

10. Ad idem fiat pro fratre Ioanne de Vitreyo monacho monasterii de Caroloco, qui apostatavit per quindenam vel circiter, super quod poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit.

11. Abbati Curiae Dei committitur per generale Capitulum, quatinus abbatem de Loco regio sibi associatum in ultimo elapso Capitulo ad habendum secum et mittendum Parisius unum scolarem cum expensis communibus, prout in diffinitione anno lapso facta plenius continetur, cum suis clausulis universis, coerceat et compellat.

12. Ad idem conceditur abbati Cariloci ut coerceat abbatem Altaeripae.

13. Ad idem conceditur abbati Bellaevallis ut coerceat coabbatem suum de Lococrescenti.

14. Ut promoveatur ad omnes status, et honores Ordinis, seclusa dignitate abbatiali, frater Henricus de Metis olim monachus Cistercii, dispensatur per generale Capitulum, non obstante apostasia quam incurrit per quinquennium ad saeculum discurrens vagabundus.

15. Ad idem conceditur fratri Theobaldo de Lingonis monacho Theoloci, qui apostatavit ab Ordine fere per biennium, regulari habitu dimisso.

16. Cum alias per generale Capitulum dispensatum extiterit cum fratre Ioanne de Romeromonte, monacho de Bethania, ut non obstante quod suspensus fuerit ab abbate suo de latrocinio nec convictus, propter quod extitit incarceratus, deinde rupe-

rit carceres, et apostataverit ab Ordine per decem dies vel quasi, de et pro quibus poenitentiam condignam peregit, ad omnes status, gradus et honores legitimos restitueretur citra tamen abbatiatum, dictam gratiam, suis meritis exigentibus, amplians idem Capitulum, etiam ad abbatialem dignitatem admitti decernit, si casus se offert et merita suffragentur.

17. De Prulliaco, de Valle lucenti et de Buzeyo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis utriusque sexus quas repererint monasterio Pontigniaci vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas esse per litteras vel alia legitima documenta, coerceant ad satisfactionem plenariam viriliter et compellant.

18. Ad idem fiat pro monasterio Claraevallis, et ponantur iudices domini de Pontigniaco, s. th. pr., et de Morimundo ac de Regalimonte, s. th. pr., et de Crista monasteriorum abbates.

19. Ad idem fiat pro monasterio Morimundi, et sint iudices de Claravalle, s. th. pr., et de Crista monasteriorum abbates.

20. De emendatione morum fratris Iacobi de Auzevilla, monachi monasterii de Insula Barrensi, generali Capitulo per abbatem Clarifontis relata, idem Capitulum generale certificatum praedicto fratri Iacobo indulget, ut non obstante quod a quatuor annis citra, quadam animi levitate motus sine licentia extra monasterii metas semel cum habitu pernoctaverit, et consortium tunc intraverit quorumdam suorum sociorum et aliorum scolarium dissolutorum, ad omnes actus Ordinis legitimos promoveri valeat et assumi etiam abbatiatum.

21. Si abbati Fontis Danielis, s. th. pr., et cellerario Sancti Bernardi Parisiensis vel eorum alteri alterum non expectante, constiterit abbatissam de Fonte Guerardi teneri fratri Guillelmo Memient, monacho de Voto, suo confessori in aliqua pecuniae summa pro suis salariis, mutuo et aliis expensis pro ipsa factis per dictum suum confessorem, et ad suam requestam, suadente iustitia coerceant et viriliter compellant ad satisfactionem plenariam de praemissis.

22. Similiter eisdem committitur pro fratre Guillelmo Fanavoris, confessore dicti monasterii monialium, et compellant dictam abbatissam ad plenariam satisfactionem.

23. Reformationem monasterii de Fontanis albis, in quo regulares observantiae, prout generalis Capituli pervenit ad aures,

pene penitus ruinantur, de Savigniaco et de Fonte Danielis, s. th. pr., monasteriorum abbatibus committit idem Capitulum cum omnimoda ipsius Capituli potestate et clausulis opportunis et rationabilibus, tam in capite quam in membris, requisitis.

24. Si repererit abbas de Crista per legitima documenta vel alias abbatem Belliloci teneri vel efficaciter obligari fratri Ioiffredo, quondam monasterii de Belloloco abbati, in certa pecuniae summa, tam ratione pensionis sibi per patrem abbatem assignatae quam certarum aliarum causarum, ad satisfactionem plenariam per censuram Ordinis coerceat et compellat.

25. Abbatis et conventus Vallis crescentis petitionem admittens generale Capitulum, sibi dari licentiam tradendi in emphiteosim perpetuam et ad censum annuum quasdam possessiones modici caloris ad dictum monasterium spectantes, quae forent aliis fructuosae, abbati Bonae vallis, ut de praemissis veritate comperta det eis licentiam, et faciat quod rationis fuerit in praemissis.

26. Cum [b] alias per generale Capitulum facta fuerit quaedam diffinitio et anno 1396 confirmata, dictum generale Capitulum ratificat et confirmat in modum qui sequitur : et est talis : Abusum horribilem... *etc. ut in anno* 1401, *n*° 9 *usque* « Resideant vel existant ». *Deinde additur* : Quam diffinitionem publicari generaliter per partes et provincias ordinat, praecipit praedictum generale Capitulum pariter et iniungit in virtute sanctae obedientiae, et ad hoc faciendum specialiter deputat abbates infrascriptos, videlicet abbatem Savigniaci per totam Normanniam, Britanniam et partes adiacentes ; abbates autem de Grandisilva et de Gimundo per totam linguam occitanam, delinquentes corrigant et viriliter rebelles citent ad proximum Capitulum generale.

27. Committitur abbati de Curia Dei per generale Capitulum quatinus, informatione praehabita, si transactiones, conventiones et pacta factae et facta inter abbatem et conventum de Pratea, et nobilem virum dominum Galeherum militem, dominum de Passato, cedent ad dicti monasterii de Pratea utilitatem et commodum, ipsas auctoritate Capituli generalis, si et in

---

[b] Renovatur diffinitio anni 1396 contra abbates, non in monasteriis, sed in grangiis residentes : *sic abbrev. MP*².

quantum de iure procedunt, ratificet et confirmet, nam super hoc suam conscientiam onerat Capitulum memoratum.

1408

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo octavo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro universali unione totius sacrosanctae matris Ecclesiae, et pro omnibus et singulis dominis praelatis, et curam animarum habentibus, et pro religiosis omnibus maxime Ordinis nostri, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine in singulis monasteriis Ordinis universi.

2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1406, *n*o 8.

7. Cum [b] Ordo noster... *etc. ut in anno* 1402, *n*o 7, *sed procurator generalis non citatur inter receptores.*

[DIFFINITIONES SPECIALES]

8. De Caroloco et de Crista monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque quas repererint monasterio Morimundi vel personis

1408. *Fontes* : L^3 : 1-28 ; *M* : 1, 16, 27 ; P^2 : 1, 7, 16, 27.

[a] *Titulus apud* L^3. [b] Renovatur decretum de antiquo debito : *sic abbrev.* P^2.

ipsius teneri, vel efficaciter obligatas esse per litteras vel alia documenta legitima, coerceant ad satisfactionem plenariam viriliter et compellant.

9. Committitur abbati Bonaevallis Viennensis dioecesis per generale Capitulum quod si repererit sororem Alesiam de Cricherello, monialem monasterii Bituminis, habuisse aliqua bona mobilia ipsius monasterii, ad restitutionem ipsorum eam compellat per censuram Ordinis in potestate Capituli generalis, Et si etiam repererit abbatem de Stamedio habuisse inventarium praedictorum bonorum dicti monasterii, dum vacabat, vel alias dictum abbatem coerceat per omnes iuris vias viriliter et districte ad restitutionem eorumdem.

10. De Morimundo et de Charitate monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas repererint monasterio Cariloci vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas esse per litteras vel alia legitima documenta, coerceant ad satisfactionem plenariam viriliter et compellant.

11. Ad idem fiat pro praedicto monasterio et ponatur iudex abbas Bellaevallis.

12. Abbatis de Theoloco petitionem admittens generale Capitulum, qua requirit cum fratre Ioanne de Hugon, monacho, qui spatio fere octo dierum apostatavit per saeculum vagabundus, super quo poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit, gratiose dispensari, ut hiis non obstantibus ad omnes actus legitimos Ordinis promoveri valeat, conceditur ut ad gradus, status et honores Ordinis legitimos et pristinos admittantur, etiam si contingat ad abbatialem dignitatem, cum de suorum superiorum beneplacito processerit.

13. Fratri Petro de Gilliaco, monacho de Stamedio, indulget Capitulum generale quatinus possit agere et defendere iura cuiusdam capellae fundatae in Bitunnis ad ipsum fratrem pertinentis, et constituere procuratorem seu procuratores loco sui ad agendum et defendendum dicta iura, licentia ad abbate suo proprio per se vel alium petita etiam non obtenta.

14. Omnes et singulos abbates qui ad istud Capitulum generale venire tenebantur et non venerunt propter guerrarum turbines et alias miserias nunc exortas, praedictum generale Capitulum habet hac vice favorabiliter excusatos.

15. Ad humilem supplicationem abbatis Altaesilvae, cum fratre Simone de Folcoringa monacho suo, qui per spatium fere quinquennii apostatavit per saeculum vagabundus, et irregularitem dicto durante quinquennio se divinis immiscens incurrit, misericorditer dispensat generale Capitulum, ut hiis non obstantibus, quia poenitentiam sibi super hoc iniunctam humiliter et devote peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, status et honores, abbatiali dignitate tantummodo seclusa, promoveri valeat et assumi.

16. Quia principis illustrissimi domini nostri Francorum regis nuper urgente mandato, super universali Ecclesiae concordia et Gallicanae praesertim atque Delphinatus disponendo regimine Parisius ad solemne regni concilium evocati noscuntur dominus Cistercii plurimique Ordinis ipsius abbates, nec diebus sumptibusque paucis poterit id expleri, attendens generale Capitulum quod non modo singularis cuiusquam monasterii sed totius Ordinis res agitur, pro expensarum eorumdem dominorum Cisterciensis abbatumque ceterorum Parisius hac de causa residentium sublevamen, subsidium octingentorum francorum pro semel dumtaxat imponit Ordini, committens eidem domino Cistercii reverenter iniungens quatinus de consilio et assensu dominorum Pontigniaci et Claraevallis vel eorum alterius quotas seu partes dictorum octingentorum francorum summam integrantes singulis monasteriis, tam monachorum quam monialium dicti Ordinis, in praedictis regno et Delphinatu locisque vicinis existentibus taxet, imponat, solutionis terminos praefingat et determinet secundum locorum facultates ; ipsas quoque per se vel per alium seu alios exigat, levet et recipiat distribuendas rationabiliter de praedictorum vel aliorum primorum abbatum consensu abbatibus supradictis, recusantes autem huiusmodi quotarum solutionem per censuram Ordinis coerceant auctoritate dicti Capituli, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

17. Cum secundum papalia et nostri Ordinis instituta omnes et singuli abbates Ordinis universi ad generale Capitulum sub certis poenis venire teneantur, et quamplurimi abbates Allemanniae et aliarum partium eidem adiacentium et vicinarum prope, suae salutis immemores a quamplurimis annis citra ad dictum Capitulum venire contempserunt, abbati Campensi dioecesis Coloniensis dictum Capitulum committendo praecipit et iniungit, quatinus omnes et singulos abbates consistentes

ultra Rhenum in partibus Vesphaliae, Frisiae, Brabantiae, Saxoniae, Thuringiae, Misniae, Prussiae, et in omni provincia Coloniensi, per se vel per alium seu alios, ad hoc per ipsum abbatem Campensem substituendum vel substituendos, hortatur peremptorie ad proximum futurum Capitulum generale anno futuro, Domino concedente, in Cistercio celebrandum, compellendo eosdem ad hoc per censuram Ordinis et depositionis ab abbatiali dignitate, et alia iuris remedia, prout eidem vel eisdem visum fuerit expedire.

18. In simili forma, sicut hic supra, dictum Capitulum generale committit abbati de Mullebruno Spirensis dioecesis, ut citat omnes abbates per Sueciam, Austriam, Styriam, Bohemiam, Hungariam et in aliis partibus eisdem coadiacentibus et vicinis.

19. In simili forma dictum Capitulum generale committit abbati Sanctae Trinitatis de Brundulio, Clusiensis dioecesis, ut citet abbates per Lombardium, per Dalmatiam, Ystriam, et aliis partibus eisdem coadiacentibus et vicinis.

20. Cum abbates Frisiae Ordinis Cisterciensis monasteriorum dictorum quamplurimis annis minus provide a Capitulo subtaxerunt generali singulis annis in Cistercio celebrato, ob quod tam ipsi quam eorum subditi utriusque sexus excommunicationis, suspensionis, et interdicti sententias damnabiliter incurrerunt, ex quibus irregularitatis notam contraxerunt, Capitulum igitur generale in Cistercio celebratum committit abbati de Sancto Benedicto in Frisia ut confessionibus abbatum in Frisia et utriusque sexus religiosorum sibi et ipsis commissorum diligenter auditis eis absolutionis beneficium impendat et auctoritate Capituli generalis a sententiis, si quas incurrerunt, absolvat et super irregularitatis nota misericorditer dispenset.

21. Capitulum generale committit abbati Claricampensi terrae Frisiae in Traiectensi dioecesi, quod misericorditer auctoritate dicti Capituli dispenset cum fratribus Gerlzone et quodam alio suae domus nunc conversis, ut non obstante quod alias solemniter in habitu monachali fecerunt professionem, quod remaneant conversi et suo Creatori iuxta Ordinis instituta sedulum impendant famulatum.

22. Capitulum generale cum fratre Siardo, monacho Claricampensis monasterii, misericorditer dispensat super sententiis excommunicationis et interdicti quas incurrit per apostasiam

vel alio quocumque modo et secum super irregularitatis nota exinde contracta, misericorditer dispensat restituens eidem ordinis sacerdotalis executionem.

23. Capitulum generale concedit abbati Campensi auctoritatem dispensandi super esu carnium cum confessoribus quos deputaverit suis monasteriis monialium, toties quoties sibi visum fuerit expedire in locis ad hoc deputatis.

24. Capitulum generale volens abbati de Sancto Benedicto in Frisia quia humiliter se Capitulo subdidit, facere gratiam specialem, ut confessori monialium in Middana, Ordinis nostri Cisterciensis, quem pro tempore deputavit, eisdem valeat licentiam impertiri comedendi carnes in loco sibi ad hoc specialiter deputando.

25. Generale Capitulum concedit licentiam fratri Henrico de Olduiboic, monacho professo in Adebeto Monasteriensis dioecesis, qui cum sui animi quitete et sana conscientia in dicto suo monasterio stare nequiverit, ut ad aliud monasterium Ordinis nostri, ubi non prohiberetur reddere vota cui distinxerunt labia eius, et professione ibi facta, ipsum absolvimus ab obedientia prioris sui abbatis, prius tamen licentia a dicto suo abbate humiliter petita quamvis non obtenta.

26. Ne frater Petrus de Dompnovillari, monachus de Aureavalle, materiam habeat ulterius per saeculum evagandi, ad dictum monasterium absolutum per generale Capitulum a sententia excommunicationis quam incurrerat occasione apostasiae, et dispensatum super irregularitate quam similiter incurrerat immiscendo se divinis, remittit idem Capitulum generale praecipiendo abbati dicti loci in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, et aliis poenis quibus potest dictum Capitulum, quatinus dictum fratrem Petrum in dicto suo monasterio recipiat et caritative tractet secundum Ordinis disciplinam, nullam penitus eidem propter praemissa molestiam inferendo.

27. Controversiam [c] extantem inter fratrem Urbanum de Insula Barrensi ex una parte, et fratrem... *(locus vacuus)* Morella monachum de Caherio parte ex altera, et pro eo quod eorum quilibet se asserit abbatem monasterii de Castellione Verdunensis dioecesis, super quibus per abbatem Trium fontium, patrem

---

[c] Causa ius praetendentium in abbatiam de Castellione committitur duobus abbatibus coniunctim, cum peritorum consilio terminanda : *sic abbrev. MP*[2].

abbatem dicti monasterii, ambae partes remissae et citatae fuerunt ad istud generale Capitulum peremptoris et personaliter. Dictus frater Urbanus in dicto Capitulo personaliter comparuit munitus sufficienter illis quae pro tuitione iuris sui facere videbantur, alio per procuratorem minus sufficienter fundatum comparente. De Sancto Benedicto in Vepria et de Caladia monasteriorum abbatibus coniunctim dictum Capitulum committendo dictricte praecipit et iniungit, quatinus dictas partes coram ipsis, ubi eis videbitur expedire, citent, et de iure utriusque partis cum consilio peritorum cognoscant et quem repererint ius habere in dicto monasterio tribuant in dicti Capituli plenaria potestate ; alteram partem et omnes alios quoscumque ad hoc contradictores et rebelles per censuram Ordinis compescentes omni appellatione postposita viriliter et districte. Et si aliquis ipsorum de abbatiatu contendentium, qui per vos adiudicatus fuerit non habere ius in abbatiatu dicti monasterii, aliquid de bonis dicti monasterii subtraxerit, aut alias minus iuste distraxerit, illum ad restitutionem eorumdem compellant per censuram Ordinis, auctoritate dicti Capituli generalis.

28. Cum ad requestam abbatis de Campania fuerit citatus abbas Septem fontium ad istud praesens generale Capitulum, praedictus abbas Septem fontium comparuit personaliter, alio minime comparente... *(sic desinit ms.)*.

1409

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nono, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo in Christo patre ac domino domino Alexandro divina Providentia Papa V nunc gratias Altissimo

---

1409. *Fontes* : L^3 : 1-64 ; *M* : 36, 39, 45, 46, *et erronee sub anno* 1410 ; 47, 48, 50, 55, 56, 59, 60 ; P^2 : 1, 13, 36, 39, 45, 46, *et erronee sub anno* 1410 ; 47, 48, 50, 55, 56, 59, 60 ; *W* : 36, 39, 46, *et erronee sub auno* 1410 : 55, 56.

[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Alexandro *V*, orationes solitae, cardinali Saluciarum Ordinis protectore : P^2.

universalem Ecclesiam gubernante, et pro... *etc. ut in anno* 1401.

2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES].

6. Editas anno praeterito in Capitulo generali diffinitiones omnes et singulas ratificat et approbat praesens Capitulum pariter et confirmat.

7. Item, cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1402, *n*° 7, *et additur inter contributionum receptores* : Ac per totam Italiam procurator Ordinis in romana Curia generalem.

8. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1406, *n*° 8.

9. Ab requestam abbatum de Campo et de Herdhehusen omnes et singulos abbates Allemanniae, etc., qui personaliter ad praesens generale Capitulum citati fuerunt quavis de causa favorabiliter habet idem Capitulum excusatos ista vice, ac eorum de Campo et de Herdhehusen cuilibet datur potestas eligendi confessorem, qui eosdem absolvere valeat a quibuscumque sententiis incursis a remanentiis praeteritis, citando eos omnes et eorum singulos sub poenis in papalibus et Ordinis statutis contentis ad sequens immediate futurum Capitulum generale.

[DIFFINITIONES SPECIALES].

10. Abbati Trium fontium, patri abbati immediato monasterii Aureaevallis, per generale Capitulum committitur, quatinus per se vel per alium auctoritate ipsius Capituli puniat iuxta Ordinis instituta fratrem Petrum Trompet, monachum monasterii Aureaevallis, super et de suis excessibus patratis, ut dicitur, malitiose falsificando litteras et sigillum proprii abbatis et apostatando quasi per quinquennium, habitu religionis derelicto, celebrandoque in saeculo, et mulierem suspectam de qua duos infantes habuit, publice secum tenendo. Et adeo sic eum corrigat iusto disciplinae rigore, quod aliis veniat in terrorem.

11. Abbatis et conventus de Eberbaco petitioni annuens generale Capitulum, gratiose concedit ut pro redimendis ducentis

et viginti florenis renensibus annui census, vendere possint cuidam strenuo militi Ioanni Camerario de Torrachio, alias de Dalbuch cognominato, super hoc tractatum inire volentes, centum et viginti quinque florenos renenses annui census pro summa et pretio duorum millium et quingentorum florenorum, et quidquid in, de, et propter hoc tractaverint, nisi aliud canonicum obsistat, tenore praesentis diffinitionis approbat, confirmat et ratificat Capitulum memoratum.

12. Domino Claraevallis, s. th. pr., committitur per generale Capitulum, ut quam citius poterit ad monasterium de Caherio personaliter accedens, inquirat diligenter an traditio ad censum et in emphiteosim perpetuam cuiusdam domus quam habent in civitate Catalaunensi, vocatae hospitium ad magnam vaccam, facienda cum diminutione antiqui census prout iam tractaverunt cum Simone Hatet, burgensi Catalaunensi, abbas et conventus dicti monasterii de Caherio, eisdem sit utilis et fructuosa et quidquid super hoc repererit, sequenti anno referat Capitulo generali.

13. Cum sorore Margareta La Coquelette, moniali monasterii de Claromarisco Rhemensi, quae apostatans per aliqua tempora extitit convicta pluries de carnali contagio, puerperiis subsecutis, de quibus tamen sibi exinde iniunctam poenitentiam devote peregit, misericorditer per generale Capitulum dispensatur, ut hiis non obstantibus ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos, citra tamen abbatiatum, admitti valeat, si sua merita in posterum suffragentur.

14. Licet, diaboli suadente malitia, frater Ioannes de Sougo, monachus Longipontis, conspirationis in dicto monasterio dudum factae tamquam male consulens adhaeserit erroribus, verumtamen quia rediens ad cor poenitentis devote peregit eidem iniunctam poenitentiam, prout generale Capitulum per suum abbatem extitit informatum, hiis non obstantibus ut ad omnes Ordinis gradus, status et honores admitti valeat, eidem fratri Ioanni per dictum generale Capitulum de gratia speciali conceditur, abbatiali nihilominus dignitate seclusa.

15. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Signiaco gratiose dispensatur cum fratre Ioanne de Calonia suo conmonacho, ut non obstante apostasia quam incurrit quasi per mensem discurrendo per saeculum, regulari habitu derelicto, ad omnes

gradus, status et honores Ordinis legitimos admittatur, citra tamen abbatialem dignitatem.

16. Ut cum suis monachis et conversis in foro conscientiae dispensandi potestatem habeat, et eos absolvendi a quibuscumque sententiis et casibus generali Capitulo reservatis, abbati de Eberbaco per quatuor annos sequentes et continuos dictum Capitulum tribuit potestatem.

17. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii Eberbacensis, qua requirunt ut pro alleviatione et redemptione grandium debitorum detur eis licentia vendendi aliqua bona immobilia minus eidem monasterio utilia, usque ad summam et valorem quatuor millium florenorum, abbati de Hemmerode committitur per generale Capitulum, quatinus ad dictum monasterium Eberbacense personaliter accedens, inquirat quae bona immobilia vendere intendunt nominatim expressata in litteris, et sequenti anno referat quae repererit ipsi Capitulo generali.

18. Abbati Signiaci conceditur per generale Capitulum licentia eligendi pro se confessorem idoneum in Ordine, quem decreverit, qui semel dumtaxat eum absolvere possit de omnibus et singulis casibus ipsi Capitulo reservatis.

19. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum fratre Gerardo de Vitriacocastro, monacho de Cheminione, qui quasi per unum mensem apostatavit, ut hoc non obstante ad omnes actus, gradus et status, cum honoribus Ordinis legitimis admittatur, abbatiatu dumtaxat excluso.

20. Si de consensu abbatis et conventus monasterii de Cheminione processerit et voluntate, dispensatur misericorditer cum fratre Petro de Iusseyo, suo conmonacho, cum quo fuit alias dispensatum, non obstante apostasia quam incurrit, qui per unum annum in saeculo vagabundus, hanc gratiam amplians generale Capitulum, etiam ad abbatialem dignitatem concedit admitti, si sua merita suffragentur.

21. Ut de tractatu habito inter abbatem et conventum de Albaripa super quadam domo quam habent in civitate Trecensi sibi modicum fructuosa, et Humbertum Legnisiae et uxorem eius Guillemeram, se diligenter informet dominus Claraevallis, s. th. pr., an traditio dictae domus in emphiteosim perpetuam sit eidem monasterio fructuosa, ordinatur per generale Capitulum, cuius veritate comperta, litteras super hoc confectas auctoritate Capituli generalis ratificet, approbet et confirmet.

22. Ad petitionem abbatis et conventus de Roseriis confirmantur per generale Capitulum litterae eorum sigillis sigillatae, continentes in substantia traditionem cuiusdam peciae terrae pro censu annuo septem solidorum stephanensium.

23. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum fratre Adam de Sancto Desiderio, monacho Trium fontium, si conventus consenserit, ut non obstante apostasia quam incurrit per 15 dies in saeculo vagabundus, ad omnes actus Ordinis legitimos etiam abbatialem dignitatem promoveri valeat et assumi.

24. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Barbello restituitur ad omnes status et gradus Ordinis legitimos, citra tamen abbatiatum, frater Guillelmus de Sancto Audreno, suus conmonachus, qui una vice quasi per spatium trium mensium in habitu regulari per saeculum vagabundus apostatavit.

25. Cum alias fuerit misericorditer dispensatum cum fratre Hugone de Ysdino, monacho monasterii de Vallibus Sernaii, per generale Capitulum ut ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos, citra tamen abbatiatum, admitti valeret, apostasia non obstante quam incurrerat discurrendo per saeculum quasi per unum annum in habitu saeculari, idem Capitulum generale ampliando praedictum fratrem Hugonem ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos etiam ad abbatiatum admitti vult, si sua merita suffragentur in posterum, de gratia speciali.

26. Misericorditer dispensatur per generale Capitulum cum fratre Ioanne de Blesia, monacho de Cheminione, ut ad omnes status, gradus et Ordinis honores legitimos admitti valeat, secluso abbatiatu, non obstante apostasia quam incurrit per spatium duorum annorum cum dimidio vel quasi, regulari habitu temere derelicto.

27. De Moroliis et de Sancto Leonardo monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum et eorum cuilibet, quatinus ad restitutionem bonorum mobilium quae secum apportavit indebite nunc abbas Gratiae Dei, dum assumptus fuit et translatus de monasterio Beatae Mariae de Charone ad praefatum monasterium de Gratia Dei, auctoritate Capituli generalis et per censuram ecclesiasticam et Ordinis ac alia iuris remedia coerceant et compellant.

28. Per generale Capitulum alias habilitatus ad omnes status Ordinis legitimos, abbatiatus, prioratus, cellerariatus officiis

dumtaxat exceptis, frater Ioannes de Bruerio, monachus Bellaevallis, gratiam amplians, si de saniori conventus parte beneplacito voluntatis processerit, etiam ad abbatialem dignitatem admitti valeat, si sua merita suffragentur in posterum, praefatum Capitulum generale permittit.

29. De Campo, de Herdehusen, et de Corona Beatae Mariae monasteriorum abbatibus separatim conceditur per generale Capitulum, de gratia speciali, facultas et auctoritas hac vice dumtaxat, cum ad propria redierint, cum sibi subiectis utriusque sexus conventibus dispensare et absolutionem impertiri in, de, et super casibus omnibus et singulis ipsi Capitulo reservatis.

30. Propter viarum varia discrimina et nimiam distantiam de Campo, de Herdehusen et de Corona Beatae Mariae monasteriorum abbatibus gratiose dispensatur, et de gratia speciali conceditur eisdem, quod remaneant et non veniant ad generale Capitulum annuatim, dehinc ad tres annos exclusive.

31. Ad humilem supplicationem abbatis de Herdehusen dispensatur gratiose cum fratre Ioanne de Nym, monacho Campi Sanctae Mariae, ut non obstante apostasia, quam incurrit ex eo quod ultra sibi praefixum terminum extra suum monasterium per unam diem remanserit, ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos, etiam abbatialem dignitatem admitti valeat et assumi, si sua merita in posterum suffragentur.

32. Super apostasia et nota irregularitatis quas incurrit divina celebrando in saeculo per biennium frater Hartuicus, monachus monasterii de Bredelaria, dispensatur misericorditer ad humilem supplicationem abbatis de Herdehusen, ut hiis non obstantibus ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos admittatur, de gratia speciali.

33. Licet frater Gaspar, monachus de Armentaria, sui prioris correctiones reformidans, sine licentia proprii abbatis monasterii, habitu regulari non derelicto, et per summi poenitentiarii licentiam Romae in monasterio Sancti Anastasii per biennium vel quasi, moram traxerit ; quia vero poenitentia ductus ad proprium monasterium vult reverti, per generale Capitulum tam misericorditer agitur cum eodem, quod si infra proximam Domini Nativitatem ad praefatum suum monasterium reversus fuerit, praemissis non obstantibus ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos promoveri suis meritis exigentibus valeat assumi.

34. De Clarocampo et de Sancto Bernardo in Frisia monasteriorum abbatibus per generale Capitulum committitur, ut quam cito poterunt ad monasterium de Sancto Benedicto in Frisia personaliter accedentes inquirant ibidem, an cuiusdam suae grangiae sibi, ut abbas loci asserit, inutilis alienatio, ut in maius utile commutetur, sit eidem monasterio fructuosa ; cuius rei veritate comperta referant anno futuro in Capitulo generali.

35. Abbatis de Sancto Benedicto in Frisia votis supplicibus annuens generale Capitulum, cum suis monachis fratribus, videlicet Sibrando et Ioanne de Boyringia, quorum primus per quatuor menses et alter per duos menses apostataverunt, misericorditer dispensat et concedit, ut hiis non obstantibus ad omnes status, gradus et honores Ordinis assumi valeant si sua merita suffragentur.

36. Ut in suo monasterio monialium carnibus uti valeat abbas de Sancto Benedicto in Frisia, et etiam monachi et conversi degentes ibidem, per statuta docetur papalia, et si opus fuerit ex abundanti permittitur et conceditur de speciali gratia per Capitulum generale.

37. Conceditur per generale Capitulum abbati de Sancto Benedicto in Frisia facultas et licentia eligendi sibi confessorem unum de suis monachis quem decreverit, qui eum absolvendi in et de singulis et omnibus casibus ipsi Capitulo reservatis habeat potestatem. Idem similiter conceditur eidem abbati videlicet quod semel tantum omnes sibi subiectos et conversos de praefatis casibus absolvere possit, auctoritate Capituli generalis.

38. Cum fratribus Henrico Oldarboch et Frederico de Huda, monachis de Sancto Benedicto in Frisia, per generale Capitulum misericorditer dispensatur ut non obstante quod apostataverint in habitu Ordinis unus per semiannum, et alius per tres dies, ad omnes status, gradus et honores Ordinis legitimos, etiam abbatiatum promoveri valeant et assumi.

39. Discretioni abbatis de Sancto Benedicto in Frisia per generale Capitulum committitur ut,salvis regulae documentis,si tenere silentium ipse cum suis monachis et ipsi monachi cum ipso existentibus in mensa vel itinere non valeant, transgressores non obliget ad culpam, sed aliquam infligat more Carthusiensium poenam temporalem.

40. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus omniumque et singularum personarum nostri

Cisterciensis Ordinis in tota Frisia per continuum triennium committit generale Capitulum abbatibus de Clarocampo et de Sancto Benedicto in Menterna, et in casu quo dictus de Clarocampo vacare non posset vel nollet, secundum statuta Ordinis procedere liceat abbati de Sancto Benedicto alium abbatem loco illius de Clarocampo vel monachum nostri Ordinis ad hoc idoneum subrogare, praecipiens eisdem dictum Capitulum et iniungens quatinus ad ipsa monasteria... *etc.*, ac etiam in monasteriis monialium de Assen et de Essen Traiectensis dioecesis, secundum Deum, papalia et nostri Ordinis instituta, dans auctoritatem et plenariam potestatem dictis abbati de Sancto Benedicto et fratri Balduino monacho monasterii de Floridocampo requirendi, exigendi, levandi et recipiendi contributiones... *etc.* Et haec faciant... *etc.* Universis igitur... *etc. ut in forma consueta, cf. ann.* 1401, *n*o 26.

41. Attendens generale Capitulum viarum discrimina et locorum distantias in diversis mundi partibus ubi nostri Ordinis monasteria situantur, ad quae non possent tute, commode aut sine periculis maximis accedere commissarii generalis Capituli contributionum Ordinis receptores ; eapropter non improvide constituit et ordinavit idem Capitulum in singulis provinciis et regnis infrascriptis contributionum Ordinis receptores hos solum et in solidum abbates qui sequuntur, videlicet in Vesphalia, Hassia, in partibus Rheni et circumvicinis, abbatem de Campo ; in Saxonia, Thuringia et Missina, abbatem de Riddageshusen ; in Suevia, Bavaria et Austria, abbatem de Ebraco ; in Bohemia, Polonia et Hungaria, abbatem de Pomutz ; in Prussia, Norvegia, Dania, Suetia, Slavia et Pomerania, abbatem de Doberan ; dans et concedens idem Capitulum... *etc.*, Et haec faciant... *etc.*, Universis igitur... *etc. ut in forma consueta.*

42. Misericorditer dispensatur per generale Capitulum cum sorore Maria de Insulis, moniali monasterii de Groeninghes, ut non obstante castitatis violato proposito bis puerperio subsecuto, praesertim cum iniunctam sibi poenitentiam devote peregit, ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos, citra tamen abbatialem dignitatem, promoveri valeat et assumi.

43. Domino Claraevallis, s. th. pr., et abbatibus de Signiaco et de Valleclara, seu alteri eorumdem committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas monasterio Longi-

pontis vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas esse repererint per litteras vel alia documenta legitima, ad satisfactionem plenariam coerceant et compellant.

44. Ad idem fiat pro domino Claraevallis, et dentur iudices de Regalimonte et de Gardo, s. th. pr., de Crista et de Quinciaco monasteriorum abbates.

45. Oculis intuens compassionis [c] generale Capitulum monasterii Regalismontis lamentabilem destructionem in casuali ruina, proh dolor ! sui templi, ut efficacibus declaretur indiciis charitas Ordinis immensa, cum alter alterius onera supportando bonum proximi gliscens zelo benevolo doloribus condolet animi langescentis ; hinc est quod de subsidio nostri Ordinis pro unione sanctae matris Ecclesiae et aliis Ordinis oneribus in parte supportandis imposito, post satisfactionem completam primitus et antea factam dominis Ordinis qui Pisis fuerunt, abbati Caroliloci, s. th. pr., dicti subsidii receptori praecipit et iniungit idem Capitulum generale, quatinus ad reparationis opus ecclesiae seu templi Regalismontis 300 francos, et abbati de Rigniaco 70 in refusionem expensarum pro parte quas subiit in prosecutione libertatum Ordinis contra dominum episcopum Antissiodorensem, tribuat ex parte Capituli generalis.

46. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum omniumque locorum conventualium utriusque sexus et omnium et singularum personarum in tota Allemania, Bohemia, Polonia, Slavia [d], Hungaria et aliis partibus adiacentibus et vicinis, et maxime in monasterio de Lucella, consistentium nostri Cisterciensis Ordinis, quae, prout ad Capituli generalis audientiam pervenit, reformatione plurimum indigent, domino Morimundi et abbati quem secum evocare decreverit, ipsum Capitulum generale committit in ipsius generalis Capituli et dicti Ordinis quantum potest plenaria potestate ; eidem domino Morimundi committens dictum Capitulum quatinus per se vel per alium ad ipsa monasteria... *etc.* Concedit etiam eidem domino Morimundi auctoritatem et potestatem plenariam, abbatibus, abbatissis ac locis conventualibus praesidentibus sponte cedentibus et bene meritis pensiones moderatas, cameras et alias gratias talibus dari consuetas assignandi et concedendi ac rehabilitationes et

[c] compassivis : *MP*². [d] *pro* Slavia, Hungaria *legitur* Flandria, Liguria *apud MP*²*W*.

quascumque alias gratias quae sunt in potestate dicti Capituli faciendi. De contributionibus Ordinis... *etc.* Absolvendi etiam personas regulares dictorum monasteriorum et locorum conventualium universas a quibuscumque sententiis, quae sunt in dicti Capituli potestate, et cum eis super irregularitatibus contractis, ut ipsum generale Capitulum potest, misericorditer dispensandi, adiecta nihilominus tali conditione quod abbates in isto praesenti Capitulo in diversis regnis et provinciis ad recipiendum et requirendum dictas contributiones deputatos sustinebit, auxilium eis impendet. Et si quas contributiones receperint, eisdem reddant computationem, et receptas contributiones sibi tradant, de quibus reddet in Capitulo rationem. Insuper confessiones omnium et singulorum abbatum, abbatissarum... *etc.* Et de confessoribus idoneis... *etc.* Omnes et singulos abbates ad mittendum scolares Parisius... *etc.* Et haec omnia... *etc.* Universis igitur... *etc.* Praesenti diffinitione seu concessione per continuum triennium in suo robore duratura.

47. Ecce iam venit plenitudo temporis, in quo sacrosanctam matrem Ecclesiam ruinis deformatam veteribus, et diutinae desolationis attritam flagellis, sub sanctissimo patre domino nostro Alexandro Papa V, confractis iam duorum maiorum peccatorum et schismaticorum cornibus, unione reddita, respirare confidimus. Eapropter universos et singulos totius nostri Ordinis abbates, in quibuscumque mundi partibus constitutos, ad quos praesentis diffinitionis edictum pervenerit, ad anni immediate sequentis Capitulum generale, in quo quantum in Deo poterimus, super Ordinis reformatione vacare et intendere dignum erit, Capitulum praesens citat et evocat peremptorie et praecise. Abbates autem Ordinis qui ad praesens Capitulum non venerunt... *etc. ut in anno* 1401, *n*° 6.

Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos : de Alpibus, de Sigilleriis, de Recluso [e], de Caladia, de Valloliis, de Ioyaco, de Valle Beatae Mariae, de Morolia, de Pratea, de Insula Barrensi, de Valle regis, de Belloprato, de Lyoncello, de Gardo, de Caricampo, de Fulcardimonte, de Frigidomonte, de Bullencuria, de Bonofonte, de Brolio Grollandi, de Valencia, de Fontemorum, de Buxeria Aeduensi, de Caritate, de Chalocheyo, de Bracella, de Landesio, de Claromonte, de Oliveto, de Eberbaco, de Hem-

[e] *hic desin. MP*².

merode, de Stamedio, de Elantio, de Crista, de Vallibus in Ornesio, de Monasteriis in Argona, de Sancto Benedicto in Vepria, de Bitania, de Caroloco, de Escureyo, de Gratia Dei, de Tela, de Hesterbaco, de Loco Beatae Mariae, de Mortuomari, de Fontanis albis, de Bonavalle Pictaviensi, habet favorabiliter excusatos.

48. Abusum detestabilem miserorum quorumdam Ordinis monachorum, qui quadam cupiditate damnabili excecati propriorum monasteriorum et sui Ordinis servitium relinquentes, ad mundi et hominum mundanorum servitium, cui renuntiaverunt, sicut canes ad vomitum revertentes, curis et parochiis saecularibus deserviunt, et efficiuntur curatorum servi et quoad hoc dioecesanorum subiecti curiis, qui in propriis monasteriis omnimoda libertate gauderent, extirpare cupiens generale Capitulum, universis et singulis totius Ordinis abbatibus in virtute sanctae obedientiae et sub gravissima Capituli generalis offensa inhibetur, ne de cetero cuicumque monacho licentiam tribuant de praedictis, omnes et singulos monachos quibus dederunt, audito praesenti statuto, revocent ad propria monasteria, ad quae si sine morae dispendio redire recusaverint, pro fugitivis habeantur et velut Ordinis contemptores firmis carceribus mancipentur usque nutum Capituli generalis.

49. Cum [f] alias per generale Capitulum facta fuerit quaedam diffinitio anno Domini 1396 confirmata, dictum generale Capitulum approbando ratificat et confirmat in modum qui sequitur et est talis : Abusum horribilem et hactenus inauditum ...*etc. ut in anno* 1407, *n*o 25. *In fine* additur : Et ad faciendum specialiter deputat abbates infrascriptos, videlicet abbatem de Voto per totam Normanniam, Britanniam et partes adiacentes, abbates autem de Grandisilva et de Berdonis per totam linguam occitanam ; delinquentes corrigant, et viriliter rebelles citant ad proximum Capitulum generale.

50. Ex decreto concilii solemnis Ecclesiae gallicanae Parisius novissime congregati, ad generale totius Ecclesiae Pisis nuper celebratum concilium proficisci iussus seu deputatus sumptibus sui Ordinis dominus Cistercii, cum pluribus de eodem Ordine abbatibus et magistris, pro taxandis levandisque stipendiis eiusdem domini et collegarum suorum quatuor primos et alios de Ordine quotquot commode potuit, convocavit abbates. Qui

---

[f] Renovatur decretum anni 1396 : Abusum horribilem : *P*[2].

quidem super hoc Divione congregati praedicto domino Cistercii et abbati de Charitate simul 72 solidos pro die qualibet, domino Pontigniaci 54 ; domino Claraevallis, 54 ; ceterorum vero cuilibet 48 solidos parisienses taxaverunt. Pro quorum solutione dimidiam decimam in regno Franciae et locis vicinis imposuerunt, hoc adiecto moderamine quod si dictae mediae decimae receptae praedictorum stipendiorum pro tunc ignotam summam excederet de excessu distribuendo, si vero reperiretur esse minor, de supplendo defectu praesens Capitulum plenarie provideret. Eapropter attendens solerter ipsum Capitulum quod ad summam trium millium librarum parisiensium ascendunt praetaxata stipendia inclusis dependentiis et sumptibus colligendi, quodque secundum taxam decimae levatae pecunias pauperibus plerumque cedit in grande praeiudicium, aequitatem tollit, et nostris formaliter dissonat institutis, quod denique ex media decima colligi vix posset stipendiorum medietas, prout lucidius [g] est ostensum, subsidium, et praedictam trium millium librarum summam imponit exigendam et levandam ab omnibus et singulis monasteriis et locis conventualibus tam monachorum quam monialium dicti Ordinis ubicumque citra Alpes situatis per abbatem Caroliloci, secundum taxationem seu distributionem quotarum per dictum Capitulum pro monasteriorum singulorum facultatibus factam, prout in confectis super hoc rotulis sub sigillis domini Cistercii et quatuor primorum plenius declaratur, committens et concedens idem Capitulum praedicto abbati de Caroliloco auctoritatem et mandatum speciale, dictum subsidium seu summam trium millium librarum parisinarum exigendi et recipiendi, quittandi de receptis, compellendi non solventes et eorum officiarios cuiuscumque gradus, sexus aut immunitatis existant per censuram Ordinis auctoritate concilii ecclesiae gallicanae praedicti atque praesentis Capituli. Ita tamen quod quidquid de praefata dimidia decima vel aequivalenti solutum iam fuerit de quota in dictis rotulis contenta integraliter defalcetur. Taxandi quoque quaslibet personas in Ordine praesidentiam obtinentes, quorum monasterium seu conventualia loca in dictis rotulis fuere taxata ; deputandi demum et renovandi receptores seu collectores, qui etiam deputandi seu committendi, et generaliter consimilem in praedictis habeant potestatem, invocandi

[g] Lugduni : L^3.

nihilominus ad solutionis huiusmodi coercitionem, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis. Soli autem abbati praedicto Caroliloci receptam inde pecuniam distribuendi et solvendi quibus debetur, auctoritatem tribuit memoratum Capitulum generale.

51. Exposito generali Capitulo pro parte conventus monialium de Claravalle Metensi grandi earumdem incommodo in tenuitate fundationis, exilitate reddituum, bonorum mundanorum mobilium et immobilium penuria, procuratorum earum et gubernatorum stipendia ac importabiles sumptus, cum ipsae moniales quae a prima sui fundatione reclusae sint, nec liceat eisdem pro negotiis egredi ex quo sequitur quod nec parentes nec benefactores visitare neque victus necessaria, ad quae bona communitatis non sufficiunt, procurare valent, unde quamplurimae earum persaepe famis inedia cruciantur. Domino de Claravalle, s. th. pr., et de Morimundo monasteriorum abbatibus, qui praemissa noverunt, et eorum cuilibet in solidum auctoritate generalis Capituli committitur plenaria potestas, nonnullas de monialibus praedicti conventus de illis quae plures patiuntur defectus, ad conventus alios, ubi eisdem commodius videbitur transmittant commorandas, donec earum monasterium ad prosperiorem fortunam, vel aliter super hoc fuerit ordinatum ; proviso quod omnes illae quae in monasterio remanserint perseverent in reclusione solita.

52. Cum fratres Radulphus Constantii, Ioannes Aleaume, inter se contendentes de monasterio de Brolio, ordinationi Capituli se penitus submiserint, etiam medio iuramento, renuntiaverintque omnibus appellationibus interiectis, abbati de Regalimonte, s. th. pr., ac priori studii Sancti Bernardi committitur omnimoda Capituli potestas se informandi ad plenum de et super dictorum contendentium iuribus, unicuique quod suum tribuendi, dictamque controversiam fine debito terminando, secundum Deum, canonicas sanctiones et nostri Ordinis regularia instituta.

53. Accensamentum, admodiationem seu traditionem cuiusdam grangiae monasterii Bonaevallis Viennensis dioecesis, de Vacheria nuncupatae, una cum nonnullis dictae grangiae pertinentiis, ad certos annos et sub certis pactis et conditionibus in quodam instrumento publico recepto per manum magistri Guillelmi Curti iurati curiae domini archiepiscopi Viennensis contentis, de et super quibus abbas et conventus dicti monasterii, praesente domino Cistercii ac de eiusdem beneplacito unanimique consensu

omnium, pro commodo et utilitate sui monasterii iam prius tractaverunt, generale Capitulum laudat, ratificat et confirmat, ac praedicto instrumenti praesentis confirmationis seu diffinitionis edictum vult affigi.

54. Licet frater Petrus de Vezeto sacerdos monachus de Charitate, repromissae stabilitatis violato proposito, fere quindecim annorum spatio apostataverit, miscendo se temere in divinis, quia tamen infra dictum tempus dictus frater studio multisque virtuosis operibus mentem suam disposuit, adeo quod in studio Tolosano suis exigentibus meritis gradum baccalariatus adeptus est, Capitulum generale quod consuevit talibus misereri et parcere, ad petitionem abbatis proprii et conventus cum eodem dignum duxit misericorditer dispensandi, quod praemissis non obstantibus, ad omnes actus ordinis legitimos, abbatiatum etiam, si contigerit processu temporis, promoveri valeat et assumi, dum aliud canonicum non obsistat.

55. Capitulum generale cultum divinum in Ordine ampliare desiderans quatinus multiplicatis intercessoribus Rex regum uberiorem gratiam largiatur, monasterium de Monte Nostrae Dominae in dioecesi Traiectensi noviter fundatum sub monasterio Campensi, una cum suis appenditiis, membris, grangiis et aliis quibuscumque nunc possidet, et auctore Domino iusto titulo processu temporis possidebit, secundum omnem praelaturae modum nostrique Ordinis institutiones salubres, ut dictum monasterium gaudeat de cetero libertatibus, privilegiis et immunitatibus Ordinis nostri a Sancta Sede Apostolica, imperatoribus, regibus et principibus concessis, ipsum nostri Ordinis consortio recipit, unit, incorporat et annectit. Dans et concedens idem Capitulum priori dicti loci qui nunc est, seu quicumque fuerit pro tempore, potestatem, auctoritatem et speciale mandatum praesidenti ibidem, corrigendi subditos, iura defendendi, negotia tractandi, regendi recta, et dirigendi indirecta, et alia universa et singula ad religionem spectantia custodire et fine debito terminandi.

56. Sub ista forma incorporatur Ordini monasterium de Corona.

57. Reverendissimi patris nostri domini Cistercii et venerabilis conventus sui petitionem reverenter suscipiens generale Capitulum, quatinus rationibus in eorum petitione contentis, quibus fidem indubiam adhibet generale Capitulum plenissimam

de eisdem gerens fiduciam, concedit eisdem licentiam permutandi certos redditus ad monasterium suum et ad domum suam, quam habent in civitate Bisuntina spectantem, ad redditus alios aequivalentes viciniores ad utiliores eisdem, necnon dictam domum cum aliquibus vineis ad ipsam spectantibus ad redditus annuos atque perpetuos permutandi seu vendendi eadem, et pecuniam inde habitam in redditus annuos et perpetuos, et non alias nec aliter expendendi.

58. Devolutam in praesenti generali Capitulo contentionis querelam inter duos competitores contendentes administrationem de monasterio Castellionis, Verdunensis dioecesis, domino Claraevallis, s. th. pr., et abbati de Tribus fontibus et eorum cuilibet in solidum, attento quod uterque eorum, quibuscumque appellationibus interiectis renuntiavit et medio iuramento stare promisit ad ordinationem omnimodam Capituli generalis, committit dictum Capitulum, quatinus audito causae merito ac iuribus et rationibus utriusque, culpabilem puniat, absolvat innoxium, et dictae controversiae finem imponendo, tribuat utrique prout merita seu demerita exegerint, in plenaria dicti Capituli potestate.

59. Domino Claraevallis abbati, s. th. pr., de cuius circumspectionis providentia pleniorem fiduciam gerit generale Capitulum, committit et iniungit expresse ipsum Capitulum, quatinus vocatis et assumptis secum duobus abbatibus magistris in theologia de Ordine, quos eligendos decreverit, ad studium Ordinis Sancti Bernardi parisiensis personaliter accedens, ibidem auctoritate plenaria praesentis Capituli visitet et reformet, destituat et instituat, statuat et ordinet in omnibus et singulis membris, scolaribus et personis quocumque gradu, conditione seu praerogativa gaudeant, quaecumque pro bono spirituali et temporali, ac pro honestate studii et personarum, visitationis, reformationis, destitutionis, institutionis, correctionis et ordinationis beneficio noverit indigere. Universis autem dicti studii personis graduatis et non graduatis mandat et praecipit memoratum Capitulum sub suae salutis incommodo, quatinus in omnibus praemissis ac ea tangentibus dicto domino Claraevallis obediant humiliter et devote. Et est intentionis Capituli quod omnia et singula ad expensas studii compleantur.

60. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus, omniumque et singularum personarum nostri

Cisterciensis Ordinis in partibus Angliae, terris et dominiis serenissimorum principum dominorum regum Anglorum atque Scotorum subiectis, totoque ducatu Britanniae, videlicet in monasteriis illis quae a duobus annis citra reformata non fuerunt, committit per continuum triennium generale Capitulum domino de Pontigniaco abbati, s. th. pr., et abbati quem secum vocare et assumere decreverit de Ordine, eidem committens idem Capitulum et iniungens quatinus ad ipsa monasteria... *etc. ut in forma consueta* (*ann.* 1401, *n*° 26).

61. Ad requestam abbatis de Fonteneto, s. th. pr., Capitulum generale citat et citari praecipit per quemcumque abbatem seu officiarium Ordinis, qui super hoc requisitus fuerit, abbatem Escharleriarum ad immediate sequens Capitulum generale, videlicet ad secumdam diem ipsius Capituli, et hoc peremptorie et praecise et sub sententiae excommunicationis poena, petitionibus praefati de Fonteneto quod iustum fuerit, responsurum, cum intimatione quod sive comparuerit sive non, contra ipsum procedetur, prout fuerit rationis.

62. Abbati de Curia Dei committit generale Capitulum, ut ipse informatione recepta simpliciter et de plano, si traditio cuiusdam virgulti cum quadam masura seu materia modici valoris in censu comitatus Cenomanensis situatarum cum aliis confinibus in emphitheosim perpetuam monasterio de Pietate Dei prope Cenomanis, qui ista a Capitulo petierunt obtineri, foret utilis seu aliter fructuosa, et referat sequenti generali Capitulo.

63. Ad compellendum abbatissam et conventum monasterii Sancti Antonii prope Parisius ad solvendum unum modium cum dimidio mistiolli et avenae ad mensuram Castronamtonis, quod abbati et conventui monasterii Sacrae cellae debent rationabiliter ratione certorum arreragiorum, de et super quibus parati sunt informare legitimo, deputantur per Capitulum et committuntur iudices de Barbello et de Vallelucenti monasteriorum abbates, et eorum quilibet in solidum.

64. Committitur per generale Capitulum priori Montis Dominae Nostrae in Yselsten, Traiectensis dioecesis, potestas absolvendi ad dispensandi cum quodam fratre Thoma in omnibus et singulis casibus consistentibus in generalis Capituli potestate.

1410

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo decimo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro sanctissimo in Christo patre ac domino domino Ioanne divina Providentia Papa XXIII, nunc gratias Altissimo universalem Ecclesiam gubernante, et pro dominis cardinalibus... *etc. ut in anno* 1401.

2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES].

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et approbat praesens Capitulum generale pariter et confirmat

7. Item, cum Ordo noster.. *etc. ut in anno praeced.*

8. Attendens generale Capitulum viarum discrimina et locorum distantias in diversis mundi partibus ubi nostri Ordinis... *etc. ut in anno praecedenti, n*° 41, *adduntur tamen vel mutantur sequentia* : in Suevia, Bavaria, et Franconia, abbatem de Lankheim; ... In Anglia, abbatem de Hayles in provincia Cantuariensi et abbatem de Melsa in provincia Eboracensi. In regno Scotiae, abbatem de Melros. Dans et concedens, *etc*...

9. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1406, *n*° 8.

[DIFFINITIONES SPECIALES].

10. Compassivae miserationis oculos ad paupertatis angustias monasterii Fontis Sanctae Mariae in Sar quod propriis reddi-

---

1410. *Fontes* : L^3 : 1-94 ; *M* : 85, 90 ; P^2 : 1, 6, 85, 90 ; *W* : 48.
[a] *Titulus apud* L^3.

tibus, obstantibus guerris et aliis infortuniis quibus gravissime opprimitur, nullatenus sustentari valet, de Cedlicz et de Aula regia monasteriorum abbatibus committitur quod si de paupertate antedicta eisdem legitime constiterit, vendendi de silvis coeduis et non coeduis eiusdem monasterii licentiam concedant, auctoritate Capituli generalis, prout eis visum fuerit opportunum, proviso quod pecunia de venditione huiusmodi silvarum habenda in aedificiorum reparationem debitorumque solutionem et non in usus alios convertatur.

11. Abbatibus regni Bohemiae propter distantiam loci et viarum discrimina Capitulum generale concedit licentiam remanendi a dicto generali Capitulo usque ad tres annos, dum tamen unus aut duo ipsorum annis singulis cum contributionibus et excusationibus aliorum venire non omittant.

12. Eodem modo concedit de Doberan et de Puro campo monasteriorum abbatibus usque ad decennium.

13. Capitulum generale certis et rationabilibus ex causis permotum abbatem de Doberan a missione scolaris ad quodcumque Ordinis generale studium usque ad quinquennium habet favorabiliter excusatum.

14. Abbati de Novo campo committit Capitulum generale, quod si sibi constiterit translationes et permutationes villarum et agrorum spectantium ad monasterium de Doberan per abbatem dicti loci fiendarum, fore dicto monasterio de Doberan utiles, confirmet, ratificet et approbet auctoritate Capituli generalis.

15. Ad idem fiat pro domino Claraevallis, et dantur iudices de Morimundo, de Regalimonte, Ursicampo, s. th. pr., de Crista, de Quinciaco, monasteriorum abbates.

16. Ad idem fiat pro domino Morimundi, et dantur iudices de Caroloco, de Campo et de Ebraco monasteriorum abbates.

17. Ad idem pro domino abbate de Chasseignia, et datur iudex abbas Sancti Sulpitii.

18. De Novocampo et de Buconia monasteriorum abbatibus committit Capitulum generale, quatinus cum dominus abbas Doberanensis asserit se et monasterium suum a fratre Ioanne olim abbate in Polpelyn multipliciter damnificatum fuisse, partibus evocatis faciat iustitiae complementum, auctoritate praedicti Capituli generalis.

19. Abbatibus de Purocampo et de Novocampo committit Capitulum generale, quatinus si per fratrem Gosgalchum olim

abbatem in Dargun repererint monasterium Doberanense fuisse damnificatum magnis pecuniarum summis, compellant illos de Dargun ad satisfactionem et restitutionem prout fuerit rationis, in plenaria Capituli potestate.


20. Committitur domino abbati de Sancto Benedicto in Frisia, quatinus dispenset in monasteriis sibi traditis pro reformatione, cum personis illegitimis in Ordine receptis, ut in nostro Ordine remanere valeant, auctoritate Capituli generalis.

21. Capitulum generale pietatis intuitu considerans tenuitatem et omnimodam paupertatem monasterii Novaecellae, a missione scolaris et a via Capituli per decennium habet dictum abbatem favorabiliter supportatum, dando abbati praefato licentiam renuntiandi honori et oneri monasterii sui, si propter corporis sui debilitatem aut aliam causam rationabilem eidem visum fuerit expedire. Conceditur etiam praefato abbati Novaecellae, Veteriscellae, de Bouch, de Gronenhoghen, de Sycheniis, de Doberluch, de Genna, de Leugu, de Coryn, de Paradiso, de Bleso, et de Velan monasteriorum abbatibus, quatinus ad eorum serenitatem conscientiarum et suorum subditorum habeant potestatem et auctoritatem dispensandi, absolvendi subditos, poenitentibus locum et habitum, tum rehabilitationem restituendi, et talia consimilia faciendi in casibus Capitulo reservatis usque ad decem annos ; confessorem eligendi qui ipsos absolvere valeat a quibuscumque casibus Capitulo reservatis quoties eis fuerit opportunum, in plenaria Capituli et Ordinis potestate.

22. Patri abbati monasterii de Sycheniis committit generale Capitulum, quatinus si abbatem et conventum de Sycheniis repererit aliquas excommunicationis sententias aut etiam aliquam irregularitatem ratione incarcerationis cuiusdam sacerdotis incurrisse, cum ipsis dispenset et eos absolvat, si et in quantum commode possit fieri, auctoritate Capituli generalis. Si etiam dictus abbas et conventus de Sycheniis aliquam excommunicationem vel irregularitatem participando cum magno quondam ecclesiastico in praefato monasterio, praedictus pater abbas ipsos absolvere valeat auctoritate qua supra.

23. Dispensatur etiam benigniter cum abbate et conventu de Sycheniis ad quinquennium, ut non teneantur scolarem mittere in quocumque Ordinis studio generali.

24. Reformationem monasteriorum utriusque sexus regnorum Daniae et Norvegiae committit Capitulum ad triennium



et etiam collectionem contributionum abbati de Sora in Dania.

25. Reformatio et potestas dantur abbati de Alvastro in regno Sueciae.

26. Reformationem monasterii monialium Stellae Mariae committit generale Capitulum patri abbati et abbati de Doberluch, districte iniungendo, quatinus quam citius poterint ad dictum monasterium se transferant, et quae ibidem corrigenda, reformanda, et emendanda repererint, ad Dei laudem, honorem Ordinis, et populi aedificationem emendent, corrigant et reforment in plenaria Capituli generalis et Ordinis potestate.

27. De Ebraco, de Lankeim et de Valle Sancti Georgii monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum infra duos menses postquam fuerint requisiti, discordiam et dissensionem ortam in monasterio de Alba inter abbatem depositum et abbatem noviter institutum et conventum, discutiant et fine debito terminent in plenaria generalis Capituli et Ordinis potestate.

28. Ad tollendum conscientiarum scrupulum abbatis et conventus de Cenna formidantium ne sententiam excommunicationis aut irregularitatis participando et communicando cum fratre Nicolao Brugen converso, ac eidem consueta ministrando, incurrerint, dispensationem et absolutionem ipsorum committit generale Capitulum domino abbati Novaecellae, in plenaria Ordinis potestate.

29. Capitulum generale misericorditer dispensat cum fratre Nicolao Victoris, monacho monasterii de Cenna, ut non obstante quod quadam die absque licentia septa monasterii sit egressus, et quamdam villam ingressus, dicta die ad monasterium tamen reversus, ad omnes nostri Ordinis status et honores valeat promoveri.

30. Dispensatur etiam cum fratre Martino, monacho monasterii de Cedelitz sacerdote, citra abbatiatum.

31. Idem fit cum fratre Henrico, monacho et sacerdote dicti monasterii, etiam ad abbatiatum inclusive.

32. Idem cum fratre Ioanne dicti monasterii, monacho et sacerdote, citra abbatiatum.

33. Idem cum fratre Procopio, monacho dicti monasterii et sacerdote, usque ad abbatiatum.

34. Dispensatur super irregularitate cum fratre Theodorico, de monasterio Ruris regii Slesvicensis dioecesis, contracta pro manuum iniectione violenta in quemdam monachum presbyte-

rum, et etiam quod fere per quinquennium habitu religionis dimisso per saeculum evagavit, missasque in tali statu celebravit, ut ad omnes Ordinis status et honores usque ad abbatiatum inclusive valeat promoveri.

35. Reformationem monasterii de Bonofonte in Vasconia, in quo plura, prout ad Capituli generalis audientiam pervenit, asseritur reformanda, committit generale Capitulum de Grandisilva et de Berdonis monasteriorum abbatibus, eisdem praecipiens et iniungens quatinus ad dictum monasterium personaliter accedant... *etc...* citent abbatem dicti loci personaliter ad proximum Capitulum generale, mittantque statum dicti monasterii ex integro Capitulo memorato.

36. Attentis gravibus et notoriis debitorum summis, quas monasterium Ursicampi tum pro vacuitate dicti monasterii, tum per occasionem aliorum plurium infortuniorum dicti loci ad praesens inevitabiliter solvere cogitur, vel damnis aliis maioribus et intolerabilibus subiacere, abbati et conventui dicti loci concedit generale Capitulum ut, usque ad valorem centum librarum parisiensium annui redditus ad vitam unius vel duorum coniunctim vel divisim, bona dicti monasterii mobilia et immobilia, vel parte ipsorum impignorare valeant et vendere, prout ad utilitatem dicti monasterii poterunt commodius invenire.

37. Universos et singulos totius Ordinis abbates in quibuscumque mundi partibus constitutos, ad quos praesentis diffinitionis edictum pervenerit, ad anni immediate sequentis Capitulum generale, in quo quantum cum Deo poterimus, super Ordinis reformatione vacare et intendere dignum erit, Capitulum praesens citat et evocat peremptorie et praecise. Abbates autem Ordinis qui ad praesens Capitulum non venerunt... *etc. ut in anno* 1401, *n*° 6.

Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos : de Fontemorum, de Fonte Danielis, de Claromonte, de Villanova, de Buxeria Andegavensi, de Claritate, de Persenia, de Campania, de Tyronello, de Fontanis albis, de Eleemosyna, de Curia Dei, de Moroliis, de Brolio Grolandi, de Insula Dei, de Chalocheyo, de Gratia Dei, de Albis petris, de Pratea, de Nigro lacu, de Landesio, de Barzella, de Furnesio, de Lioncello, de Fontibus, de Caladia, de Bellanda, de Rievalle, de Salleya, de Rigro, de Ruffordia, de Melsa, de Miravalle, de Holmo, de Bordesleya, de Viculongone, de Cumbromari, de Pypwell, de Ulchollia, de Svynemsobedo, de

Sythstodo, de Valle Dei, de Cumba, de Tysbisdom, de Salcioya, de Veteri villa, de Ruth, de Gronenhaghen, de Sychemis, de Dobberluth, de Cenna, de Lenyn, de Coryn, de Paradiso, de Novo Dobberluth, de Velan, de Vallersclare, de Veteri cella, de Longoponte, de Fulcardimonte, de Ygniaco, de Amelungesbornensi, de Reynevelde, de Altacumba, de Altofonte, de Crista, de Clarofonte, de Belloprato in Lotharingia, de Escureyo, de Thela, de Belloprato Belvacensi, de Regalimonte, de Stamedio, de Alpibus, de Claroloco, de Ezenna, de Buch, de Dublomeli, de Sychem, de Sancto Nicolao in Grunenhem salnansi, de Sameritz, de Coryn, de Insula Barrensi, de Henyn, de Benedictione Dei, de Villa longa, de Helnis, de Mortuomari, de Porta, de Lioncello, de Brinnebat, de Alba, de Trizagio, de Sancto Leonardo, de Ebrach, de Fonte salutis, de Bildushen, de Altofonte, de Gratia Sanctae Mariae, de Ebrac, de Vildhusen, de Barbello, de Valle Beatae Mariae, de Insula Reorum, de Plas, de Pomutz, de Altovado, de Sancta Corona, de Vegiado, de Ossetlz, de Zaar, de Aula regia, de Stalio, de Sacrocampo, de Vizobbitz, de Albiniaco, de Alvastro, de Raruy, de Staba, de Rivo Sanctae Mariae, de Novocampo, de Darguini, de Hilda, de Stolp, de Hyddensée, de Ralconia, de Doberan, de Parvocampo, habet favorabiliter excusatos.

38. Subsidium trium millium librarum parisiensium, quod pro stipendiis dominorum Cistercii et aliorum qui nomine totius Ordinis ad universale Parisius celebratum concilium accesserant impositarum, generale lapsi nuper anni Capitulum exigi et recipi per abbatem Caroliloci et ab eo deputandos, taxatione singulorum monasteriorum sibi consignata, censuerat prout in diffinitione super hoc edita noscitur contineri ; verum quia etiam debite moniti nonnulli abbates et abbatissae quotas sibi per dictum generale Capitulum impositas solvere recusant aut negligunt, excommunicationis sententiam et inobedientiae nefas, idololatriae sceleri comparatum, minime reformidant, praesentes idcirco generale Capitulum abbates de Ré Insula, de Begar, de Relech, de Aureavalle, de Capella Thosan, de Leoncello, de Vallecrescenti, de Stamedio, de Cheseriaco, de Altaripa, et de Thela, necnon abbatissas de Sancto Iusto, de Haus, de Bocheto, de Belloprato Grandimontensi, de Rosen ceterosque abbates et abbatissas Ordinis inter Pyreneos montes et Rheni flumen, Alpes et Oceanum consistentes, praesentis huius diffinitionis tenore monet

iterum una vice pro omnibus, quatinus infra sex menses ab hac 13^{a} septembris die computandos, quorum duos primos pro primo, secundos duos pro secundo, postremosque duos pro tertio et preremptorio termino et monitione canonica, cuilibet eorum praefigit ipsum generale Capitulum, medietatem quotae suae seu restantis debiti, prout in dicti abbatis Caroliloci processibus viderint contineri. Alteram vero medietatem infra sex alios immediate subsecuturos menses, quorum duo primi pro primo, et ceteri pro ceteris terminis ac monitione canonica sicut prius assignantur, eorum sumptibus propriis praedicto abbati Caroliloci vel ab eo deputatis transmittant integraliter et persolvant. Alioquin praedictum Capitulum in recusantium vel negligentium solvere quemlibet et quamlibet ex nunc pro tunc excommunicationis sententiam fert atque fulminant in hiis scriptis. Auctoritatem absolvendi de et super huiusmodi sententiis, dispensandi quoque super irregularitate et terminos prorogandi, anticipandive concedens abbati praedicto dumtaxat de Caroliloco, et quibus iam commisit aut in posterum commiserit vices suas.

39. Monitos ex parte domini Caroliloci vel deputatorum ab eodem, qui quotas suas eisdem suisque monasteriis pro viagio Pisano impositas non solverunt, excommunicatos denuntiat Capitulum generale, non monitos monet.

40. Abbati de Lamilchem, patri monasterii monialium Celithions, committit et iniungit Capitulum generale quatinus si et in quantum iuste, rationabiliter et commode fieri possit, diffinitionem cui praesens annectitur secundum sui tenorem deducat ad effectum.

41. Commissariis patrum abbatum quorumcumque et quibuscumque inhibet Capitulum generale ne de cetero dent licentiam monialibus cameras particulares habendi vel constituendi de novo.

42. Certis ex causis permotum Capitulum generale a missione cuiuscumque scolaris ad aliquod studium Ordinis generale abbatem de Campo usque ad biennium habet idem Capitulum generale favorabiliter excusatum.

43. Desolationi et paupertati monasterii in Valckener, Moguntinae dioecesis, generale Capitulum benigne compatiens a missione scolaris ad quodcumque Ordinis studium generale usque ad

immediate sequens triennium habet ipsum favorabiliter excusatum, ac etiam a via Capituli praesentis.

44. Abbati et conventui monasterii Pietatis Dei prope Cenomacum concedit Capitulum generale quod quasdam maseriam seu maceriam et virgultum sitas prope Cenomacum in censu comitis Cenomacensis, in loco qui Bindusdangui dicitur, contiguas haereditagiis magni Iacobi de Buay, et quibusdam maseriis et virgultis abbatis et conventus praedictorum, quae modici aut nullius valoris ipsis abbati et conventui existunt, prout generale Capitulum est debite informatum per commissarium ad hoc specialiter per idem Capitulum deputatum, ut in emphiteosim perpetuam aut perputationem aliarum rerum tradere seu commutare valeant, prout viderint sibi suoque monasterio et eorum successoribus expedire.

45. Committitur abbati Regalismontis et magistris regentibus Sancti Bernardi Parisiensis, et eorum cuilibet in solidum, quatinus si repererint abbatem de Curia Dei abbati de Precibus in certa pecuniae summa teneri, ipsum per censuram Ordinis ad satisfactionem plenariam coerceant et compellant.

46. Dispensatur gratiose per generale Capitulum cum fratre Nicolao de Gorlicz, sacerdote monacho monasterii de Sedlitz, Pragensis dioecesis, ut non obstante apostasia quam temere habitum regularem dimittendo, et per saeculum fere per novem menses cum dimidio discurrens incurrit, valeat ad omnes gradus, status et honores legitimos Ordinis promoveri.

47. Eodem modo dispensatur cum fratre Andrea de Colonia, monacho monasterii de Sedlitz, eiusdem dioecesis, qui etiam per idem tempus habitu regulari dimisso per saeculum extitit vagabundus.

48. Abbati [b] de Pelplin in Prussia, propter guerrarum voraginosos impetus viarumque discrimina, ac etiam loci et patriae distantiam, generale Capitulum benigne et favorabiliter concedit licentiam non veniendi ad ipsum Capitulum usque ad 15 annos immediate sequentes, ac de gratia speciali praefatum abbatem suumque monasterium solvendo anno quolibet 15 annorum praedictorum tres florenos, pro totali contributione ipsum suumque monasterium concernente, reddit idem Capitulum quittum

---

[b] Abbati de Pelplin conceditur, ut per quindecim et abbati de Oliva, u per decem annos a Capitulo generali remaneant : *W*.

et immunem, necnon praefatos abbatem et monasterium propter reddituum et proventuum tenuitatem et aedificiorum desolationem, a missione scolaris durante dicto 15 annorum tempore absolvit penitus et omnimodo. Concedit eidem idem Capitulum ut monachos sufficentes et idoneos ante complementum anni probationis recipere valeat, et possit ad professionem de suorum tamen seniorum consilio et assensu. Confidens insuper Capitulum memoratum de saepedicti abbatis probitate et circumspectione provida, concedit eidem auctoritatem dispensandi, absolvendi personas Ordinis, locum et habitum, sine tamen rehabilitatione restituendi, et alia faciendi per annos antedictos in casibus Capitulo reservatis ubi et quoties opportunitas aut necessitas se offerret. Et generaliter habet potestatem tempore supradicto absolvendi conventum suum ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, interdicti et irregularitatis, si in aliquo istorum aliquis vel aliqui tempore schismatis inciderint vel inciderunt, conceditur namque eadem sibi, ut ipse a sententiis et casibus Capitulo reservatis per confessorem quem eliget de monachis suis absolvi valeat auctoritate qua supra. Carnes etiam hospitibus supervenientibus et maxime subditis monasterii in porta et in domibus contiguis aut officiis extra terminos tamen regulares in dicto monasterio valeant ministrari. Dictoque etiam abbati conceditur licentia reservandi secrete peculium sive depositam pecuniam, si quod est vel esse poterit in futurum, maiori tamen bursario et infirmario scientibus et inde unam clavem habentibus ut omnis fraudis et suspicionis materia praecludatur.

49. Cum fratribus Ioanne sacerdote et Nicolao diacono, monachis monasterii Coryn, dispensatur per generale Capitulum ut non obstante apostasia quam eundo ad saeculum, habitum regularem dimittendo, incurrerunt, ad omnes actus legitimos, officia et dignitates Ordinis, nisi aliud obstet canonicum promoveri valeant et assumi, dignitate tamen abbatiali exclusa.

50. Eodem modo dispensatur cum fratre Tammone, eiusdem monasterii Coryn monacho, qui non animo apostatandi sed illicentiatus ivit ad saeculum, ut ad omnes, etc.

51. Abbati monasterii in Pomuk conceditur per generale Capitulum ut propter guerrarum voraginosos impetus, quae proh dolor ! ipsum monasterium oppresserunt, et de die in diem consumunt et opprimunt, a missione scolaris ad quodcumque

Ordinis studium generale usque ad sex annos immediate sequentes auctoritate dicti Capituli excusetur.

52. Senio et valetudini corporali abbatis de Bolbona generale Capitulum compatiens, eumdem a via Capituli generalis usque ad centum et unum annos habet idem Capitulum favorabiliter excusatum.

53. Abbatibus de Lucella, Basileensis, et de Sancto Urbano Constantiensis dioecesium, committit generale Capitulum quatinus, auditis abbatibus de Salem et de Maris stella, ac etiam abbatissa et conventu sanctimonialium in Selduono super contentis in litteris quibus nostra praesens diffinitio annectitur, facient iustitiae complementum, papalibus et Ordinis institutis in omnibus observatis.

54. Ad requestam abbatissae et conventus monasterii monialium de Venehughen cum sorore Elisabeth Parlidiven, dicti monasterii moniali, per generale Capitulum dispensatur, ut non obstante quod, generis humani inimico suadente, castitatis propositum violaverit etiam puerperio subsecuto, ad omnes honores, status et dignitates Ordinis, abbatiali dignitate excepta, valeat promoveri.

55. Ad requestam abbatissae et conventus monasterii monialium de Dorezelle, [cum sorore...] per generale Capitulum dispensatur, ut non obstante quod, generalis humani inimico suadente, castitatis propositum violaverit, etiam puerperio subsecuto, ad omnes honores, status et dignitates Ordinis, praeter abbatialem dignitatem, valeat promoveri.

56. Abbatibus de Franconia, de Ebraco, de Fonte salutis, de Lankeim, de Vildhosen, de Brumbach, de Speciosa valle, de Thuringia, de Valkeriede, de Valkederode, de Valle Sancti Georgii, de Porta, de Riffenstein, de Lapide Sancti Michaelis, de Redaxhusen, et de Valle Sanctae Mariae, conceditur per generale Capitulum, quatinus attenta distantia locorum viarumque discrimina unum ex praedictis mittendo secum aliorum contributiones et excusationes afferendo anno quolibet usque ad decennium, habet idem Capitulum a via dicti Capituli generalis benigniter excusatos.

57. Abbati monasterii de Brundulo certis et iustis de causis per generale Capitulum conceditur ad dictum Capitulum usque ad triennium non venire.

58. Cum fratre Laurentio converso monasterii de Doberan

ad requestam abbatis dicti loci per generale Capitulum dispensatur, ut non obstante homicidio per ipsum generis humani suadente inimico perpetrato, de quo tamen per Summum Pontificem fuit absolutus, ad gradum suum promoveri valeat.

59. Conceditur etiam eidem auctoritate dicti Capituli, dicto trium annorum tempore durante, potestas dispensandi, absolvendi subditos suos poenitentes, locum et habitum, sine tamen rehabilitatione restituendi, et alia similia faciendi in casibus Capitulo reservatis, ubi necessitas vel evidens congruitas postulabunt.

60. Capitulum generale iustis et rationabilibus de causis abbatem Sancti Benedicti in Frisia a via Capituli generalis et a missione scolaris ad quodcumque studium usque ad triennium immediate sequens, dum tamen anno quolibet contributiones suas mittat, habet idem Capitulum favorabiliter excusatum.

61. Abbati de Veterimonte conceditur per Capitulum generale, quatinus cum fratribus Ioanne et Ghobelino, sacerdotibus et monachis suis, non obstante quod unus ipsorum per annum in saeculo, alius vero per biennium habitu regulari dimisso steterant, sententiam excommunicationis et irregularitatis incurrendo, dispensare valeat, si et quando videbitur expediens, auctoritate dicti Capituli generalis.

62. Cum fratre Tymo, sacerdote et monacho monasterii Puricampi, dispensatur per generale Capitulum, ut non obstante quod per unam noctem illicentiatus extra monasterii septa semel pernoctaverit, ad omnes actus legitimos, gradus, honores et dignitates Ordinis valeat promoveri.

63. Abbati Sancti Benedicti in Frisia conceditur per generale Capitulum quatinus monasterium in Middebolda dioecesi, quod, proh dolor ! per incendium ad extremae desolationis exterminium deductum est, quod vix aut numquam restaurari poterit, monasterio monialium in Yesse, (Trecensis) [Traiectensis] dioecesis, abbati Claraevallis immediate subiectum unire possit et valeat, auctoritate dicti Capituli generalis.

64. Abbati Bonaevallis Viennensis, patri abbati monasterii Vallismagnae, Agatensis dioecesis, committit generale Capitulum, quatinus contenta in litteris quibus praesens diffinito annectitur, diligenter examinet et visitet, confirmet vel infirmet, aut alias provideat secundum rectam et sanam conscientiam,

papaliaque et Ordinis instituta, auctoritate dicti Capituli generalis.

65. Abbati monasterii de Moroliis praecipitur per generale Capitulum, quatinus si repererit abbatem et monasterium de Gratia Dei per legitima documenta abbati et monasterio Beatae Mariae de Charone teneri in summa ducentorum quinquaginta scutorum, duabus tasseis argenteis et decem oneratis bladi, ad satisfaciendum eidem de Charone praefatos abbatem et monasterium de Gratia Dei coerceat et compellat, auctoritate dicti Capituli generalis.

66. Ad requestam abbatis de Fonteneto, s. th. pr., Capitulum generale citat et citari praecipit per quemcumque abbatem seu officiarium Ordinis, qui super hoc requisitus fuerit, abbatem Eschalleyarum ad immediate sequens Capitulum generale, videlicet ad secundam diem ipsius Capituli, et hoc peremptorie et praecise ac sub excommunicationis sententiae poena, petitionibus praefati de Fonteneto quod iustum fuerit responsurus, cum intimatione quod, sive comparuerit sive non, contra ipsum procedetur prout fuerit rationis.

67. De Columba et de Albigniaco monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum quatinus, si repererint abbatem de Dalone abbati de Grossobosco in aliquo teneri, ad satisfaciendum eidem de Grossobosco praefatum de Dalone compellant, auctoritate dicti Capituli generalis.

68. Dispensatur gratiose per generale Capitulum cum fratribus videlicet Ioanne Goupil et Ioanne Jeuberdi, sacerdotibus monasterii de Pietate Dei monachis expresse professis, ut non obstante quod per duos menses vel circiter habitu regulari dimisso apostataverint, ad omnes actus legitimos, officia et dignitates Ordinis etiam abbatiatum assumi valeant.

69. Conceditur abbati de Oliva in Prussia quod cum suum monasterium importabilibus guerrarum oneribus et pene extremae ruinae sit expositum, ut a via Capituli usque ad decennium maneat excusatus. Item, quod idem habeat potestatem dispensandi sive absolvendi conventum suum a casibus Capitulo reservatis. Et etiam eligendi confessorem de monachis suis, qui ipsum absolvere valeat, decennii tempore durante, a sententiis et casibus praetactis, absolvendique personas Ordinis, locum et habi-

tum, sine tamen rehabilitatione, restituendi, simili modo confert dictum Capitulum eidem abbati plenariam potestatem.

70. De Camberone et de Bodello monasteriorum abbatibus committitur, quatinus si repererint abbatissam et conventum Vallis ducis, Leodiensis dioecesis, abbatissae et conventui de Parco dominarum pridem dictum in summa et quantitate 19 modiorum avenae mensurae Lovaniensis, necnon in 50 solidis monetae usuatae, iuste et rationabiliter teneri, partibus hinc inde auditis, facient iustitiae complementum in plenaria Ordinis potestate.

71. Abbati monasterii de Pomuk conceditur per generale Capitulum, quatinus certis de causis ipsum Capitulum moventibus, usque ad sex annos immediate secuturos ad ipsum Capitulum non veniat, nec ad quodcumque studium generale Ordinis scolarem dicto tempore sex annorum durante mittere nullo modo teneantur.

72. Domino Claraevallis, s. th. pr., ac abbatibus de Igniaco et de Valleclara, seu alteri eorumdem committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas monasterio Longipontis vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas esse repererint per litteras vel alia documenta legitima, ad satisfactionem plenariam coerceant et compellant.

73. Abbati in Valkalderode, patri abbati ac etiam abbatibus in Porta et in Valle Sancti Georgii committitur in plenaria Ordinis potestate, quatinus si contenta in litteris quibus praesens diffinitio annectitur, repererint fore vera, abbatem deponent et perpetuo carceri mancipent, invocato ad hoc, si opus sit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et etiam brachii saecularis.

74. Abbati de Rigniaco committit generale Capitulum, quatinus si repererit abbatem de Escalisarum abbati de Fonteneto, s. th. pr., in certa pecuniae summa teneri, per censuram Ordinis ad satisfaciendum eumdem viriliter coerceat et compellat.

75. De Bonavalle et de Silvanesio, Ruthenensis dioecesis, monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus si contractum habitum inter abbatem et conventum Bonaecumbae Ruthenensis ex una parte, et nobilem virum dominum Guillemum de Solages militem, super celebratione unius missae quotidianae, repererint ipsi monasterio Bonaecumbae fore utilem et fructuosum, confirment, ratificent et approbent, auctoritate dicti Capituli generalis.

76. Eisdem de Silvanesio et de Bonavalle et eorum cuilibet in solidum committit generale Capitulum, quatinus si repererint traditiones quarumdam terrarum sterilium per abbatem et conventum Bonaecumbae pluribus personis in perpetuam emphiteosim faciendas vel iam factas ipsi monasterio fore utiles, traditiones huiusmodi auctoritate dicti Capituli confirment, ratificent et approbent.

77. Abbati Grandissilvae committitur per generale Capitulum, quatinus si repererit abbatem de Florano abbati Bonaecumbae in aliquo teneri, per censuram Ordinis ad satisfaciendum eidem abbati de Bonacumba compellat.

78. Cum fratre Ioanne dicto Minor, sacerdote monacho monasterii in Scalis, per generale Capitulum misericorditer dispensatur ut non obstante quod per unum mensem apostataverit relinquens habitum regularem et dimittens, ad officia, dignitates et actus legitimos Ordinis valeat promoveri, dignitate abbatiali seclusa.

79. Eodem modo conceditur fratri Ioanni dicto Rauft, monacho dicti monasterii et sacerdoti.

80. Abbatem de Septem fontibus citatum ad praesens Capitulum per litteras domini Cistercii sigillo dicti de Septem fontibus in signum receptionis sigillatas, quia non comparuit nec alius pro eo, generale Capitulum reputat contumacem, et ex abundanti citat ad immediate sequens Capitulum generale.

81. Domino Fonteneti patri abbati monasterii de Septem fontibus, committitur per generale Capitulum, quatinus ad ipsum monasterium personaliter accedat, visitet, reformat et corrigat quae visitanda, reformanda et corrigenda noverit, auctoritate dicti Capituli generalis.

82. Sententiam depositionis domini Morimundi auctoritate reformationis sibi commissae per generale Capitulum, latam contra fratrem Henricum quondam abbatem Lucelensem, ac provisionem alterius de persona fratris Conradi nunc abbatis dicti monasterii factam, dictum Capitulum ratificat, approbat et confirmat, iniungens dictum Capitulum praedicto fratri Henrico sub poena fugitivis infligenda, ut infra tempus ab Ordine diffinitum in dicto monasterio Lucelensi aut alio dicti nostri Ordinis professionem faciat regularem.

83. Ad requestam abbatis de Ebraco committit generale Capitulum abbati de Speciosa valle filiationem monasterii monia-

lium in Bullehem, ac visitationem eiusdem pro temporibus futuris.

84. Requestam abbatum de Anglia generale Capitulum gratiose admittit, quatinus per duos abbates Angliae, unum videlicet de provincia Cantuariensi et alterum de provincia Eboracensi, de consensu aliorum abbatum aliarum provinciarum assumendos, ceteri abbates successu temporis dumtaxat valeant excusari durantibus guerris, dum tamen duo dicti abbates annis singulis aliorum abbatum contributiones et excusationes apportaverint in Capitulo memorato. Et cum nullus propriis stipendiis militare teneatur, quatinus dictis duobus abbatibus ad dictum Capitulum venientibus satisfaciant de expensis integraliter et complete, et ad hoc compelli valeant per censuram Ordinis per abbatem de Boxellee in provincia Cantuariensi, et per abbatem de Fontanis in provincia Eboracensi, in plenaria dicti Capituli potestate.

85. Abbati de Furnesio concedit generale Capitulum, quatinus in suo monasterio singulis diebus in quibus una missa tantum dici debet, missa Beatae Mariae in conventu alta voce et cum nota solemniter decantetur ; aliis vero diebus ad altare ad hoc deputatum missa eiusdem Virginis sine nota more solito celebretur.

86. Ut cum 60 monachis quos abbas de Furnesio decreverit, idem abbas ab omnibus sententiis excommunicationis, suspensionis et interdicti, et ab omnibus casibus Capitulo reservatis ac super irregularitate quovis modo contracta dispensare valeat, ac ipsos ad actus legitimos etiam si abbatialem includant dignitatem ac rehabilitare possit, dictum Capitulum dicto abbati de Furnesio concedit usque ad quinquennium.

87. Reformationem et gubernationem studii Ordinis in Tyçon... (?) constituti, quod fere, ut ad Capituli auditum pervenit, annihillatur, abbati de Vuburnio dictum Capitulum committit, in plenaria ipsius Capituli potestate.

88. De Fontanis et de Rievalle monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum ut diligenter inquirant, si alienatio cuiusdam manerii de Boroborlet in Hybernia sito, ad monasterium de Furnesio pertinentis, esset ipsi monasterio de Furnesio fructuosa et utilis, et quod repererint, referant sequenti Capitulo generali.

89. Dispensationes iam factas fratribus Ricardo Esle et Ricar-

do Thrayten, monachis de Furnesio, secundum dictarum dispensationum formam Capitulum generale approbat et confirmat.

90. Electionem fratris Rogerii in abbatem monasterii de Fontibus in Anglia ac eiusdem confirmationem generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat secundum litterarum super hoc confectarum quibus haec praesens diffinito annectitur seriem et tenorem.

91. Ad idem fratri Ioanni de Aluynghem, abbati monasterii de Kyrlisted concedit Capitulum generale.

92. Abbatibus de Varnevillerio, de Victoria et de Veteri valle, et eorum cuilibet praecipit et iniungit generale Capitulum in virtute sanctae obedientiae, quatinus abbati de Villerio eorum patri abbati obediant, suosque commissarios quoties ad eosdem per visitationem mittentur, recipiant, expensasque eisdem solvant secundum quod hactenus consueverunt, et prout est iuris et rationis, ac volunt Ordinis instituta.

93. Dispensat generale Capitulum misericorditer cum fratre Laurentio Converso, monacho de Doubian, qui ob manuale homicidium incarceratus extitit, et de carceribus evadens a dicto homicidio absolutus per Summum Pontificem, ut gradum pristinum habeat in Ordine et dicto monasterio.

94. Petitionem fratris Ricardi Eslet, monachi de Furnesio, qua supplicat idem Ricardus, ut abbas de Melsa solvat abbati de Furnesio expensas ad victum et vestitum eiusdem Ricardi pro uno anno et dimidio, ex certis causis et rationabilibus generali Capitulo expositis, committit idem Capitulum abbatibus de Rievalle et de Fontibus in plenaria Ordinis potestate, ut inde faciant quod iustitia suadebit.

1411

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo undecimo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensi Capitulo generali.

1411. *Fontes* : L^3 : 1-93 ; *M* : 20, 33, 45, 55, 66, 67, 90 ; P^2 : 1, 6, 15, 20, 41, 45, 54, 55, 66, 67, 70, 71, 90 ; *W* : 20, 33, 45, 55, 66, 67, 90. [a] *Titulus apud* L^3.

ORATIONES [b].

1. Pro Sanctissimo in Christo... Ioanne XXIII... *etc. ut in anno* 1401.

2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES.]

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

7. Item, cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1390, *n*° 7, *mutatis tamen sequentibus*: contributionem sex millium florenorum... secundum quod in registris continetur, nisi per dominum Cistercii modernum, cui dat dictum Capitulum generale super hoc plenariam potestatem, moderentur, solvant et tradant integraliter... receptores... ubique dominum abbatem Cistercii per se vel per alium seu alios, et in Cistercio priorem et cellerarium monasterii Cistercii et eorum quemlibet. Item, Parisius cellerarium Sancti Bernardi illius loci, ac per totam Italiam procuratorem Ordinis in romana curia generalem, et alios in specialibus diffinitionibus nominatos. Dans et concedens... (cf. t. III, p. 578). Vult etiam dictum Capitulum... *etc. ut in anno* 1401, *n*° 7. Potestatem autem... *etc. ut in anno* 1402, *n*° 7.

8. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1390, *n*° 19, *et* 1406, *n*° 8.

[DIFFINITIONES SPECIALES.]

9. Attentis locorum distantiis, viarum discriminibus et gravibus expensis quas effundere oportet abbates Ordinis a Capitulo generali distantes, dictum Capitulum singulis annis vel per certa temporum intervalla visitanda generale Capitulum ex indulgentia concedit abbatibus monasteriorum infrascriptorum, videlicet in Sancta Cruce, Campililiorum, Ezircela, Stams, Rayten-

---

[b] *Statuta* 1-7 *apud* L^3 *leguntur sub n*° 62 *sq., sed consuetam restituimus seriem.*

haslach, Waldsachssen, Valderbach, Hylaria, Pauringartenberg, Novomonte, Runa, Victoria, Sittich, Cella pincipum, Cella angelorum, Valle Dei alias Sciosenstein et in monasterio Fontis Sanctae Mariae prope Landscrast, ut dictorum monasteriorum abbates singulis annis unum ex abbatibus ad generale Capitulum mittant sub expensis et periculo omnium aliorum. Iniungitque Capitulum generale de Scancoe et de Runa monasteriorum abbatibus, ut adiunctis sibi uno vel duobus abbatibus supradictis secundum pietatem conscientiae et dictamen rectae rationis quotam expensarum imponant praedictorum monasteriorum abbatibus secundum facultatem et statum monasteriorum praedictorum, et ut negligentes solvere quotam expensarum ipsis impositam compellant per censuras Ordinis auctoritate Capituli generalis. Etiam debent praedictorum monasteriorum abbates ad praedictorum duorum abbatum requisitionem et citationem semel convenire per se vel per suos procuratores quolibet anno, in loco et tempore ab eisdem duobus abbatibus deputato, et ibi tractare de mittendo abbate et de contributionibus mittendis Capitulo generali, quas quidem contributiones per electum eorum abbatem ad Capitulum generale quolibet anno mittere tenebuntur. Deputatque Capitulum generale abbatem Sanctae Crucis in Austria collectorem contributionum Ordinis de monasteriis supradictis, et ut non solventes ad solutionem dictarum contributionum censuris Ordinis compellere valeat. Eidem abbati Sanctae Crucis dictum Capitulum liberam concedit facultatem praesenti diffinitione ad decennium tantummodo valitura.

10. Sub eadem forma diffinitum est pro monasteriis infrascriptis in partibus Rheni, Heymeroide, Campo, Veteri monte, Eberbaco, Castro aquilae, Monte Sancti Dosbedi, Loco Sanctae Mariae, in prioratu Sanctae Mariae Hyselstein, Herdenhusen, Campo Sanctae Mariae, de Breydelare, Lukken, Heylione, collector contributionum de dictis monasteriis est abbas de Herdenhusen, abbates compellentes ad solutionem expensarum, scilicet de Campo et Eberbaco, qui etiam ceteros abbates ad conveniendum citet, ut superius est notatum.

11. Ad idem abbates monasteriorum in Bohemia infrascripti obligantur, videlicet in Osselitz, in Czedlics, Pommul, Plas, Scancorro, Altus vadus, Gradis, Aula regia, Sacer campus, Zar, Scalicz. Receptor contributionum deputatus abbas in Czelicz de monasteriis memoratorum, etiam de Gedlicz et de Pommul

monasteriorum abbatibus iniungit generale Capitulum, ut praedictos abbates ad contribuendum compellant, et cum conveniendis dictis abbatibus praefigunt ad concordandum dictum abbatem seu procuratorem idoneum mittendo ad Capitulum generale.

12. Ad idem abbates in monasteriis infrascriptis, videlicet in Valkenried, Volkenderos, Porta, Redageshusen, Sichem, Valle Sancti Georgii, Lapide Sancti Michaelis, Valle Sanctae Mariae, Scherenbach, Antiqua cella, Grunenhayn, Buch, Lenin, Dobirluch, Rifenstein, Bicznigserode, Czinna, Nova Cella, quod et ipsi unum abbatem ex eis de statu monasteriorum bene informatum cum contributionibus singulis annis mittant ad generale Capitulum, aliis remanentibus et excusatis. Ordinatque dictum Capitulum abbatem de Valkenried collectorem contributionum in monasteriis supradictis, cui etiam una cum abbate ... alios compellere ad contribuendum pro via euntis ad Capitulum generale valeat auctoritate dicti Capituli generalis.

13. Ad domini Morimundi et sui conventus instantiam generale Capitulum committit districtius iniungendo dominis abbatibus Lancheyn et de Nepomuk et eorum cuilibet, quatinus omnes et singulas Ordinis nostri Cisterciensis sexus utriusque personas, quas repererint obligatas esse seu teneri dicto domino abbati et conventui monasterii Morimundi in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eisdem per censuram Ordinis auctoritate Capituli et in eiusdem Capituli plenaria potestate coerceant et compellant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum ac etiam brachii saecularis.

14. Cum fratre Ioanne Waltibonen, professo monasterii in Lococrescenti sacerdote et monacho, qui illicentiatus recessit ab Ordine et reiecto habitu quasi per unius anni spatium damnabiliter mansit in saeculo, dispensat generale Capitulum, ut ad omnes actus legitimos admitti, et Ordinis dignitates promoveri valeat, praeter abbatialem dignitatem.

15. Examinato cum debita diligentia processu commissariorum generalis Capituli videlicet de Walkenred, de Volkenrod, et de Porta monasteriorum abbatum habito circa destitutionem fratris Chunradi [c] quondam abbatis monasterii Waldsachssen,

---

[c] Eurardi : *P*2.

et institutionem fratris Bartholomei, monachi et professi monasterii memorati, generale Capitulum ex certa scientia praedictorum commissariorum sententiam latam contra et adversum praedictum fratrem Chunradum circa ipsius depositionem ad administratione abbatiae approbat, ratificat et confirmat. Attendensque dictum generale Capitulum pia consideratione senectutem et invalitudinem dicti fratris Chunradi senioris, ordinat, statuit et diffinit quod dicto fratri Chunrado seniori debita fiat provisio et sufficiens, et sibi de loco provideatur congruenti, si et in quantum mandatis generalis Capituli paruerit humiliter et devote. Sed quia frater Bartholomeus praedictus in abbatem dicti monasterii institutus, per sententiam Capituli generalis fuerit tamquam conspirator reputatus et condemnatus, de quo hoc praesens generale Capitulum plenius existat informatum, ideoque ipsius Bartholomei institutionem tamquam contra nostri Ordinis instituta praesumptam generale Capitulum cassat, irritat et annullat, proviso quod nullus de professis dicti monasterii pro ista vice promoveatur in abbatem. Etiam cum provisio de abbate instituendo in dicto monasterio in Waldsachssen ad generale Capitulum censeatur legitime devoluta, dictum Capitulum bonam famam et laudabilem conversationem et sufficientiam, tam in spiritualibus quam in temporalibus, Henrici de Bursan, in monasterio Bebenhusen, audiens et intelligens, eumdem ordinat et statuit in abbatem monasterii in Waltsachssen, in plenaria Ordinis potestate. Si cum ipsius institutioni dicti fratris Henrici instituti consensus accesserit et voluntas ; quodsi praedictae institutioni dictus frater Henricus consentire renuerit, abbas de Ebraco adiunctis sibi de Pommul et de Wilthusen monasteriorum abbatibus alium sufficentem et idoneum, bonis moribus praeditum constituant in abbatem monasterii memorati, in plenaria Ordinis potestate, eumdem in realem possessionem dictae abbatialis administrationis inducentes. Ordinatque generale Capitulum abbatem in Ebraco et in Pommul et in Wilthusen ipsis firmiter iniungendo, ut omnes simul et duo eorum ex ipsis tertio legitimum impedimentum habente et se excusante, omnia et singula praemissa diligenti executioni demandent et fideliter exsequantur, inobedientes et rebelles ac contumaces poenis Ordinis et iuris remedio compescendo, prout eorum contumacia exigit et requirit, in plenaria Ordinis potes-

tate, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, ac etiam iudicum ecclesiasticorum.

16. Ad petitionem abbatis in Lankheim generale Capitulum a missione studentis ipsum misericorditer relevat per biennium, ita ut monachi ad studium mittendi in monasterio suo instruantur, in quantum conventualis labor permittit in scientiis primitivis.

17. Indulget generale Capitulum misericorditer abbatibus in Ebraco, Fontis salutis, Lankheim, Brunbach, et Wilthusen, ut a Capitulo generali remaneant ita dumtaxat, ut unum abbatem ex ipsis aut monachum eorum legitimum procuratorem de statu monasteriorum bene informatum cum contributionibus Ordinis mittant singulis annis ad generale Capitulum, in omnium dictorum abbatum remanentium periculo et expensis, praesenti diffinitione in suae firmitatis robore per quinquennium tantummodo valitura.

18. Abbati in Ebraco concedit praesens Capitulum generale ut monachum nostri Ordinis confessorem eligere valeat, qui ipsum in omnibus et singulis casibus et sententiis Capitulo reservatis pro sola vice absolvere queat, et ipse etiam personas regulares dicti monasterii sui et aliorum monasteriorum sibi nunc subiectorum utriusque sexus confessas et contritas de praemissis casibus et sententiis absolvere potest semel dumtaxat, in plenaria Ordinis potestate. Idem conceditur abbatibus in Victoria, in Stams, in Sittich, in Landstrose, in Scongachardo, in Pelisio, in Salem, in Campo principis, de Luzela, Brumbach, Wilthusen, Fonte salutis et in Maris stella.

19. Omnibus et singulis abbatibus huic praesenti Capitulo interessentibus indulgetur a Capitulo generali, quod omnibus et singulis personis regularibus ipsis in eorum monasterii subiectis confessis et contritis beneficium absolutionis impendant semel dumtaxat in omnibus casibus et sententiis generali Capitulo reservatis, et ipsi abbates etiam personam regularem nostri Ordinis confessorem possint eligere, qui a dictis casibus et sententiis ipsos una vice tantummodo valeant absolvere, auctoritate Capituli generalis.

20. Ad reverentiam dominicae passionis in qua est salus et redemptio nostra constituta, concedit generale Capitulum abbati et conventui monasterii Sanctae Crucis [d] in Austria ut histo-

[d] Scenanensis : *P*².

riam de Sancta Cruce, qua utuntur Carthusienses in utroque festo, scilicet Exaltationis et Inventionis cantare et uti valeant futuris temporibus in monasterio Sanctae Crucis memorato et quibuslibet sextis feriis a ceteris missis vacantibus celebrent missam conventualem de Sancta Cruce cum duobus ministris, ob reverentiam passionis Iesu Christi.

21. Generale Capitulum concedit de Sancta Cruce, de Czuxela, de Campo liliorum monasteriorum abbatibus, ut pro solutione debitorum quibus dicta monasteria propter guerras, incendia et spolia plurimum sunt gravata, vendere et alienare immobilia bona valeant usque ad summam quatuor millium florenorum. Ordinatque dictum Capitulum de Runa et de Victoria monasteriorum abbates ut dictorum bonorum venditionibus et alienationibus diligenter supervideant et secundum puritatem conscientiae et monasteriorum utilitatem praedictorum bonorum alienationes concedant et autorisent, auctoritate Capituli generalis.

22. Ad petitionem abbatis de Laude misericorditer concedit generale Capitulum dicto abbati auctoritatem absolvendi monachos et professos dicti monasterii a sententiis excommunicationis, quas incurrerunt propter crimen apostasiae, et quod possit cum eisdem misericorditer dispensare super irregularitate contracta in casibus dumtaxat Capitulo generalis reservatis.

23. Item, generale Capitulum poenaliter permotum admittit petitionem abbatis in Laude quod Ioannem Pouret monachum dicti monasterii ad professionem admitteret ac reciperet, et ad omnes actus legitimos et Ordinis dignitates, praeter abbatiatum, cum eodem dispensare valeat auctoritate Capituli generalis, si tamen super defectu natalium et super tonsura clericali cum eodem Ioanne legitime sit dispensatum.

24. Ad generalis Capituli notitiam ex domini Morimundi insinuatione querulosa deductum extitit, quod licet abbas et conventus monasterii de Gradis teneantur per suas patentes litteras loco et tempore opportunis demonstrandas dicto domino Morimundi et suo conventui ac ipsi monasterio Morimundi in summa decem librarum parvorum turonensium annui et perpetui redditus, anno quolibet in festo Nativitatis Virginis gloriosae infradicto monasterio solvendas, ac in magnis pecunia-

rum summis ratione dicti redditus neglectis de et pro multis ac pluribus annis ultimo lapsis, eisdem de Morimundo satisfacere distulerunt et adhuc differunt, in eorum et dicti monasterii grave praeiudicium et iacturam, quamvis per dictum dominum Morimundi super hoc alias fuerint requisiti, Capitulum ad dicti domini Morimundi requisitionem et instantiam, de Ebraco, de Lankheim et de Nepommuk monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet per se et in solidum districte praecipiens dictum generale Capitulum et iniungens tenore praesentis statuti committit, quatinus praedictos abbatem et conventum ac singulas personas dicti monasterii de Gradis sub excommunicationis latae sententiae poena in abbatem praedictum dicti monasterii de Gradis, et suspensionis et interdicti in singulas personas conventus ipsius moneant, vel alter eorum moneat quos Capitulum generale etiam sub eisdem poenis tenore praesentis statuti monet, quatinus infra tres menses et monitionem huiusmodi per eos vel alterum eorum eisdem factam legitime computandos, quorum trium mensium primum pro primo, secundum pro secundo, et tertium et ultimum pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica eisdem assignent, vel eorum alter assignet. Quos etiam dictum Capitulum tenore praesentis statuti assignat, ut praedictis domino Morimundi et suo conventui de praedictis decem libris annui et perpetui redditus et de ipsius redditus neglectis satisfaciant integraliter et complete, aut alias cum eisdem valeant amicabiliter concordare. Alioquin nisi dictorum abbatum aut alterius eorum imo dicti generalis Capituli huiusmodi mandatis paruerint cum effectu, dictum abbatem de Gradis monachosque excommunicationis et singulares personas conventus ipsius suspensionis et interdicti praedictis sententiis declarent vel eorum alter declaret, quos etiam in illo casu dictum generale Capitulum ex nunc pro tunc tenore praesentis statuti declarat incurrisse. Nisi tamen causam seu causas dicti de Gradis praetendere, proponere et allegare voluerint, propter quam seu quas ad huiusmodi solutionem compelli minime debeant, ad quam seu quas praetendendas, proponendas et allegandas in illo casu et ulterius in et de super hoc, ut de iure fuerit, procedendum praedictos abbatem et conventum de Gradis citent, vel eorum alter citet, quos etiam dictum generale Capitulum tenore praesentis statuti citat peremptorie sub poenis dictis coram Diffinitoribus ipsius Capituli praedictas causam seu causas praetensuros,

propösituros et allegaturos, et super praemissis et ea tangentibus processuros et facturos procedi et fieri visuros, prout fuerit rationis. Praedictis de Ebraco, de Lankheim et de Nepommuk monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet praecipiens et iniungens dictum Capitulum quatinus quidquid de et super praemissis fecerint proximo generali Capitulo certificent competenter per suas patentes litteras hiis praesentibus inserendum, et remittant easdem fideliter Capitulo memorato.

25. Attendens generale Capitulum compassione paternali permotum monasterii in Victoria gravissima damna, quae sustinuit ex ignis conflagratione vehementi, adeo ut dictum monasterium in suis officinis, quasi totaliter in cineres sit redactum, praedictum abbatem et suum monasterium a solutione contributionum Ordinis et a missione studentis, ac etiam a visitatione generalis Capituli usque ad viginti annos continuos, a data praesentium computandos, misericorditer eximit et absolvit.

26. Auctoritate generalis Capituli conceditur abbati de Victoria Saltzburgensis dioecesis, ut cum monachis fugitivis sui monasterii semel dumtaxat dispensare, et gradum et habitum ipsis restituere. et eosdem ad omnes actus legitimos et Ordinis dignitates praeter abbatiatum habilitare valeat auctoritate Capituli generalis, si tamen dicti fugitivi bene correcti fuerint et emendati. Et super irregularitate contracta immiscendo se divinis in saeculo, si quam contraxerint, dispensare valeat auctoritate Capituli memorati.

27. Abbati de Porta cœli concedit Capitulum generale licentiam remanendi, contemplatione suae infirmitatis et senii a generali Capitulo per triennium, dummodo contributiones generales Ordinis solvat dicto Capitulo generali.

28. Idem conceditur abbati de Capella modo et forma supradictis.

29. Ad promovenda generalia nostri Ordinis studia in quibus personae Ordinis in theologicis doctrinis ad honorem Dei et Ordinis decorem illustrantur, generale Capitulum diligenter intendens ordinat, statuit et diffinit quod omnes et singuli abbates monasteriorum in Austria, Bavaria, Franconia, Stiria, Carinthia, Carneola, Moravia, Polonia, et de regno Hungariae, qui ad mittendum studentes secundum Ordinis statuta sunt obligati, suos studentes mittant ad studium generale Viennense sub poenis in statutis papalibus et Ordinis contentis ; iniun-

gitque dictum generale Capitulum abbati Scenanensi, patri abbati atque gubernatori dicti studii, quatinus abbates non mittentes studentes suos ad dictum studium Viennense compellat per censuram Ordinis ad mittendum studentes suos ad dictum Viennense studium, in plenaria Ordinis potestate.

30. Indulgetur abbati de Sancto Gothardo a Capitulo generali ut monachis hospitibus ad suum monasterium regulariter missis, qui sint honestae vitae et religiosae conversationis, prioris et supprioris officia et ceterarum administrationum gubernationem committere valeat absque praeiudicio suorum professorum, de licentia Capituli generalis.

31. Relatum est Capitulo generali quod monasteria nostri Ordinis in regno Hungariae constituta tam in temporalium administratione quam in spiritualium observantia plurimum defecerunt, et quaedam ex eis per personas extraneas, quae non sunt de gremio nostri Ordinis, violenter occupata, unde generale Capitulum paternaliter permotum committit reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus nostri Ordinis in regno Hungariae constitutorum abbati de Runa, praecipiens eidem et iniungens quatinus per se vel per alium per ipsum substituendum omnia et singula dicta monasteria et personas regulares dictorum monasteriorum visitet et reformet in plenaria potestate Capituli generalis, et quaecumque in dictis monasteriis et in personis regularibus eorumdem, corrigenda, instituenda et destituenda cognoverit, corrigat, instituat et destituat tam in capite quam in membris, prout dictis monasteriis et personis regularibus melius viderit expedire. Insuper praedictum Capitulum constituit praedictum abbatem de Runa collectorem contributionum in dicto regno Hungariae in monasteriis memoratis, dans eidem potestatem quittandi et litteras quittatorias dandi de receptis, absolvendi solventes, si quas sententias incurrerint ex dilatione solutionis contibutionum earumdem. Et haec omnia et singula praemissa faciat ad expensas dictorum monasteriorum, quas abbates et abbatissae procurent et administrent dicto abbati de Runa aut alteri ipsius substituto, per censuram Ordinis omnimodam recusantibus dictas expensas solvere infligendam, auctoritate Capituli supradicti. Universis igitur et singulis personis regularibus dictorum monasteriorum, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis huius commissionis tenore dat idem Capitulum firmi-

ter in mandatis quatinus in omnibus et singulis supradictis et ea concernentibus, tangentibus et dependentibus ab eisdemquovis modo praefato abbati de Runa aut alteri ab eo substituto humiliter et devote obediant, pareant et intendant, ipsisque praestent auxilium, consilium et favorem, praesenti diffinitiva commissione per continuum quinquennium a datis praesentium computandum in suo robore duratura.

32. Ad supplicationem fratris Laurentii Schuler, monachi et professi in Cips, diffinitionem hic editam anno Domini 1399 ex certa scientia approbat, ratificat et confirmat. Cuius quidem diffinitionis tenor sequitur et est talis : *cf. ann.* 1399, *n*° 14, *deinde* : ac etiam litteram domini Morimundi nunc vero abbatis Cistercii datam anno Domini 1397 cuius tenor sequitur in haec verba : Universis christifidelibus et maxime personis Cisterciensis Ordinis frater Ioannes abbas monasterii de Morimundo praedicti Ordinis, Lingonensis dioecesis, in omni salutatione salutem. Cum dilectus in Christo frater Laurentius Schuler praesentium exhibitor, monachus expresse professus in monasterio de Cips, Strigonensis dioecesis, nobis immediate subiecto certis et rationabilibus causis nobis per eumdem oretenus expositis, cum animi sui quiete nequeat ad praesens in dicto monasterio de Cips Altissimo famulari, Nos eius animae salutem paternis affectibus, quantum cum Deo possumus procurare cupientes, auctoritate Capituli generalis memorati Ordinis nobis in nostra generatione concessa, praedicto fratri Laurentio manendi in aliis Ordinis nostri monasteriis vel conventualibus locis, donec aliud de ipso per Nos ordinatum fuerit, absque professione per eum alia facienda, licentiam tenore praesentium impertimur. Praesens Capitulum approbat, laudat, ratificat et de novo confirmat ; dictoque fratri Laurentio, ut ubicumque repererit abbatem benevolum in Ordine nostro, qui suam velit professionem recipere, licentiam eidem profitendi concedit dictum Capitulum generale.

33. Cum illustres principes et domini Fridericus et Willelmus germani marchiones Misniensis, Thuringiae landgravii et comites Saxoniae palatini, quoddam generale studium in oppido suo Lypzik fundaverunt, et idem studium a domino nostro Papa confirmari et privilegiari obtinuerunt, in quo dicti domini specialiter desiderant unum collegium Ordinis nostri inducere et unire, ad preces et instantiam dictorum dominorum Capitulum generale

ordinat, statuit et diffinit ut de singulis monasteriis Ordinis nostri in Thuringia, Saxonia, partibus stagnalibus, Misnia, Hassia, Wesphalia et in partibus circumvicinis, et idem Capitulum committit abbati de Veteri cella, qui pro tempore fuerit, ut dictum collegium instituat ac provisorem idoneum quoties opus fuerit, ordinet in eodem, ac abbates memoratos ut scolares suos illuc transmittant, compellat, habeatque paternitatem et curam ac iurisdictionem collegii memorati, auctoritate dicti Capituli generalis, cum cuiuslibet coercitionis canonicae potestate ut abbates pro constructione collegii in dicto studio contribuant tantum quantum quolibet abbas daret per biennium suo studenti, quo constructo mittant suos scolares illuc pro studio primi anni.

34. Ad instantiam supplicationis abbatis in Stams, Capitulum generale attendens necessitates multiplices dicto monasterio ingruentes, concedit abbati et conventui in dicto monasterio, ut debita contrahere vel pecias vendere ad summam 600 florenorum valeant, ne ad maiora discrimina ipsos et eorum monasterium contingat devenire.

35. Ex indulgentia speciali concedit generale Capitulum abbati monasterii de Maristella, ut contemplatione guerrarum prope monasterium suum continuatarum, et sui corporis invaletudine, per continuum triennium a via generalis Capituli remaneat excusatus, ita dumtaxat ut contributiones Ordinis suum monasterium concernentes singulis annis mittat ad Capitulum generale.

36. Generale Capitulum concedit abbati de Maristella auctoritatem dispensandi cum aliquibus monialibus professis in monasteriis eidem abbati subiectis, et eas habilitandi ad quoslibet actus legitimos, et ut ad quaslibet Ordinis administrationes promoveri et assumi possint, praeter abbatialem dignitatem valeant auctoritate Capituli generalis, si tamen super excessibus suis bene emendatae fuerint, et correctionem et poenas Ordinis pro eisdem excessibus ipsis inflictas sustinuerint humiliter et devote.

37. Considerans generale Capitulum quod decedente abbate in Victoria, abbas de Villerio, dicti monasterii in Victoria ordinarius visitator, pro futuri abbatis creatione non possit propter nimiam locorum distantiam evocari absque gravibus laboribus et expensis, et quia periculosum est monasteria abbatibus destituta absque gubernatione debita diutius remanere, dictum gene-

rale Capitulum concedit et indulget priori, suppriori, qui pro tempore fuerint, et toto conventui in monasterio de Victoria, quod abbate decedente, abbas de Runa ad eorum requisitionem et petitionem ad dictum monasterium accedere pro novi abbatis creatione, confirmatione, installatione et ceteris ad haec requisitis, et haec omnia et singula exsequi valeat in plenaria Ordinis potestate. Non tamen intendit generale Capitulum auctoritati patris abbatis atque iurisdictioni per hanc praesentem commissionem aliquatenus derogare, praesente diffinitione per continuum triennium tantummodo valitura.

38. Ad instantiam petitionis abbatis de Walderbach, generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Chunrado de Mittenaire, sacerdote et monacho dicti sui monasterii professo, qui culpis suis exigentibus incarceratus, carceres fregit et illicentiatus recedens a monasterio quasi per mensem remansit in saeculo, retento tamen habitu monachali, tandem ad cor rediens sponte ad monasterium rediens et carceris iniurias humiliter poenitentiam peregit, ut ad omnes actus legitimos admitti, et ad omnes Ordinis dignitates promoveri valeat in plenaria Ordinis potestate.

39. Quia abbates de Sancta Cruce et de Runa hoc praesens Capitulum visitaverunt pro solutione, sub omnium aliorum abbatum ipsis vicinorum periculo et expensis, prout ordinatum fuit per venerabilem dominum abbatem Morimundi, praecipit et iniungit dictis abbatibus Capitulum generale ut, priusquam a petentibus requisiti fuerint, infra mensem in refusionem expensarum dictis abbatibus contribuant quotam ipsis et monasteriis eorum impositam, alioquin elapso mense prius dictam requisitionem dicti duo de Sancta Cruce et de Runa monasteriorum abbates ad solutionem dupli expensarum pro via generalis Capituli, secundum constitutiones Benedicti Papae et Ordinis, praedictos negligentes compellere debent, in plenaria potestate Capituli generalis.

40. Abbati et conventui monasterii Sanctae Crucis in Austria indulget Capitulum generale, ut ipsi de communi consilio et pro utilitate sui monasterii grangias hucusque per personas regulares administratas, personis saecularibus pro annuo censu vel ad certos annos, seu etiam perpetuis temporibus locare valeat ex auctoritate Capituli generalis.

41. Cum sancti Angeli ab Omnipotenti Deo nobis ad custodiam

deputati salutis nostrae negotia fideliter et diligenter prosequuntur, et vigiles super nos contra spiritualium inimicorum insultus exercent excubias, dignum, sanctum et iustum videtur ut et nos de ipsorum grati beneficiis, aliquem honorem ipsis debitum rependamus, praesertim cum reverentialis honor Angelis exhibitus videatur in magnificentiam Regis aeterni, cuius ipsi sunt milites, redundare. Quapropter statuit, ordinat et diffinit hoc praesens Capitulum generale quod collecta *Deus qui miro ordine Angelorum* legatur ad primam et ad completorium, ad cursum Beatae Mariae Virginis post collectam de Beata Virgine, ut sancti angeli nos a malis imminentibus custodiant, et Rex omnium Angelorum in ipsis glorificetur per nostrum Ordinem universum.

42. Attentis et consideratis ac bene examinatis processibus et sententiis per Henricum de Ebraco, Nicolaum de Lankheim, et de Valle Sancti Georgii monasteriorum abbates, commissarios Capituli generalis in causa et negotio monasterii Albensis, actis et ordinatis, Capitulum generale sententiam diffinitivam dictorum commissariorum pro Conrado de Eltingen abbate dicti monasterii Albensis tamquam iuste, canonice et rationabiliter latam et promulgatam ratificat, approbat et confirmat. Omnia vero et singula per abbatem de Novo castro in et contra dictum Conradum abbatem monasterii Albensis, ipsum de abbatiali dignitate destituendo, et fratrem Conradum de Sindelfingen, praetermisso canonicae electionis ordine, instituendo, imo verius intrudendo, acta, attenta et praesumpta tamquam frivola, iniusta et iniqua, irritat, cassat penitus et annullat in plenaria Ordinis potestate, mandans et iniungens et praecipiens praedicto fratri Conrado de Sindelfingen et suis complicibus in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae ac furti et infamiae poenis, quatinus infra hinc et festum Omnium Sanctorum, calices, libros, ornamenta ac omnia et singula, res et bona per ipsos a dicto monasterio frivole et in praeiudicium animarum et honorem ipsorum, et in scandalum totius Ordinis ablata, distracta vel quovismodo alienata, restituant et reportent integraliter et ex toto, ac infra spatium unius mensis a data praesentis computando, dicto Conrado abbati monasterii Albensis obedientiam faciant regularem. Quod si omnia et singula vel aliquid ipsorum facere distulerint, vel aliquatenus, quod absit, renuerint, dictum Capitulum generale, dictis terminis lapsis, ipsos

et quemlibet ipsorum furti, infamiae et conspiratorum poenis decernit et declarat severiter puniendos, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum ac etiam brachii saecularis. Redeuntibus vero ad obedientiam ac regularem disciplinam cum omni humilitate et sponsione in antea cavendi ac emendandi se submittentibus, rigorem et censuram Ordinis dictus abbas Albensis ex permissione dicti Capituli, ita tamen ut impunes non transeant, iuxta suae pietatis affectum potest moderare, ipsosque auctoritate Capituli generalis a sententiis quibuscumque absolvere, et super irregularitatibus contractis cum ipsis dispensare, in quantum auctoritas dicti Capituli se extendit. Insuper ob favorem illustris principis et domini Bernhardi marchionis de Baden, Capitulum generale ordinat et disponit ut dicto fratri Conrado de Sindelfingen per dictum abbatem Albensem et suum monasterium cum annua pensione viginti florenorum provideatur, ita tamen ut infra tempus et terminos praedictos obedientiam regularem faciat, et ablata restituat ; alias omni provisione et gratia se noverit privatum, et tamqua furem, infamem et proprietarium per omnia puniendum, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum ac etiam brachii saecularis.

43. Generale Capitulum ordinat, statuit et diffinit quod abbas de Maristella, alias Wettingen, habeat paternitatem et gubernationem monasterii monialium in Seldenoio Constantiensis dioecesis, quod auctoritate generalis Capituli praedictum monasterium visitet, corrigat et reformet ; auctoritatem habeat instituendi et destituendi tam in capite quam in membris, ac omnia et singula agendi, gerendi, faciendi, ligandi et solvendi tamquam pater abbas, auctoritate Capituli generalis.

44. Pro sedandis discordiis et simultatibus quibusdam inter abbatem et conventum monasterii in Alba nuper exortis, mandat et iniungit de Lutzela, Caesarea, et de Runa monasteriorum abbatibus, quatinus ipsi simul vel duo ex ipsis accedant monasterium in Alba, et ipsum abbatem dicti monasterii Chunradum de Eltingen conventui suo recommendent, mandantes auctoritate Capituli generalis, ut sibi tamquam vero abbati eorum honorem debitum impendant, et humiliter et devote obediant, pareant et intendant, contradictores et rebelles poenis et censuris Ordinis compescendo, dictique abbates generalis Capituli commissarii memoratum abbatem in Alba ad possessionem monaste-

rii introducant et installent, aliasque solitas solemnitates circa novi abbatis creationem requisitas faciant de dato et auctoritate Capituli generalis. Insuper praedicti tres commissarii vel duo ex ipsis citent abbatem monasterii in Novo castro patrem abbatem in Alba, ut ipse in proximo generali Capitulo personaliter compareat, dicto abbati in Alba vel eius procuratori de illatis gravaminibus responsurus.

45. Item, ad requestam abbatis de Pomuck, Capitulum generale notificat et declarat quod monachi sui monasterii et aliorum monasteriorum Ordinis post obitum abbatis a professione abbatis futuri, et suorum monasteriorum sint minime absoluti, praesertim cum quilibet ipsorum suae conversionis initio tali monasterio stabilitatem, morum suorum et obedientiam secundum regulam Beati Benedicti voveat et promittat.

46. Item, Capitulum generale concedit et permittit ut abbas in Pomuck poenam conspiratorum in statutis Ordinis expressam, quantum ad fratrem Gerhardum, sui monasterii professum, secundum suae conscientiae dictamen moderet, mitiget et relaxet, ita tamen ut impunis omnino ad terrorem aliorum ullatenus non evadat.

47. Item, generale Capitulum cum fratre Ioanne, monasterii in Pomuck professo, infra dimidium annum bina vice apostatante et in proprietate convicto, misericorditer dispensat, ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac alias Ordinis dignitates, citra abbatialem, assequi, promoveri valeat et admitti.

48. Item, Capitulum generale cum fratre Cunrado, monasterii in Pomuck professo, infra annum et dimidium bina vice apostatante, abbatem et alias personas Ordinis diffamando, et litteras abbatum falsificando, misericorditer dispensat, ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac alias Ordinis dignitates, citra abbatiatum, prioratum, supprioratum, cellerariatum assequi, promoveri valeat et admitti.

49. Item, Capitulum generale cum fratre Wilhelmo, monasterii in Pomuck professo, qui nuper tempore electionis electoribus imposuit, quod probare non potuit, gratiose dispensat, ut ad omnes actus legitimos et administrationes, et alias Ordinis dignitates etiam abbatialem assequi et promoveri valeat et admitti.

50. Item, Capitulum generale concedit et permittit quod abbas in Pomuck bona monasterio suo nimis distantia, et quae

annuatim in censibus et redditibus sexaginta florenos valent et solvunt, vendere et alienare sibi liceat, et pro tali pretio alia bona aeque bona vel meliora iuxta suum monasterium propius sita, comparare et emere vice versa, ita tamen ut de omnibus et singulis per ipsum, ut praemittitur, actis et dispositis faciat relationem proximo futuro Capitulo generali.

51. Item, Capitulum generale ordinat, statuit et diffinit quod abbas in Pomuck et sui studentes domicilium et cameras circa domum magistri regentis in circuitu studii Pragensis sitas, per ipsos reformatas et magnis expensis constructas, pacifice et quiete sicut hucusque possederunt, possideant, nec per aliquem de et super tali possessione aliquatenus inquietentur, molestentur, seu quovismodo impediantur sub excommunicationis ac periurii poenis.

52. Item, discordiam et controversiam inter abbatem de Lenyn et abbatem de Zenna, ratione et occasione fratris Nicolai Brogerer conversi dicti monasterii in Lenyn olim professi dudum exortam, Capitulum generale abbati de Grunhau decidendam et bono fine terminandam committit, in plenaria Capituli generalis et Ordinis potestate.

53. Item, Capitulum generale annuit et concedit ut abbas de Redaxhersis sibi unum de monachis suis in confessorem eligat, qui ipsum in casibus generali Capitulo reservatis dicti Capituli auctoritate absolvat, ipseque dicti sui monasterii ac monasterii in Dissingenrode monachis in dictis casibus et dicta auctoritate beneficium absolutionis simili modo impendere valeat, usque ad futurum sequens Capitulum generale.

54. Item, Capitulum generale, matura deliberatione praehabita, grangiam quam alias abbas monasterii in Porta cum sui conventus consilio Nicolao dicto Czirygsoff praedecessori suo cedenti resignavit, qui nuper ab Ordine declinans episcopus titularis factus, declarat, decernit et diffinit ad praefatum monasterium de Porta, cum aliis quibuscumque dicto Nicolao deputatis fore devolutam et repetendam, viis et modis melioribus quibus poterunt.

55. Item, quia monasterium in Valkenrede in festo dedicationis dominica, quae cantatur *Vocem iucunditatis,* hucusque peracto multa incommoda et gravia propter hospitalitates, contentiones et alias insolentias saecularium ibidem supervenientium perpessum est, eapropter Capitulum generale abbati de

Campo, dicti monasterii de Valkenrede patri abbati, committit et iniungit quatinus dictum festum dedicationis, prout sibi praedicti monasterii commode et quiete melius expedire videbitur, in aliam diem transferat et transponat.

56. Item, Capitulum generale cum fratre Bertoldo Monkerode, monacho monasterii Valkered professo, olim apostatante gratiose dispensat, ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac alias Ordinis dignitates, citra abbatialem, assequi et promoveri valeat et admitti.

57. Item, Capitulum generale annuit et concedit ut abbas de Valkenrede sibi unum de monachis suis in confessorem eligat... *etc. ut in forma consueta.*

58. Item, quia ad aures Capituli generalis pervenit quod in monasterio monialium Stellae Mariae quidam errores pestiferi, blasphemiam imo haeresim redolentes, insurrexerunt, sic quod quaedam monialium dicti monasterii in festo Nativitatis Domini, quaedam vero festo Dominicae Resurrectionis frivole derogant et detrahunt, ex quo multae dissensiones et contestationes, aliquando etiam usque ad percussiones et scandala plurima oriuntur, ipsaeque moniales novitates abusivas in cantu et aliis superstitiosis ritibus inducunt, faciunt et exercent, et quod dictae moniales diffinitiones et statuta Ordinis ac sanctae regulae in nullo observantes, abbati Veteris cellae suo visitatori suis ordinationibus iustis et rationabilibus per minarum et insidiarum machinationes et aliis quibuscumque modis possunt, rebellisant et resistunt. Quapropter Capitulum generale de Aula regia et de Ozzeck monasteriorum abbatibus committit et iniungit, quatinus dictum monasterium monialium, infra unum mensem postquam requisiti fuerint, accedant et moniales a dictis erroribus et superstitionibus prohibeant et compescant, ipsasque ad debitum obedientiae et regularis disciplinae per censuram Ordinis et alias vias iuris reducant et compellant, invocato ad hoc, si opus fuerit, iudicum ecclesiasticorum auxilio ac etiam brachii saecularis.

59. Item, Capitulum generale cum fratre Hermanno Tettenbern, monasterii in Sichem professo, in contagio carnis deprehenso misericorditer dispensat, ut ad omnes actus, honores legitimos et administrationes ac alias Ordinis dignitates, citra abbatialem, assequi, promoveri valeat et admitti.

60. Item, Capitulum generale cum fratribus Andrea Hidech,

Ioanne Aurifabri, Martino Genker et Paulo Amendarf, monasterii Veteris cellae professis, olim apostatantibus, gratiose dispensat, ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac alias Ordinis dignitates, citra abbatialem, assequi, promoveri valeant et assumi.

61. Item, Capitulum generale cum fratre Henrico, monasterii Lenyn professo, de conspiratione convicto, gratiose dispensat, ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac alias Ordinis dignitates, citra abbatiatum, prioratum, supprioratum assequi, promoveri valeat et admitti.

62. Item, Capitulum generale cum fratre Meynardo, monasterii de Lenyn professo, apostatante, misericorditer dispensat, ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac alias Ordinis dignitates, citra abbatialem, assequi, promoveri valeat et admitti.

63. Item, Capitulum generale annuit et concedit ut abbas de Castro aquilae sibi unum de monachis suis in confessorem eligat... *etc. ut in forma consueta.*

64. Item, Capitulum generale permittit et concedit contractum initum et factum per abbatem de Castro aquilae cum Alberto dicto Rotzmaul oppidano in Frankfurda, ratione impignorationis quorumdam bonorum immobilium, et quod bona minus utilia possit commutare in magis utilia, datis inspectoribus Loci Sanctae Mariae et Otterburg monasteriorum abbatibus, qui in futuro proximo Capitulo generali fidelem faciant relationem.

65. Item, ex quo abbas Eberbacensis ad visitationem monasterii de Castro aquilae propter potentium tyrannidem ac aliarum viarum discrimina securum non habet accessum, quapropter Capitulum generale de Schonavia et Loco Mariae monasteriorum abbatibus mandat et iniungit, ut in casu quo dictum abbatem de Castro aquilae discedere ab hac vita contigeret, quod electioni novi et futuri abbatis praesideant electumque iuxta formam Ordinis confirment, ac dicto monasterio de Castro aquilae actum visitationis quoties opportunum fuerit impendant, hac autem diffinitione ad triennium in suo robore durante.

66. Concedit abbati monasterii Sanctae Crucis in Austria quod, amoto [e] quodam fratre Minore occupatore abbatiae in Czikador, auctoritatem habeat eligere et instituere unum mona-

[e] amota... occupatione : *MP²W.*

chum de professis sui monasterii in abbatem dicti monasterii in Czikador, in plenaria Ordinis potestate.

67. Ex concessione generalis Capituli indulgetur abbati Sanctae Crucis in Austria quod si abbatissa monasterii sanctimonialium extra muros Viennenses constituti, sibi immediate subiecti, decedere, vel ex certis causis ipsam cedere vel deponi contigeret, aliam monialem dicti monasterii professam infra annum tricesimum constitutam in abbatissam creare et confirmare valeat monasterii memorati, auctoritate Capituli generalis, dum tamen legitima fuerit, et aliud canonicum non obsistat.

68. Petitio fratris Bediani de Seglair, monachi Sancti Sudarii, exauditur a Capitulo generali quod ad monasterium Bonifontis Convenensis dioecesis, in quo prius vinculo regularis professionis fuit adscriptus, et pluribus temporibus monasticis observantiis insudavit, redeat, dum tamen abbas dicti monasterii Bonifontis eumdem velit colligere ac in suo monasterio retinere ; mandatque dictum Capitulum abbati Sancti Sudarii ut dictum fratrem Bedianum licentiet, nec eum quovis modo impediat in suo dicto proposito alibi profitendi.

69. Capitulum generale volens obviare discordiis et controversiis quae hucusque in monasterio Sturezelbrensi ortae sunt, et in antea oriri possent, fratri Nicolao priori ac aliis fratribus eiusdem monasterii quibuscumque concedit licentiam alibi profitendi liberam et expressam, hoc autem infra annum faciant. Quod si propter carentiam abbatum vel ex alia causa non fecerint, tunc in dicto suo monasterio perpetuo se sciant permansuros. Illis vero sic exeuntibus,de libris pro divino officio, et copia vestimentorum iuxta formam Ordinis, de monasterio proprio provideatur per abbatem dicti monasterii.

70. Quia coniecturis admodum probabilibus, et multarum graviumque personarum opinione publica suspectus ac horrende notatus esse dicitur frater Matheus de Sancto Quintino, monachus Ursicampi, de morte domini Balduini dudum abbatis dicti loci, quem eidem inter pastoralis sui regiminis primordia inhumano crudelique toxico monachus idem asseritur procurasse, generale Capitulum ad tam enormis scandali veritatem inquirendam, ad tanti quoque sceleris, si pepetratum fuerit, immanitatem, prout iustitiae severitas exiget, indissimulanter ulciscendam omni cessante mora procedere volens, domino Claraevallis, s. th. pr., qui dicti monasterii Ursicampi pater abbas est, in Ordinis potes-

tate plenaria committit, et sub divini attestatione iudicii praecipit et iniungit, quatinus assumptis secum Caroliloci et Ursicampi praedicti monasteriorum abbatibus, s. th. pr., vel ubi abessent, aut ad hoc vocari non possent, aliis duobus abbatibus Ordinis, qui ad huius rei grandis et arduae discussionem zelo polleant et industria per eumdem loco primorum vocatis, quam celerius poterit ad monasterium Ursicampi se transferens, exactissimis informationum cautelis aliisque modis omnibus licitis et accommodis veritatem inquirat, et in nominatum fratrem Matheum, si dicti criminis inventus fuerit auctor, vel super hoc vehementer suspectus, in alios etiam quoslibet complices vel participes, inflexibilis iustitiae vindictam extendat, cuius terror praesentium et posterorum consternat ausus sacrilegos huiusmodi vel similia parricidorum flagitia committendi.

71. Audita supplicatione generali Capitulo porrecta ex parte fratris Adae Hillok se gerentis pro abbate Ieripontis Ossoriensis dioecesis, Dubliniae provinciae, continente quod licet ipse frater Adam, vacante dicto monasterio Ieripontis per depositionem fratris Thomae Ossariol [f] nuper abbatis ibidem causa notoriae fornicationis, propter quam si legitime convictus extitit, rite deponi potuerit et debuit, secundum constitutionem felicis memoriae domini Clementis Papae IV, per conventum eiusdem loci fuerit ad abbatialem dicti monasteri dignitatem electus, et per patrem abbatem approbatus, confirmatus et canonice secundum Ordinis instituta promotus, dictumque monasterium Ieripontis aliquamdiu pacifice rexerit, ab omnibus praedicti loci monachis regulari professione sibi facta, nihilominus ipse frater Thomas depositus ad quosdam abbates Ordinis tempore schismatis loco Capituli in terra Hiberniae congregatos accedens eisdem suggessit, se contra iustitiam et indebite per quamdam sui patris abbatis et quorumdam monachorum per imaginationem falsam depositum extitisse, nulla mentione facta de criminibus et factis enormibus atque causis suae depositionis contentis in processu quem ipse pater abbas suo et abbati Sancti Salvatoris, qui secum in dicta depositione personaliter astiterunt, sigillis sigillatum misit et praesentavit eisdem abbatibus, sed ipso processu non examinato, imo potius in favorem dicti fratris Thomae celato vel abscondito praedicti abbates in Hibernia congregati de facto

---

Ofarol : *P*².

praedictum fratrem Thomam restituerunt ad suum gradum et abbatiatum dicti monasterii Ieripontis contra iustitiam, puritatem Ordinis, monasticam disciplinam et ipsius fratris Adae titulum et possessionem in ipsius damnum non modicum et gravamen. Virtute cuius restitutionis praedictus frater Thomas, congregato secum brachio saeculari, praedictum fratrem Adam de monasterio praedicto irreverenter, violenter eiecit, captis in oratorio monachis et ad saeculares carceres deductis, cellulas eorum fregit, librosque vestimenta et ecclesiastica sacramenta capi fecit, in eorumdem abbatis et monachorum iacturam et grave damnum. Quibus ita peractis dictus frater Thomas, sciens nullum ius regiminis dicti monasterii sibi competere, accessit ad suum patrem abbatem et finxit se velle visitari per abbatem de Portu Sanctae Mariae sibi notum et amicum, et impetrata commissione cum illa clausula, si contingat abbatem, etc. duxit secum abbatem ad monasterium Ieripontis dictum abbatem de Portu Sanctae Mariae. In quo quidem monasterio fuit quidam monachus nomine Ioannes Botillen, qui, instigante diabolo, manus violentas in ipsum abbatem prius iniecerat et cum sua magna sequela ipsum de monasterio suo eiecerat, propter quae notoriam excommunicationis sententiam incurrerat, nec tamen ullam inde punitionem susceperat. Qui frater Ioannes, conventione facta cum praedicto fratre Thoma deposito de dividendis inter se grangiis, redditibus, et decimis ad ipsum monasterium Ieripontis pertinentibus, dictus frater Thomas in praesentia abbatis praedicti de Portu Sanctae Mariae virtute commissionis antedictae cessit errori suo tamquam officio, ac ipse cum quibusdam adhaerentibus sibi dicto fratre Adam non vocato, nec praesente vel in aliquo consentiente ipsum fratrem Ioannem Botillen postulantem in abbatem Ieripontis, dictusque abbas de Portu Sanctae Mariae ipsum promovit aut potius intrusit in abbatem, et sic dictus Thomas obtinet quasi tertiam partem substantiae monasterii Ieripontis, et dictus Ioannes residuam partem cum sua sequela in ruinam loci et damnum ipsius Adae abbatis expulsi et monachorum suorum, ut asserit, praedicti generalis Capituli provisionem humiliter implorando. Abbatibus domus Beatae Mariae iuxta Dublinum, de Roseavalle, et de Lege Dei monasteriorum in terra Hiberniae, dictae Dubliniae provinciae, situatorum committit idem Capitulum eisdem districtius iniungendo, quatinus ipsi tres vel duo ipsorum, tertio legitime impedito,

vocatis partibus et conventu Ieripontis, ac aliis, si qui de iure vel consuetudine sint evocandi, super praemissis inquirant cum diligentia veritatem, et si praemissa repererint esse vera, conventiones huiusmodi et memorati fratris Ioannis promotionem aut verius intrusionem tamquam indebitas et contra nostri Ordinis instituta factas, irritent, cassent et annullent, praedictumque fratrem Adam in perfectam praefati monasterii Ieripontis possessionem, auctoritate praefati generalis Capituli restituant. Et praedictos fratres et Ioannem ac alios, si qui rebelles, quod absit, aut contradictores extiterint, auctoritate praefata per omnimodam Ordinis censuram viriliter et debite puniant et compescant, invocato, si opus sit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis. Praefatis autem fratribus Thomae et Ioanni et aliis Ordini memorato quibuscumque subiectis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena districtissime praecipit, et mandat idem Capitulum tenore praesentis diffinitionis, quatinus in praemissis et ea tangentibus ac dependentibus ab eisdem praenominatis abbatibus vel duobus eorum tamquam eidem Capitulo humiliter obediant eisque praestent auxilium, consilium et favorem.

72. Supplicationem fratris Ioannis Ymomage attestantis se nullo detestabili vitio reprehensum, non citatum nec auditum, vel super aliquo crimine legitime convictum, ab abbatiali dignitate monasterii de Tintern, alias de Voto, in Hibernia, Fernensis dioecesis, per quosdam fratres Ioannem monachum de Tinterna in Wallia, et Thomam Offarroll fuisse minus favorabiliter sed iniuste depositum, et alium quemdam fratre Ioannem Royt, ignarum et illiteratum, ibidem per dictos intrusum, iuris ordine praetermisso, et in ipsius supplicantis et sui iuris praeiudicium et gravamen. Assensu benigno condescendens generale Capitulum abbatibus de Portu Sanctae Mariae et Sancti Salvatoris de Dowisley monasteriorum abbatibus, Dubliniae provinciae, committit et iniungit ut, informatione diligenti praevia, vocatis partibus, et qui de iure fuerint evocandi, praedicto supplicanti, si praetacta repererint fore vera, faciant auctoritate praefati generalis Capituli secundum Ordinis instituta iustitiae complementum, invocato, si sit opus, auxilio iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis.

73. Attentis viarum discriminibus et locorum distantiis in diversis mundi partibus, ubi nostri Ordinis monasteria situantur,

ex quibus abbates quamplurimi, maxime propter gentes armorum, quae de die in diem in nonnullis mundi partibus incessanter discurrunt, non possunt tute commode aut sine periculis maximis accedere ad Capitulum generale. Eapropter non improvide et certis ex causis idem Capitulum omnes abbates, qui ad praesens Capitulum non fuerunt praesentes, illis dumtaxat exceptis, qui ad ipsum Capitulum erant citati personaliter, praefatum Capitulum habet favorabiliter excusatos.

74. Domino Claraevallis, s. th. pr., committitur per generale Capitulum, quatinus per se vel per alios duos abbates dioecesis Leodiensis neutri partium suspectos et non abbati de Villari subiectos, ad monasterium monialium Vallis ducis, Leodiensis dioecesis, auctoritate ipsius Capituli quantocius poterit accedat, et ibidem diligenter inquirat causam appellationis cum suis annexis et emergentibus factae per abbatissam et conventum dicti monasterii Vallis ducis vel earum procuratorem; ac de Camberone et de Bodelo monasteriorum abbatibus, commissariis dicti Capituli, seu ab eorumdem sententia praetensa, si quae fuit, et etiam quibuscumque sententia credunt interesse pro abbatissa et conventu monasterii de Parco dominarum lata, partibus hinc inde auditis et diligenter examinatis, iustitiae faciant complementum, in plenaria Ordinis potestate.

75. Abbati de Runa conceditur per generale Capitulum, ut pro sola vice habeat auctoritatem dispensandi cum monachis fugitivis sui monasterii professis et etiam in Sittich, et eosdem habilitandi ad quoslibet actus Ordinis legitimos, citra tamen abbatiatum, dum tamen bene correcti fuerint et emendati, praesenti diffinitione usque ad sequens immediate Capitulum tantummodo duratura.

76. Conceditur ad idem abbati de Victoria pro suis monachis et conversis dumtaxat.

77. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum fratribus Petro Gothi et Iacobo Trocelli, monachis monasterii Fontis frigidi, qui quasi spatio unius anni apostataverunt damnabiliter per saeculum vagantes, ut hoc non obstante ad omnes actus, gradus, et status cum honoribus Ordinis legitimos admittantur, abbatiatu dumtaxat secluso.

78. Ad humilem supplicationem abbatis et conventus dicti monasterii Fontis frigidi, gratiose, cum fratre Bernardo de Arminach converso dicti monasterii dispensatur, ut non obstante

apostasia quam incurrit quasi per spatium triginta annorum et ultra, ab omnibus sententiis excommunicationis et irregularitatis, quas sic vagando noscitur, incurrisse, dictum Capitulum generale ipsum fratrem Iacobum absolvit de gratia speciali.

79. Tractatum cui haec praesens diffinitio inseritur, ac omnia et singula contenta in eadem, generale Capitulum de gratia speciali approbat, ratificat et confirmat.

80. Ad humilem supplicationem Guillelmi Maioris de Vitray, quondam fautoris monasterii de Aceyo Bisuntinae dioecesis, committitur per generale Capitulum abbati de Caroloco quatinis si repererit per litteras aut alia legitima documenta de Charitate et Aceyo monasteriorum abbates eidem Guillelmo teneri vel aliqualiter obligari, eosdem et quemlibet eorumdem in solidum ad satisfaciendum eidem coerceat et compellat auctoritate Capituli in ipsius plenaria potestate, et hoc cum sumptibus et expensis partis obligatae.

81. Reformationem monasterii de Bullione in quo regulares observantiae, prout generalis Capituli pervenit ad aures, pene penitus ruinantur, de Bellavalle et de Aceyo, Bisuntinae dioecesis, monasteriorum abbatibus tam coniunctim quam divisim committit idem Capitulum cum omnimoda ipsius Capituli potestate, et clausulis opportunis et rationabilibus ad hoc tam in capite quam in membris requisitis.

82. Cum fratre Ioanne de Champlito, monacho monasterii de Theoloco, dispensatur gratiose, ut non obstante quod per quindecim dies vel quasi, regulari habitu non dimisso, apostataverit, ac postmodum voluntarie rediens poenitentiam devote peregerit, ad omnes status, gradus et Ordinis honores admittatur de gratia speciali.

83. Similiter dispensatur cum fratre Ioanne de Lingonis, dicti monasterii monacho, qui consimiliter apostatavit.

84. Quia scandalosae commotionis in studio Sancti Bernardi Parisiensis occasionem praebuerunt fratres Ioannes de Alna, Henricus de Villari et Ioannes de Bodelo scolares ibidem, abbatibus eorumdem monasteriorum praecipit et sub excommunicationis poena firmiter iniungit generale Capitulum, quatinus infra mensem a notificatione praesentis diffinitionis sibi facta quilibet revocet a dicto studio, nec ipsum illuc remittat absque ipsius Capituli licentia et consensu.

85. Abbatibus de Dora et de Regali loco committit et iniungit

expresse generale Capitulum et eorum cuilibet in solidum, quatinus ad studium Oxoniense personaliter ibidem auctoritate plenaria praesentis Capituli visitent et reforment, destituant et instituant, statuant et ordinent in omnibus et singulis membris, scolaribus et personis quocumque gradu, conditione seu praerogativa gaudeant, quaecumque pro bono spirituali et temporali ac pro honestate studii et personarum, visitationis, reformationis, destitutionis, institutionis, correctionis et ordinationis beneficio noverint indigere. Universis autem dicti studii personis graduatis mandat et praecipit memoratum Capitulum sub suae salutis incommodo, quatinus in omnibus praemissis ac ea tangentibus dictis de Dora et de Regali loco monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet obediant humiliter et devote. Committit etiam dictum Capitulum eisdem abbatibus auctoritate qua supra, quatinus omnes et singulos abbates Angliae et Walliae ad mittendum scolares in dicto studio Oxoniensi coerceant et compellant secundum papalia et nostri Ordinis instituta.

86. De Waverleya et de Fontibus in Anglia monasteriorum abbatibus per generale Capitulum committitur, videlicet abbati de Waverleya pro provincia Cantuariensi, et abbati de Fontibus pro provincia Eboracensi, ut ipsi duo convocent omnes abbates suae provinciae in loco et termino per eosdem deputato pro eligendo duos abbates, unum videlicet pro provincia Cantuariensi et alium pro provincia Eboracensi, prout melius decreverint ad comparendum singulis annis hinc ad decennium in dicto Capitulo generali, et portandi etiam ad dictum Capitulum contributiones Ordinis impositas monasteriis eorumdem tam antiquas quam novas. Item, etiam in dicta convocatione qua supra duos abbates de dictis partibus ad eundum in expensis ceterorum abbatum ad concilium generale apud Romam in proximo celebrandum. Quam quidem convocationem praecipit generale Capitulum fieri circa adventum Domini proximo futurum.

87. Quia citati ad praesens Capitulum nec comparuerunt nec pro se miserunt abbates de Escharleis, de Valle lucenti, de Ripatorio, de Charmeya, de Brolio et de Boheriis, ac fratres Henricus Militis Boniportus, et Ioannes Conguepe Vallium Sernaii monasteriorum monachi, ipsos et eorum quemlibet praesens Capitulum reputat contumaces, eosque citat ad sequens Capitulum super huiusmodi contumacia et aliis eisdem obiiciendis responsuri.

88. Domino Claraevallis, s. th. pr., committitur per generale Capitulum ut quam citius poterit ad monasterium monialium de Pratris prope Trecas, inquirat diligenter, an traditio ad censum annuum et in emphiteosim perpetuam cuiusdam peciae terrae continentis tria arpenta et unum quarterium cum dimidio, pretio annuatim quadraginta solidorum turonensium, prout iam tractaverunt cum Gualtero Vacherii burgensi Trecensi, abbatissa et conventus dicti monasterii de Pratis, eisdem sit utilis et fructuosa, et quidquid super hoc repererit, sequenti anno referat Capitulo generali.

89. Senio et gravitate abbatis de Heymelrode attentis, generale Capitulum compatiens, a via ipsius Capituli de cetero ipsum habet favorabiliter excusatum.

90. Statuit, ordinat et diffinit generale Capitulum quod pro defendendis libertatibus Ordinis in romana Curia in proximo generali concilio in Roma vel alibi celebrando, omnes et singuli abbates et abbatissae universi Ordinis in expensis abbatum ad hoc eligendorum contribuant per modum infrascriptum. Primo de regno Franciae dictum generale Capitulum deputat de Grandisilva et de Berdonis monasteriorum abbates, qui ipsi auctoritate dicti Capituli convocet omnes et singulos abbates infra Nativitatem Domini de provinciis Tolosana, Auxitana, Narbonensi, Arelatensi, et Burdegalensi, ut omnes pariter congregati in certo loco quem dicti abbates deputaverint, eligant unum abbatem ex ipsis, qui sumptibus aliorum abbatum et monialium Ordinis earumdem provinciarum vadat ad proxime celebrandum totius Ecclesiae concilium generale. Abbates vero de Savigniaco et de Fonte Danielis infra idem tempus convocent abbates alios de provinciis Rothomagensi, Bituricensi et Turonensi, et congregati unum ex ipsis eligant, qui ad dictum generale concilium sub aliorum abbatum et monialium expensis vadat. Praeterea dominus Cistercii convocet abbates quos decreverit de provinciis Remensi, Senonensi, Lugdunensi, Viennensi, Tarentasiensi et Bisuntinensi, ut pariter congregati similiter eligant unum modo et forma supradictis. Qui tres electi abbates pro honore Ordinis et libertatibus defendendis cum ceteris abbatibus aliarum provinciarum in romana Curia compareant, termino constituto vel constituendo. Insuper mandat et iniungit de Ebraco et de Caesarea monasteriorum abbatibus de provincia Moguntina, et de Cedilo et de Pomuk monasteriorum abbatibus, de

provincia Pragensi et de Sancta Cruce et de Waldebach monasteriorum abbatibus, et de provincia Salceburgensi, ut dicti sex abbates in dominica proxima post festum Omnium Sanctorum in civitate Ratisbona pariter conveniant, et duos abbates ad mittendum idoneos de praedictis provinciis eligant, qui vice et nomine omnium aliorum abbatum dictarum provinciarum sub expensis et sumptibus omnium aliorum visitent dictum concilium generale. Dictique sex abbates secundum puritatem conscientiae ac monasteriorum valetudinem praedictas expensas solvendas infra festum Purificationis Beatae Virginis proximum singulis abbatibus imponant. Et dicti sex abbates singuli in singulis provinciis colligant, et non solventes ad solutionem compellant prout melius expedire viderint, in plenaria auctoritate Capituli generalis, et expensas per eos collectas duobus abbatibus electis pro dicta via generalis concilii indilate et fideliter reconsignent. Insuper omnes de provinciis Coloniensi, Leodiensi et de dioecesibus Trevirensi, de Campo et de Herdenhuse monasteriorum abbates cum aliis quatuor abbatibus, quos ad hoc eligere decreverint, conveniant in loco ipsis convenienti, et dicti sex abbates pariter congregati ordinent et disponant pro via generalis concilii modis et viis superius annotatis.

91. Sententiam quam abbas de Dora, commissarius in hac parte Willermi abbatis de Gratiis, coassistente sibi abbate de Stanfordia, tulit contra Nicolaum Sampson, Thomam Violbin, monachos dicti monasterii de Gratiis super apostasia et conspiratione, videlicet 29[a] die mensis iulii nuper lapsi, ratificat, approbat et confirmat generale Capitulum in plenaria Ordinis potestate.

92. Domino Claraevallis s. th. pr., committit generale Capitulum quatinus ad monasterium Savigniaci quanto citius poterit, accedat et ibidem se informat diligenter an venditio terrae de Binagues in admortizationem terrae de Prinaudon, sit dicto monasterio Savigniaci fructuosa et utilis. Et quidquid super hoc repererit sequenti anno referant Capitulo generali.

93. Processum per abbates de Novocastro, de Voilberio, de Vernivillerio monasteriorum commissarios auctoritate Capituli generalis per dominum Cistercii deputatos ad audiendum, decernendum et determinandum litem et discordias motas et diu continuatas infra fratres Henricum Albert et Nicolaum, quondam abbatem monasterii in Othurseburne, super ipsius monaste-

rii abbatiatu factam, sententiam per eos latam et institutionem praedicti fratris Henrici, quibus annectitur haec praesens diffinitio, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat. Et eidem fratri Nicolao et suis adhaerentibus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis sententiae poena praecipiendo firmiter et iniungendo, quatinus infra mensem a 14[a] die praesentis mensis septembris computandum, professionem praedicto fratri Henrico abbati faciant regularem, ipsius etiam fratris Nicolai senio et imbecillitati compatiens pensionem annuam decem florenorum super communibus monasterii proventibus, una cum regulari provisione victus et vestitus eidem, casu quo mandatis huiusmodi paruerit, vult, statuit, ordinat et praecipit idem Capitulum assignari.

1412

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES [b].

1. Pro sanctissimo... *etc. ut in anno* 1411.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES.]

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

7. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n*o 7.

1412. *Fontes* : L^3 : 1-80 ; *M* : 10, 12, 15, 22 *(partim)*, 23, 49, 60 ; P^2. 1, 6, 10, 12, 15, 22 *(partim)*, 23, 49, 60, 61 ; *W* : 10, 12, 15, 22 *(partim)*, 23.
[a] *Titulus apud* L^3. [b] *Statuta* 1-7 *apud* L^3 *leguntur sub n*o 50-56 ; *sed consuetam restituimus seriem.*

[DIFFINITIONES SPECIALES.]

8. Capitulum generale abbatem de Fonte salutis per sequens immediate triennium a missione studentium ex causis rationabilibus favorabiliter habet supportatum tali conditione, ut per dictum triennium unum idoneum et aptum scolarem iuxta nutum et voluntatem sui patris abbatis in studio teneat Parisiensi.

9. Quia iniuriae et molestationes abbati de Alba per abbatem de Novocastro visitatorem suum graviter illatae et factae ad aures Capituli, tam per dictum abbatem de Alba quam per ceteros commissarios Capituli, querelose et pluries sunt delatae, et si quantum quod dictum abbatem de Alba contra iuris et Ordinis formam a dignitate abbatiali eiecerit et deposuerit, ipsumque diversis poenis tam incarcerationis quam aliarum afflictionum, quae formam Ordinis et abbatialis decentiam dignitatis crudeliter afflixit et affligi iussit, propter quod dictus abbas de Novocastro ad praesens Capitulum generale fuit et est personaliter citatus, et ex quo non comparuit, Capitulum generale ipsum ad futurum sequens Capitulum decrevit citandum, mandans et iniungens de Lutzela et de Lankheim monasteriorum abbatibus, quatinus ipsi ambo vel unus ipsorum, altero se legitime excusante, dictum abbatem de Novocastro sub depositionis, excommunicationis latae sententiae poenis ad sequens Capitulum citent cum effectu, ut secunda die eiusdem Capituli personaliter compareat, dicti abbatis de Alba querelis debite responsurus, intimantes sibi quod sive comparuerit sive non, nihilominus contra ipsum non obstante sua absentia secundum iuris et Ordinis statuta utique procedetur. Et ad praesens Capitulum generale dictum abbatem de Novocastro patronatu, regimine et visitatione monasterii de Alba decernit privandum et privat integraliter et in toto, sic quod quamdiu agit in humanis ullum visitationis officium, nec aliquem iuris decorem quolibet ibidem exerceat nec habeat ullo modo. Et visitationem dicti monasterii in Alba per sequens continuum triennium Capitulum generale abbati de Lutzela committit in plenaria Ordinis potestate.

10. Attentis discriminibus [c] et periculis diversis tam terrae quam maris quibus abbates de Dania, Suetia [d] et Norvegia Capi-

---

[c] turbinibus : *MP²W*. [d] *MP²W add.* : Drueria (?).

tulum generale visitare volentes incidere possent, committit et permittit Capitulum generale ut unus ipsorum dumtaxat, quem decreverint eligendum nomine omnium, et singulorum eorumdem contributiones secum deferens, quolibet anno bissextili ceteris remanentibus Capitulum visitet memoratum.

11. Quia per fide dignos Capitulo generali expositum est, quod quidam monachi in monasterio de Alba quondam et nunc alibi professi, libros et alias res quas dicto monasterio de Alba ante festum Omnium Sanctorum iuxta Capituli generalis diffinitionem reddere debebant, apud se adhuc retinent et habent, quidam vero ex ipsis suis assuetis et impudicis actibus militantes ludos taxillorum in tabernis publicis exercent, mulieres infames secum sine rubore ubique ducentes, non tantum in propriae salutis dispendium, sed et dicti monasterii de Alba et totius Ordinis scandalum execrabile et immane. Capitulum igitur generale talibus insolentiis et sceleribus nefariis obviare cupiens, mandat et iniungit de Lutzela et de Langheim monasteriorum abbatibus, quatinus ipsi ambo vel unus ipsorum, si alterum abesse contigerit, dictos monachos impudicos et perversos ut a talibus, ut praefertur, insolentiis abstineant penitus, ac dicto monasterio cuncta per ipsos ablata quantocius restituant, per omnes Ordinis et iuris censuras et poenas coerceant in plenaria Ordinis potestate, invocato ad hoc, si opus fuerit, iudicum ecclesiasticorum auxilio et brachii saecularis. Abbates vero qui tales fovere et in sua malitia defendere praesumunt, per dictos commissarios simili modo, poenis et censuris Ordinis, ne talibus malitiosis patrocinentur, efficacius compellantur.

12. Ob honorem Omnipotentis Dei et Beatae Elisabeth reginae et viduae, et ut ipsa pia mater et patrona ac interventrix gratiosa suis sacris precibus culparum remissionem et divinae gratiae infusionem, ac felicem consummationem omnibus sacri Ordinis Cisterciensis alumnis ipsam pie invocatibus obtineat a Domino nostro Iesu Christo, Capitulum generale abbati et conventui monasterii de Runa, ad ipsorum devotam instantiam annuit et concedit, ut festum eiusdem sanctae Elisabeth 19[a] die mensis novembris cum una missa et duodecim lectionibus et cum consueta historia : *Laetare Germania*, peragere solemniter in dicto valeant conventu.

13. De Sora, Esrom, Asylo, Herivado, Regali curia et Vitae scola, Varnheim, et Nova valle monasteriorum abbates de contri-

butionibus retroactis temporibus usque in praesens neglectis, Capitulum generale ex causis rationabilibus gratiose quittat et absolvit.

14. Capitulum generale sufficienter informatum de restitutione domini Petri abbatis monasterii de Varnheim et de destitutione fratris Haraldi per abbates monasteriorum Vitae scolae et Novae vallis commissarios Capituli generalis factam, Capitulum generale dicti domini Petri restitutionem tamquam canonicam et legitimam censens approbat, autorisat et confirmat.

15. Capitulum generale gratiose annuit et consentit petitioni abbatis de Scola Dei in Frisia, quod mulieribus liceat, eo tempore tantum quo suos defunctos ad dictum deferunt monasterium sepeliendos, gratia devotionis intrare [e] cimeterium et apud defunctos interesse in ecclesia tantum aquilonari, ita ut aliunde non divertant.

16. Reformationem et plenariam dispositionem tam in spiritualibus quam in temporalibus, tam in capite quam in membris, monasterii monialium in Assen, terrae Deventriae Traiectensis dioecesis, committit Capitulum generale abbati de Sancto Benedicto in Frisia usque ad generalis Capituli revocationem, et quod eidem monasterio de suis monachis vel de alio monasterio maturum et devotum confessorem praeficiat, qui personas dicti monasterii in spiritualibus regendi habeat auctoritatem, Capitulum gratiose concedit.

17. Capitulum generale abbatem de Valle Dei in Austria, propter penuriam sui monasterii a missione studentis per sequens continuum quinquennium habet favorabiliter supportatum, dummodo singulis annis mittat Capitulo generali contributiones monasterium suum contingentes.

18. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus omniumque et singularum personarum nostri Cisterciensis Ordinis in regnis Daniae, Suetiae et Norvegiae, et in partibus circumvicinis ubilibet constitutorum, generale Capitulum domino abbati de Sora et abbati quem sibi vocare et assumere decreverit de Ordine, eidem committens dictum Capitulum et iniungens, quatinus ad ipsa monasteria et loca Ordinis cuiuscumque generationis existant personaliter accedens. ...*etc. ut in forma consueta.* Capitulum diffinitionem praesentem usque ad septennium vult extendi.

---

[e] circuire : *MP*[2].

19. Capitulum gratiose dispensat cum abbate de Sancto Benedicto in Menterna si rite et canonice, iuxta Ordinis Cisterciensis instituta, fuerit ad abbatiam monasterii in Scola Dei Bremensis dioecesis electus, quod non obstante etiam quacumque Ordinis inhibitione poterit se ad dictam transferre abbatiam et eam, dummodo aliud canonicum non obstiterit, acceptare.

20. Capitulum generale iustis et rationabilibus de causis permotum, abbatem de Sancto Benedicto in Frisia a via Capituli generalis et a missione scolaris ad quodcumque Ordinis generale studium usque ad sex annos immedite sequentes, dum tamen anno quolibet, vel quam cito poterit, contributiones suas mittat, habet idem Capitulum favorabiliter excusatum.

21. Dispensat Capitulum generale gratiose cum fratre Ioanne monacho et presbytero dicto Garde, monasterii de Hude Ordinis Cisterciensis Bremensis dioecesis, quatinus non obstante natalium defectu quem patitur ex presbytero et soluta genitus, poterit in ordine praemisso remanere, et gratum impendere suo Creatori famulatum. Et committit idem Capitulum suo abbati et saniori parti conventus sui, quatinus non obstante quod alias diaboli instinctu cum quadam apostatavit muliere, et per abbatem suum ad aliud Ordinis monasterium ad peragendam pro isto et aliis suis excessibus poenitentiam salutarem, eidem non curavit obedire, si eidem merita suffragantur, quod eumdem ad gradum et ad ordines suos pristinos restituant.

22. Concedit Capitulum generale gratiose priori monasterii in Sibekelo, Ordinis Cisterciensis, nunc incorporato, quatinus pro tempore fuerit quod licite, non obstante inhibitione Ordinis Cisterciensis, poterit licentiam concedere personis regularibus domus suae et etiam saecularibus dicto monasterio oblatis toties quoties sibi visum fuerit, in locis per ipsum priorem deputandis comedendi carnes. Quae est talis : Capitulum generale voto et desiderio religiosorum virorum prioris et fratrum suorum in Sibekelo Ordinis primum Canonicorum regularium, Traiectensis dioecesis, devotionis intuitu et reformationis Ordinis Cisterciensis ferventi desiderio permoti desiderant se cum suo toto conventu Ordini Cisterciensi sub forma quae sequitur incorporari, grato occurrens affectu dictum monasterium cum omnibus personis, iuribus, redditibus, pertinentiis, aedificiis, bonis mobilibus et immobilibus praesentibus et futuris, hiis praesentibus Ordini incorporat Cisterciensi, dans et concedens priori et prae-

missi monasterii fratribus atque personis praesentibus et futuris gaudere omnibus libertatibus, exemptionibus, franchesiis et privilegiis et gratiis quibus dictus Ordo Cisterciensis noster est fulcitus, cui, inquam, monasterio in Sibekelo atque eiusdem fratribus praesentibus et futuris ordinat Capitulum in patrem abbatem venerabilem patrem dominum abbatem Claraevallis modernum atque eius successores rite et canonice substituendos, ita tamen quod priori et fratribus dicti monasterii sic Ordini Cisterciensi, ut praemittitur, incorporati, liberum sit ex gratia speciali Ordinis Cisterciensis sibi eligere de triennio in triennium unum abbatem de Ordine Cisterciensi, Deum timentem atque zelum Ordinis habentem, quem maluerint, vice et auctoritate dicti venerabilis patris abbatis Claraevallis moderni atque suorum successorum rite et canonice substituendorum, in annuum visitatorem plenaria auctoritate domini abbatis Claraevallis suffultum. Non tamen per hoc intendens Capitulum praedictum paternitati domini Claraevallis qui pro tempore fuerit in aliquo praeiudiciare, qui per se cum sibi visum fuerit expedire, dictum monasterium sic incorporatum poterit, cessante auctoritate istorum visitatorum, tamquam pater abbas iuxta Ordinis instituta visitare. Datum...

23. Capitulum generale gratiose indulget abbatibus Frisiae Cisterciensis Ordinis, quod valeant in suis monasteriis hospitibus saecularibus supervenientibus et familiaribus suorum monasteriorum etiam conductis carnes, quacumque inhibitione non obstante, libere administrare.

24. Capitulum generale paupertate et defectu praediorum quibus alenda sunt pecora monasterii ad Sanctum Benedictum in Menterna Ordinis nostri Cisterciensis permotum, gratiose indulget dicti monasterii abbati, qui pro tempore fuerit, quod non obstante statutorum Ordinis inhibitione valeat unum de suis monachis et de suo monasterio deputatum, qui praesit curae animarum parochiae in Sirager dicto monasterio cum omnibus inibi pertinentiis et redditibus per Ordinarium incorporare, dummodo placuerit Ordinario, et quod religiosus ei non subiiciatur in hiis quae sunt iuris curae. Ita tamen quod dictus monachus continuam in suo monasterio faciat residentiam, donec in dicta parochia per conventiones dicti monasterii grangia fuerit constructa, quia tunc monachus, si quis grangiae fuerit deputa-

tus, licite, ut praemittitur, curam gerat animarum parochianorum parochiae iam dictae.

25. Capitulum generale committit abbati Campensi, Coloniensis dioecesis, quatinus diligenter consideret locum in Vormanda prope Leydis, Traiectensis dioecesis, fratribus in Yslesteen Ordinis Cisterciensis, eiusdem dioecesis, per quemdam militem devotionis intuitu pro monasterio construendo traditum, et si invenerit ipsum locum competenter pro conventu reddituatum, et singulis considerandis consideratis, ipsum locum cum suis attenentiis praesentibus et futuris, Ordini Cisterciensi auctoritate Capituli generalis prout moris fuerit iuxta Ordinis instituta, incorporet et ipsos fratres de Yslesteen licentiet praedictum locum acceptandi spe ipsum in monasterium erigendi.

26. Capitulum generale dispensat cum fratre Terstano, sacerdote et monacho monasterii de Sora professo, et de thoro illegitimo nato, ut dicto impedimento non obstante ad omnes actus, administrationes et ad omnes dignitates Ordinis possit promoveri.

27. Capitulum generale mandat sub poena obedientiae et gravioris culpae omnibus et singulis abbatibus Frisiae Ordinis Cisterciensis, quatinus iuxta Ordinis instituta fideliter assistant abbati de Sancto Benedicto in Menterna in defensione privilegiorum Ordinis contra sigilliferum reverendi patris domini episcopi Monasteriensis, et quoscumque alios privilegia et libertates Ordinis impugnare conantes. Alioquin declarat Capitulum ipsos et eorum quemlibet poenas in diffinitionibus Ordinis contentas incidisse ipso facto. Et dat auctoritatem visitatoribus contra eos per censuras ecclesiasticas procedendi.

28. Capitulum generale committit domino abbati Claraevallis, ut consideratis rationibus ipsi Capitulo pro parte fratris Nicolai monachi et presbyteri de Alna propositis videlicet, quod liceat sibi transire ad Ordinis monasterium ubi cum maiori quiete suae conscientiae valeat reddere vota quae labia sua distinxerunt. Et si invenerit eas iustas et rationi consentaneas, faciat cum dicto fratre Nicolao prout ipsius saluti magis viderit expedire, generalis Capituli auctoritate suffultus.

29. Capitulum generale gratiose concedit fratribus monachis monasterii ad Sanctum Benedictum in Menterna, Ordinis Cisterciensis, quatinus non obstante quacumque Ordinis inhibitione valeant equitare in cappis, dormire in scapularibus in

via directi, et quod absque suarum conscientiarum scrupulo scribere, studere, libros corrigere apud sua strata in dormitorio, absque tamen aliorum inquietatione et scandalo, dictum Capitulum gratiose permittit.

30. Capitulum generale omnes sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti in statutis papalibus contentas, hiis praesentibus propter conscientiarum pericula usque ad pleniorem Capituli deliberationem suspendit et vult habere suspensas.

31. Capitulum generale misericorditer dispensat cum Sibrando, nunc familiari monasterii de Sancto Benedicto in Menterna, Ordinis Cisterciensis, Monasteriensis dioecesis, qui diu ferventi desiderio ad habitum anhelavit et adhuc anhelat conversionis, quod natalium defectu quem patitur ex quodam converso Ordinis Sancti Ioannis Baptistae et soluta genitus non obstante, valeat ad habitum recipi conversorum atque votum emittere in eodem monasterio professionis, quibuscumque constitutionibus Ordinis in contrarium editis non obstantibus.

32. Mandat Capitulum sub poena inobedientiae omnibus et singulis abbatibus Frisae Ordinis Cisterciensis atque confessoribus monialium ipsis abbatibus subiectarum, quatinus omnibus et singulis festis in Ordine praedicabilibus publice etiam in praesentia saecularium excommunicent et excommunicatum denuntient fratrem Rudolphum fabrum, conversum monasterii monialium in Assen, qui suadente diabolo, Dei timore postposito, manus violentas iniecit et temerarias in abbatem de Sancto Benedicto in Frisia, dicti monasterii et aliorum monasteriorum in Frisia a generali Capitulo constitutum visitatorem, donec de huiusmodi excessu secundum Ordinis instituta beneficium absolutionis rite et canonice a Sede meruerit obtinere Apostolica.

33. Mandat Capitulum generale sub poena inobedientiae et gravioris culpae omnibus et singulis abbatibus Frisiae Ordinis Cisterciensis, et confessoribus monasteriorum monialium ipsis subiectorum, quatinus omnibus et singulis diebus in Ordine praedicabilibus publice etiam in praesentia saecularium excommunicent et excommunicatos denuntient fratres Albertum Elieri et Everardum Taskemaker de Gonigli, monachos professos et presbyteros monasterii ad Sanctum Bernardum in Adwert, qui in scandalum Ordinis pro libito voluntatis suae vagantur per mundum, et ea quae non decent committunt, donec ad Ordi-

nis redierint unionem, et absolutionis beneficium, ab eo cuius interest, meruerint obtinere, et nihilominus ipsos capiant et custodiae carcerali deputent usque ad poenitentiam delicto condignam.

34. Capitulum generale committit abbatibus de Clarocampo et de Sancto Benedicto in Menterna in Frisia, quatinus diligenter investigent formam et modum accensionis praediorum Thoenhorne prope Gometh domino Ioanni Walthome factae, utrum rite et canonice secundum Ordinis instituta sit facta, et si sit, quod eam auctoritate Capituli generalis confirment, alioquin eam revocent tamquam irritam et vanam.

35. Diffinitionem praeterito anno editam et factam de et super confirmatione sive incorporatione studii Lipzensis per illustres principes et dominos dominum Fridericum et dominum Willelmum, Lantgravios Thuringiae et marchiones Mysniae, instaurati et fundati, Capitulum generale approbat, ratificat et confirmat.

36. Capitulum generale abbatibus de regno Bohemiae dat et concedit eamdem gratiam et auctoritatem absolvendi subditos suos a sententiis prolatis ab Ordine, quam habent et qua absolvere possunt omnes et singuli abbates qui hoc anno praesentes in Capitulo fuerunt generali.

37. Capitulum generale inhibet abbati de Sancta Cruce in Austria ne abbates de Silesia, Moravia et Lusatia cogat ad mittendum scolares ad studium Viennense, praesertim cum ipsi ad studium Pragense propter loci confinitatem et convenientiam commodius et facilius mittere possint.

38. Ad instantiam abbatis de Zedlitz, Capitulum generale dispensat cum fratre Georgio, sacerdote et monacho sui monasterii professo, qui ex levitate puerili circa 23 aetatis suae annum per quinque dumtaxat septimanas ab Ordine, reiecto habitu, apostatavit, et eiusdem egit poenitentiam; et secunda vice tantum per quatuor dies apostatavit et iterum poenitentiam egit condignam, ut isto non obstante ad actus legitimos et administrationes admitti possint et alias habilitetur citra dignitatem abbatialem.

39. Capitulum generale annuit petitioni abbatis de Aula regia, ut possessiones et bona minus utilia et a suo monasterio nimis longe situata, de sui conventus consilio et assensu in magis utilia commutare possit, servatis in omnibus formae Benedic-

tinae statutis ; et datis sibi pro inspectoribus de Zedlitz et Scalitz monasteriorum abbatibus, qui in futuro Capitulo faciant relationem.

40. Adiudicatur per generale Capitulum domino Morimundi contumacia contra abbatem et conventum monasterii de Gradisch monachorum, qui citati ad dictum Capitulum non comparuerunt legitime per procuratorem sufficienter fundatum. Quare mandat et iniungit dictum Capitulum generale de Sancta Cruce et de Corona monasteriorum abbatibus, cuilibet in solidum, ut dictos abbatem et conventum de Gradisch citent peremptorie ad futurum sequens Capitulum generale, dicti domini Morimundi iustis petitionibus et querelis quod iustum fuerit responsuros, et ulterius processuros, prout fuerit rationis.

41. Generale Capitulum annuit petitioni abbatis Lapidis Sancti Michaelis, ut grangiam dictam Resen, de sui conventus consilio et assensu in bona magis utilia commutare possit, servatis in omnibus forma Benedictinae, et datis sibi pro inspectoribus in Dargun et in Novocampo monasteriorum abbatibus, qui in futuro Capitulo fidelem faciant relationem.

42. Capitulum generale committit et mandat de Lutzela et de Lanckheim monasteriorum abbatibus ut abbatem de Novocastro et conventum ipsius ad solutionem certae summae pecuniae, in qua abbati et conventui monasterii de Alba obligantur, prout ex litteris abbatis et conventus de Novocastro sigillorum sigillatis clare patet, per Ordinis et iuris censuras, auctoritate Capituli generalis coerceant et compellant.

43. Capitulum generale committit et mandat de Lutzela et de Lanckheim monasteriorum abbatibus, ut abbatem de Sturzelbrun, monasterii de Alba quondam professum, ad restitutionem librorum et aliarum rerum a dicto monasterio de Alba per ipsum ablatarum, auctoritate Capituli generalis, per Ordinis et iuris censuras coerceant et compellant.

44. Capitulum generale abbatem et conventum Vallis Dei in Austria et abbatissam et conventum monasterii de Aula Beatae Virginis, ex caritatis singularitate facit participes omnium bonorum et gratiarum quibus abbates in praesenti Capitulo personaliter constituti potiuntur.

45. Capitulum generale abbatem de Alba propter penuriam et collapsum sui monasterii a missione studentis et visitatione

Capituli generalis per sequens continuum triennium habet favorabiliter supportatum.

46. Ad instantiam abbatis de Sancta Cruce in Austria, Capitulum generale dispensat cum fratre Ioanne dicto Seitner, sacerdote et monacho monasterii de Novo monte professo, qui de contagio carnis diffamatus est, quique non apud bonos et graves, nec insuper de dicta incontinentia per aliquem convictus nec per se confessus est, quatinus illa infamia non obstante ad omnes actus legitimos, administrationes et dignitates Ordinis valeat promoveri.

47. Ad instantiam abbatis de Walkenred, Capitulum generale dispensat cum fratre Ioanne Serler, qui de incontinentia convictus est, ut post annum elapsum divina possit celebrare et super restitutione habitus, et ut ad omnes actus legitimos admitti, et ad omnes dignitates citra abbatialem possit promoveri.

48. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus omniumque et singularum personarum nostri Cisterciensis Ordinis in tota Frisia constitutorum, Capitulum generale per continuos sex annos committit abbatibus de Clarocampo et de Sancto Benedicto in Menterna, et casu quo dictus abbas de Clarocampo vacare non possit, vel secundum statuta Ordinis nollet procedere, liceat abbati de Sancto Benedicto alium abbatem loco illius de Clarocampo vel monachum nostri Ordinis ad hoc idoneum subrogare, praecipiens... *etc.*, ac etiam monasteriis de Assen et Essen... requirendi... contributiones... Universis igitur... Vult etiam... Insuper concedit... *etc. ut in forma consueta.*

49. Ad sedandum [f] conscientias aliquorum scrupulosorum, generale Capitulum vult et declarat, quod quilibet abbas possit et potest eligere confessorem de Ordine, qui ipsum in omnibus et singulis casibus absolvat, in quibus ipse subditos suos secundum papalia et Ordinis statuta absolvere potest.

50. Capitulum generale mandat et iniungit de Veteri cella, de Plasis et de Buch monasteriorum abbatibus, ut bullam papalem de et super negotio monasterii de Waltsassen et cui praesens diffinitio annectitur, secundum Ordinis nostri statuta et dictae bullae totalem tenorem, diligenti et debitae executioni in plenaria Ordinis potestate demandent, dicto monasterio de idonea

---

[f] salvandas : *MP*².

et honesta persona auctoritate Capituli generalis providentes, et de hiis quae egerint vel ordinaverint in futuro generali Capitulo relationem faciant fidelem.

51. Supplicationi abbatis de Scalitz annuens Capitulum generale dispensat cum fratre Ioanne dicto Rauft, sacerdote et monacho in Scalitz professo, quod deposto habitu Ordinis in apostasia per unum mensem fuerat, ad gradum pristinum restitutus ad omnes actus legitimos possit admitti citra tamen dignitatem abbatialem. Sed quia iterum instinctu diaboli sine sui superioris licentia in Hungariam ivit, et in quodam monasterio nostri Ordinis celebravit divina, committit Capitulum generale abbati praedicto ut eumdem fratrem a vinculo excommunicationis et irregularitatis absolvat et poenitentiam iniungat salutarem.

52. Ne apostatae monasterii in Nepomuch de apostasia redeuntes in anno poenitentiae nimia gaudeant libertate, admittit Capitulum generale, ut legere valeant epistolas et evangelia et collectas in choro, non obstante habitu conversorum quem tunc deferre consueverunt.

53. Committit Capitulum generale abbati in Nepomuch quatinus si sibi viderit expediendum cum tribus conversis homicidis, poenitentia condigna peracta, super restitutione gradus, auctoritate Capituli generalis dispenset ; item ad instantiam abbatis de Nepomuch, dispensat Capitulum generale cum fratre Ioanne dicto Kuik, sacerdote et monacho ibidem professo, qui propter evidentem impietatem carceri mancipatus fuit, ex ipsa incarceratione infamiam putatur incurrisse, ut ad omnes actus legitimos admitti possit et ad omnes dignitates Ordinis promoveri. Annuit Capitulum generale petitioni abbatis in Nepomuch, dispensando cum fratre Ioanne de Arla sacerdote et monacho, nuper de apostasia reverso, in qua per annum et dimidium perseveravit, ut ad gradum suum pristinum quem perdidit restituatur. Quam etiam gratiam pro fratre Simone Gunso, qui pro apostasia egit poenitentiam, praedictum generale Capitulum vult extendi.

54. Quia cum fratribus Bartholomeo Griversrevot, Conrado Stepel, Ioanne Aurifabro et Ioanne Vendel, qui abbatem suum visitatoris adventum per duodecim annos impedientem usque ad eiusdem visitatoris adventum detinuerunt, non obstante dicta detentione per Capitulum generale ut ad omnes administrationes et dignitates Ordinis, citra abbatialem, promoveri pos-

sint pridem extitit per Capitulum dispensatum, ipsorum igitur humili obedientia et aliis laude dignis meritis ad hoc suffragantibus, ut et ad abbatialem dignitatem, si aliud canonicum non obsistat, promoveri valeat, Capitulum generale duxit misericorditer dispensandum.

55. Exposita generali Capitulo abbatissae Sancti Antonii querimonia continebat, quod quamvis dominus Cistercii certis ex causis, tam declaratis in patentibus suis litteris quam aliis gravioribus, propter imminens tunc praedictis abbatissae et monasterio periculum subditis sororem Xantam Tumete dicti loci monialem ad monasterium Belliloci dudum transmitti praeceperit, ipsa nihilominus soror Xanta consilio, favore et adminiculo consororis et consortis suae Ioannae de Louvain freta fultaque mandatis dicti domini Cistercii prorsus inobediens restitit, et per accersitam atque in dicto monasterio hac de causa praesentem armatorum cohortem minas admodum graves, et existantis etiam viri territivas ipsi abbatissae et omnibus Ordinis iudicibus procuravit inferri, quibus minis perterrita dictam sororem Xantam seditionibus discordiisque continuis insistentem in praedicto monasterio Sancti Antonii usque in praesens remanere permisit, praesentis Capituli praestolans imploransque remedium. Eapropter generale Capitulum ex dominorum Cistercii et Claraevallis aliorumque fide dignorum relatione virorum agnoscens praemissorum veritatem, statuit, ordinat et decernit, praedictas moniales ambas ad alia confestim monasteria transmittendas, ibique poenitentiam pro tanta temeritate triennio peracturas, videlicet sororem Xantam ad monasterium de Virginitate et Ioannam de Louvain ad monasterium de Aqua, Carnotensis dioecesis. Mandans ipsum Capitulum abbatissae Sancti Antonii praedictae sub excommunicationis latae sententiae poena, conventui vero dicti monasterii sub interdictionis poena per singulos Ordinis abbates et monachos promulganda praecipiens, quatinus invocato iustitiae saecularis etiam, si sit opus, laicorum auxilio praedictas moniales ad monasteria praedicta prout distinctum est, protinus transvehi faciant et conduci. Quorum monasteriorum abbatissis et conventibus sub poena consimili praecipit idem Capitulum ut eas recipiant, et dicto durante triennio teneant in custodiis suis sub regulari observantia, superaddita, qualem dominus Cistercii pro tanta rebellione taxaverit, poenitentia spirituali. Rebellem vero quamlibet earum aut

inobedientem strictis arctari carceribus mandat, et earum relaxationem absolutionemque soli domino Cisterciensi, resecta atque revocata quoad hoc cuiuscumque vicarii seu commissarii potestate, reservat ipsum Capitulum generale.

56. Assignationem pensionis per abbatem Caroliloci vice et auctoritate domini Cistercii factam et concessa sorori Isabellae La Tabletière, quondam abbatissae Gomerifontis, prout in litteris quibus annexae sunt praesentes continetur, ad relationem praedicti domini Cisterciensis asserentis dictam assignationem de consensu et mandato suo factam fuisse, approbat, ratificat et confirmat Capitulum generale, et praecipiens abbatissae Gomerifontis, quae nunc est, vel pro tempore fuerit, sub depositionis et excommunicationis latae sententiae, conventui vero sub interdicti poena per primo requisitum abbatem Ordinis promulganda, quatinus dictae sorori Isabellae quamdiu regulariter in dicto monasterio conversata fuerit, cuncta in dictis litteris designata secundum earum formam et tenorem singulis annis tradant, solvant et integraliter administrent.

57. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1406, *n*° 8.

58. Generale Capitulum nomine et auctoritate totius Cisterciensis Ordinis, in omnibus et singulis generalibus et particularibus ipsius Ordinis ac monasteriorum personarumque singularium eiusdem causis, querelis, actionibus et defensionibus quibuslibet personarum, monasteriorum, et Ordinis totius praedictorum procuratores, iudices speciales, negotiorum gestores, sindicos praeconitos, actores et defensores tam in generali totius orthodoxae aut particulari gallicanae alteriusve cuiuslibet ecclesiarum conciliis, infra proximum futurum triennium celebrandis, quemadmodum in aliis curiis coramque iudicibus et officiariis ecclesiasticis vel saecularibus quibuscumque eligit, ordinat, nominat, facit et constituit venerabiles abbates fratres Ioannem Pontigniaci, Matheum Claraevallis, Laurentium Caroliloci, Guillelmum Fontis Danielis, Ioannem Ursicampi, Aegidium Belliprati, theologiae, et Guillelmum Gimontis decretorum doctores, ita quod non sit eorum alterius conditio deterior, sed quidquid per ipsorum aliquem inceptum per alterum resumi, continuari, deduci, mediari valeat et finiri. Dans eisdem abbatibus, nuntiis et procuratoribus eorumque cuilibet in solidum, potestatem, auctoritatem, licentiam et mandatum speciale pro dicto Ordine in generali universalis Ecclesiae, Romae vel alibi

celebrando concilio, comparendi, supplicandi, excusandi, protestandi, allegandi, agendi et appellandi, appellationes prosequendi, insinuandi, eisdem appellationibus renuntiandi, apostolicos petendi et recipiendi, aliaque generaliter specialiter exercendi et faciendi ubique terrarum; quae omnes simul et disiunctim dicti Ordinis abbates et personae facere et exercere possunt et deberent si praesentes essent, etiam substituendi quoque procuratores unum vel plures, semel vel pluries qui similem in omnibus dicto durante triennio habeant potestatem. Ratum habentes quidquid per dictos procuratores eorumque quemlibet aut substitutos ab eis vel eorum altero pro dicto [g] Ordine, monasteriis aut personis singularibus in dicto generali concilio vel alibi factum, gestum fuerit, vel alias quomodolibet procuratum.

59. Attento quod alias in generali Capitulo Cisterciensi anno 1410 celebrato, supplicavit instanter abbas de Gimundo per ipsum Capitulum ab officio generalis procuratoris absolvi, quodque necessaria sit eius praesentia suo monasterio propter ipsius absentiam plurimum desolato, et ut ad praesentis Capituli notitiam querulosa fide dignorum insinuationes deductum est, extremae desolationi, proh dolor ! exposito. Praedictum idcirco praesens generale Capitulum ab huiusmodi procurationis onere ipsum abbatem exonerat et absolvit facitque, constituit et ordinat omni iure, modo et forma quibus potest suum ac omnium et singulorum monasteriorum Cisterciensis Ordinis ubicumque situatis, abbatum, abbatissarum, aliorumque regiminibus locorum conventualium eiusdem Ordinis et conventuum eorumdem, necnon magistri ac fratrum de Calatravia, de Montesia, et de Militia Iesu Christi, ac omnium aliorum magistrorum et fratrum Ordinis militaris sub observantia praedicti Ordinis professorum, ceterarumque personarum praedicti Ordinis et eorum cuiuslibet in romana Curia procuratorem generalem et nuntium specialem, sindicum, praeconomum et actorem Ordinis praedicti personarumque, membrorum et pertinentiarum eiusdem et cuiuslibet eorum, religiosum virum fratrem Ioannem de Bulliguevilla, monachum monasterii de Morimundi nostri Ordinis Lingonensis dioecesis, s. th. pr., exhibitorem praesentium in omnibus et singulis causis suis et Ordinis praelibati personarumque omnium

[g] Deo : *L*³.

locorum eiusdem et cuiuslibet eorumdem motis et movendis contra quascumque personas tam ecclesiasticas quam etiam saeculares, in consistorio et palatio domini nostri Papae, coram eodem suo cancellario et aliis locis et curiis universis, coram quibuscumque aliis iudicibus ecclesiaticis et saecularibus ordinariis, extraordinariis, legatis, delegatis, subdelegatis, auditoribus, arbitris, arbitratoribus, seu amicabilibus compositoribus, et aliis quibuscumque. Dans et concedens idem Capitulum eidem procuratori plenam generalem et liberam potestatem et mandatum speciale agendi et excipiendi pro dicto Ordine universo ac personis et membris eiusdem et quolibet eorumdem simul et in solidum coniunctim vel divisim ipsumque Ordinem, personas ac membra eiusdem et eorum quemlibet defendendi, conveniendi, reconveniendi, de locis et iudicibus, locaque et iudices eligendi et nominandi, et si necesse fuerit, recusandi forum et iudicium delinandi, libellum seu libellos offerendi, et oblatum seu oblatos recipiendi, proponendi, replicandi, duplicandi, triplicandi et quadruplicandi, litem seu lites contestandi, iurandi in animas personarum omuium universi Ordinis praelibati et cuiuslibet earumdem de calumnia et de veritate dicenda, et praestandi cuiuslibet alterius generis iuramentum quod postulat ordo iuris, ponendi, articulandi, propositionibus et articulis respondendi, testes et instrumenta in modum probationis producendi, dicendi in testes, dicta eorum, et personae ac instrumenta quaecumque reprobandi, interlocutorias et diffinitivas sententias unam vel plures audiendi, et ab eis et quolibet gravamine appellandi et provocandi, appellationem et provocationem suam seu appellationes et provocationes suas ac personarum ac membrorum dicti Ordinis et cuiuslibet eorum in solidum prosequendi, intimandi, insinuandi et renovandi, apostolicos petendi et recipiendi, expensas petendi, iurandi, taxare videndi et recipiendi, crimina defectus opponendi et opposita probandi transigendi, compromittendi, compromissumque poena vel iuramento valandi, beneficium absolutionis simpliciter et ad cautelam pro dictis personis Ordinis universi et qualibet earumdem, et etiam restitutionis in integrum, quoties opus fuerit, petendi et obtinendi, negotia electorum seu provisionum personarum praefati Ordinis coram domino nostro Summo Pontifici et reverendissimorum patrum dominorum cardinalium sacro collegio offerendi, praesentandi, promovendi, prosequendi et defendendi, impetran-

di et contradicendi in audientia publica, antea dictorum quaslibet litteras tam simplices quam mixtas gratiam seu iustitiam continentes, cautiones petendi atque dandi, capiendi seu capi faciendi apostatas seu fugitivas personas memorati Ordinis cuiuscumque sexus, status aut conditionis existant, unum vel plures procuratorem seu procuratores loco sui substituendi, qui omnibus et singulis supradictis et ea tangentibus consimilem habeat vel habeant potestatem, et ipsum aut ipsos revocandi, et alium seu alios loco sui iterum substituendi, quomodocumque et quoties eidem procuratori placuerit, praesenti procuratione nihilominus in suo robore duratura. Et generaliter omnia alia et singula faciendi, etiam si mandatum exigant speciale, quae personae Ordinis universi simul vel in solidum coniunctim vel divisim facerent et facere possent et deberent, si personaliter adessent, hoc dumtaxat excepto quod Ordinem vel personas ipsius qualescumque per mutui contractum non valeant obligare. Permittens idem Capitulum personis omnibus dicti Ordinis et membrorum eiusdem sub hypotheca rerum Ordinis ipsius personarum ac membrorum et cuiuslibet eorum ratum, gratum, firmum habere et tenere, ratum et gratum teneri et haberi facere et habere quidquid per dictum procuratorem seu ab eo substitutum vel substituendum, substitutos vel substituendos, et eorum quemlibet actum, gestum, seu quomodolibet procuratum, ac pro hiis et eorum quolibet iudicatum solvere iudicio sisti cum suis clausulis universis et quemlibet eorum ab omni satisfactionis onere penitus relevare. Non intendens idem Capitulum per aliquam compositionem, quam quaecumque personae praefati Ordinis vel membrorum eiusdem in dicta Curia faciant in iudicio vel extra, praesens procuratorium in aliquo revocare, nisi de ipsius revocationis plenam et expressam ipsius Capituli vel domini Cistercii vices gerentis eiusdem litterae faciant mentionem.

60. Citatum ad praesens Capitulum generale fratrem Henricum Militis monachum Boniportus, et nullatenus comparentem, contumacem et pro contumacia excommunicatum esse declarat dictum Capitulum. Quia vero sub poena convicti de furto, apostasia et solemni periurio se dicto Capitulo praesentare tenebatur et obligabatur, poenas pro huiusmodi criminibus debitas et taxatas ipsum incurrisse, et per eas irremissibiliter puniendum esse, pensatis enormibus et multiplicibus scan-

dalis per ipsum commissis, dictum Capitulum ordinat et decernit.

61. Factam a domino Claraevallis, dicti Capituli quoad hoc commissario, reductionem, moderationem et ordinationem omnimodam inter abbatem et conventum de Alna et abbatissam et conventum Vallis ducis, et similiter inter abbatissam de Parco dominarum prope Lovanium, et idem monasterium Vallis ducis super querela seu controversia pro decimis villae et territorii de Gravio inter eosdem annis plurimus agitata ; quae quidem reductio, moderatio et ordinatio plenius et articulatim in litteris exprimitur sigillatis tam dicti domini Claraevallis quam ipsorum abbatum, abbatissarum et suorum conventuum sigillis, quibus praesentem ordinat Capitulum diffinitionem annecti. Omnia quoque et singula in eisdem litteris contenta nomine et auctoritate totius Ordinis, sufficienti deliberatione praehabita, dictum Capitulum approbat, ratificat, confirmat et districte praecipit irrefragabiliter in perpetuum observari.

62. Digne poenitentibus cum evangelico patrefamilias stolam primam proferre et cum angelis Dei super eisdem gaudere sollicitum generale Capitulum, sorores in Christo Margaretam Keynoghen, monialem de Herkenrode, et Agnetem de Templo, monialem Vallis virginum in Brabantia, convictas olim de puerperio, cuius delicti poenitentias secundum Ordinem tulerunt et peregerunt humiliter, postmodum laudabili et religiosa conversatione multis annis bene vivendo labis huius ignominiam deterserunt. Totius Ordinis auctoritate restituit et habilitat ut praemissa non obsint eis, quominus ad omnes Ordinis legitimos honores, officia, loca, dignitates, et alios quosque titulos illibatae famae personis donabiles, prout earum suffragabuntur merita promoveri valeant et admitti.

63. Abbatissae Monasterioli in Theraschia sub excommunicationis latae sententiae poena praecipit generale Capitulum, quod sororem Catharinam de Advenis, pridem abbatissam destructi, proh dolor ! monasterii de Soriamont, filiae monasterii de Alna, ad regularem cohabitationem et professionem in monasterio suo recipiat, ut tenetur, cum ibidem primarie professa fuerit, licet aliquando professionem suam in dicto loco quittaverit, quam tamen alibi numquam fecit. Quod si dicta abbatissa sententiam hanc excommunicationis per inobedientiam et rebellionem contraxerit, nemini concedit dictum Capitulum aut permittit eius

absolutionem, nisi prius, si requiratur, hanc ordinationem adimpleverit cum effectu.

64. Cum alias per generale Capitulum dispensatum extiterit cum fratribus Vonhero Schurer et Ioanne de Brakenham, monachis monasterii de Bebenhusen, ut non obstante vitio incontinentiae in quo deprehensus fuerat dictus Vonherus, et apostasia quam perpetraverat dictus frater Ioannes, possent ad quaeque Ordinis officia et dignitates promoveri, citra tamen abbatiatum, de uberiori gratia dictum Capitulum cum eisdem fratribus misericorditer dispensat, ut in futurum ad abbatialem dignitatem, suis exigentibus meritis, valeant promoveri.

65. De Caroliloco, s. th. pr., et de Crista monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas repererint monasterio Claraevallis vel personis ipsius teneri aut in aliquo fore obligatus per litteras aut alia documenta legitima, ad satisfactionem plenariam coerceant et compellant, auctoritate Capituli generalis.

66. Ad idem fiat pro monasterio Morimundi, et ponantur iudices de Crista et Caroloco monasteriorum abbates.

67. Ad idem fiat pro monasterio Cariloci, et ponantur iudices dominus Morimundi et de Clarofonte monasteriorum abbates.

68. Ad idem fiat pro monasterio de Ygniaco, et ponantur iudices de Caroliloco, s. th. pr., de Albaripa et de Recluso monasteriorum abbates.

69. Ad idem fiat pro monasterio de Longoponte, et ponantur iudices dominus Claraevallis, s. th. pr., de Ygniaco et de Valle clara monasteriorum abbates.

70. Ad idem fiat pro monasterio Prulliaci, et ponatur iudex abbas Caroliloci, s. th. pr.

71. De Regalimonte, s. th. pr., et de Caricampo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus abbatem de Ursicampo, s. th. pr., coerceant per omnes vias opportunas ad refundendum monasterio de Gardo omnia illa quae secum attulit de monasterio de Gardo, dum assumptus extitit ad regimen monasterii de Ursicampo. Compellantque ipsum abbatem Ursicampi ad satisfactionem plenariam, si repererint eidem abbati de Gardo fore obligatum

per litteras aut alia legitima documenta, et hoc in plenaria Ordinis potestate.

72. Abbatis de Crista petitionem admittens generale Capitulum, qua requirit cum fratre Ioanne de Contarana suo monacho, qui quasi per unum annum apostatavit per saeculum vagabundus, et tandem poenitentiam iniunctam peregit, gratiose dispensari, ut hiis non obstantibus ad omnes actus Ordinis legitimos promoveri valeat, libere conceditur, ut ad status, gradus et honores Ordinis legitimos et pristinos omnes admittatur.

73. Dominis Pontigniaci et Claraevallis, s. th. pr., committitur per generale Capitulum et eorum cuilibet quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia coerceant et compellant abbatem de Ursicampo ad solvendum annuatim dimidiam bursam pro scolari Mortuimaris, usque ad complementum solutionis summae ad quam monasterio Mortuimaris obligatur.

74. Attentis viarum discriminibus et locorum distantiis in diversis mundi partibus ubi nostri Ordinis monasteria situantur, ex quibus abbates quamplurimi propter gentes armorum, quae de die in diem in nonnullis partibus incessanter discurrunt, non possent tute, commode aut sine periculis maximis accedere ad Capitulum generale, eapropter non improvide et certis ex causis idem Capitulum omnes abbates qui ad praesens Capitulum non fuerunt praesentes, illis dumtaxat exceptis qui ad ipsum Capitulum erant citati, et maxime de Alto cristo et de Benedictione Dei in Alvernia monasteriorum abbatibus, quos ipsum Capitulum certis ex causis citat peremptorie et personaliter ad proximum et immediate sequens Capitulum generale, praefatum Capitulum habet favorabiliter excusatos.

75. Cum fratribus Gondefrido Migrode, Ioanne de Audenardo, Ioanne de Gand, T. de Lesinis, Sigero de Rodum, monachis de Camberone, ad intercessionem abbatis et conventus dicti loci misericorditer dispensat generale Capitulum, ut non obstante quod alias in apostasiam lapsi fuerint, in qua paucis errantes diebus ad proprii monasterii gremium Domino miserante cito compuncti redierunt, ad omnes actus Ordinis legitimos, voces, honores, officia et dignitatem admitti valeant, et secundum eorum merita promoveri.

76. Notoria scandalorum enormitas et Ordinis improperium generale Capitulum perurgent ad abbatiae de Monasteriolo refor-

mationem intendere vigilantius, in ipso quippe loco carnalis spurcitia vitiorum impunitas, sacrorum iocalium alienatio, et abbatissae contra patrem abbatem suum obstinata rebellio, passim et impudenter divinam Maiestatem provocant, offendunt populum etiam laicum, et dictum monasterium ac in ipso totum Ordinem, ut dicitur, dehonestant. Ideoque de Claravalle patri abbati dicti loci, de Caroliloco et de Ursicampo monasteriorum abbatibus, s. th. pr., et eorum cuilibet dicti monasterii reformationem in capite et in membris, etiam usque ad abbatissae depositionem, si vitam et regimen eius hoc meruisse repererint, in potestate plenaria Capitulum generale committit. Ceterum dictae abbatissae praecipit idem Capitulum sub excommunicationis latae sententiae poena, quam sibi suisque reservat commissariis, et omnes dicti monasterii moniales, quibus abbates propter incontinentiam vel apostasiam regulares habitus sine capituli vel patris abbatis sui licentia a duobus annis citra restituere praesumpserit, infra quatuor dies a notitia praesentium iterato privet eisdem, ut sic privatae poenitentiam agant et continuent per tempus in statutis Ordinis praefinitum.

77. Quia coniecturis admodum probabilibus et multarum graviumque personarum opinione publica suspectus, ac horrende notatus esse dicitur frater Matheus de Sancto Quintino, monachus Ursicampi, de morte domini Balduini dudum abbatis dicti loci, quam eidem inter pastoralis sui regiminis primordia crudeli toxico monachus idem cum alio quodam eiusdem Ordinis complice suo creditur et asseritur procurasse, generale Capitulum ad tam enormis scandali veritatem inquirendam, ad tanti quoque sceleris, si perpetratum fuerit, immanitatem, prout iustitiae severitas exiget, indissimulanter ulciscendam quantocius procedere volens, de Claravalle, de Caroliloco et de Ursicampo monasteriorum abbatibus, s. th. pr., abbatibus insuper de Longoponte et de Ygniaco committitur, et sub divini attestatione iudicii districte praecipit et iniungit, quatinus ipsi simul vel divisim, prout expedire viderint, exactissimis informationum mediis aliisque modis omnibus licitis et accommodis huius rei veritatem inquirant, et in praefatum fratrem Matheum, si dicti criminis inventus fuerit actor, vel super hoc vehementer suspectus, in alios etiam quoslibet complices vel participes inflexibilis iustitiae vindictam extendant, cuius terror praesentium

et posterorum consternat ausus sacrilegos huiusmodi vel similia parricidiorum flagitia committendi.

78. Ut de tractatu habito inter abbatem et conventum de Barbello super quadam domo et quodam iardino, quos habent in civitate Senonensi sibi modicum fructuosos, et Aegidium Joly ac uxorem eius Mariam, se diligenter informet pater abbas dicti monasterii de Barbello an traditio dictae domus in emphiteosim perpetuam sit eidem monasterio fructuosa, per generale Capitulum ordinatur, cuius veritate comperta litteras super hoc confectas auctoritate ipsius Capituli ratificet, approbet et confirmet.

1413

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro sanctissimo... *etc. ut in anno* 1411.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1401.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES].

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

7. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.

1413. *Fontes* : L^3 : 1-106 ; P^2 : 1, 6 ; *M et* P^2 : 16, 17, 24, 43, 44, 49, 50, 51, 63, 81, 82, 85, 104, 105 ; *W* : 44 *(abbrev.)*, 82 *(abbrev.)*, 85.
[a] *Titulus apud* L^3.

[DIFFINITIONES SPECIALES].

8. Ad requestam... *etc. ut in anno* 1390, *n*° 19.

9. Ad idem conceditur domino Morimundi, iudices de Caroloco et de Crista monasteriorum abbates.

10. Ad idem conceditur domino Claraevallis, iudices de Morimundo, de Crista, de Regalimonte et de Valle Nostrae Dominae monasteriorum abbates.

11. Ut per censuram Ordinis et iuris alia remedia compellat abbatem de Andreow ad restituendum abbati de Sulejow expensas et damna quae subiit, eum per potentiam saecularem perturbando in electione sua contra iustitiam et Ordinis instituta, abbati de Comparvinia committitur per generale Capitulum.

12. Generale Capitulum ad instantiam abbatis Camporum bonorum citat peremptorie et personaliter fratrem Petrum Gavis, s. th. pr., et studii Sancti Bernardi Tolosanensis provisorem ad primum et immediate sequens generale Capitulum, iustis petitionibus et querelis praedicti abbatis Camporum bonorum quod iustum fuerit responsurum, cum protestatione quod sive venerit, sive non, contra eum procedetur, iustitia mediante.

13. Attentis viarum discriminibus et locorum distantiis in diversis mundi partibus ubi nostri Ordinis monasteria situantur, ex quibus abbates quamplurimi maxime propter gentes armorum, quae de die in diem in nonnullis mundi partibus incessanter discurrunt, non possent tute, commode aut sine periculis maximis accedere ad Capitulum generale, eapropter non improvide et certis ex causis idem Capitulum omnes abbates qui ad praesens Capitulum non fuerunt praesentes, illis dumtaxat exceptis qui ad ipsum Capitulum erant citati personaliter, Capitulum habet favorabiliter excusatos.

14. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Clarofonte confirmatur per generale Capitulum litterae eorum sigillis sigillatae continentes in substantia, traditionem cuiusdam domus suae sitae in burgo de Amancia, pro censu annuo quatuor grossorum turonensium.

15. Reformationem monasteriorum de Silvacana monachorum et de Bitumine monialium, in quibus regulares observantiae, prout generalis Capituli pervenit ad aures, penes penitus ruinantur, abbati Bonaevallis committit idem generale Capitulum, cum omnimoda ipsius Capituli potestate et clausulis opportunis

et rationabiliter ad hoc tam in capite quam in membris requisitis.

16. Domino Claraevallis, s. th. pr., committitur per generale Capitulum, quatinus inquirat diligenter an unio seu incorporatio monasterii monialium de Claromarisco prope Rhemis sit monasterio Ygniaci necessaria seu fructuosa, et quidquid in et super hoc repererit, faciat, ordinet et compleat secundum quod eidem videbitur expediens, in plenaria Ordinis potestate.

17. Ad idem committitur abbati Bonaevallis Viennensis de monasterio monialium de Boscheto ad monasterium Aquaebellae, ut supra incorporando.

18. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum fratre Ioanne de Saulx, monacho monasterii de Bithania, qui quasi spatio quindecim dierum apostatavit damnabiliter per saeculum vagando. Et deinde idem frater per suos superiores fuit de exitu sui monasterii nocte quadam reprehensus et convictus, et eadem nocte verberare nitebatur quemdam hominem saecularem, qui quidem frater usque ad effusionem sanguinis extitit verberatus. Super quibus omnibus poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit, ut hiis non obstantibus ad omnes status, gradus cum honoribus Ordinis legitimos admittatur, abbatiatu dumtaxat secluso.

19. Attentis oneribus et debitis quibus de praesenti gravatur monasterium Campi, a via generalis Capituli et de mittendo scolare Parisius, generale Capitulum de speciali gratia abbatem loci usque ad continuum triennium habet favorabiliter excusatum, dum tamen contribuat in expensis venientium ad Capitulum, et mittat contributiones.

20. Ut inquirat et diligenter se informet abbas de Herdehusen an possessiones inutiles monasterio Campensi possint et valeant per abbatem loci in magis utiles via alienationis commutari, et ipsi monasterio fructuose, per generale Capitulum committitur dicto abbati de Herdehusen, ut eis Campensibus licentiam praebeat, approbet et confirmet auctoritate Capituli generalis, si sibi videatur expediens, et super hoc onerat suam conscientiam Capitulum memoratum.

21. Ad idem committitur pro monasterio Wolkenrode, abbatibus de Walkenrede et de Valle Sancti Georgii.

22. Ut cum suis monachis et aliis personis utriusque sexus in foro conscientiae dispensandi potestatem habeat, et eos absol-

vendi a quibuscumque sententiis et casibus Capitulo generali reservatis, abbati Czedlicensi per unum annum dumtaxat, dictum Capitulum tribuit potestatem.

23. Ad idem fiat per abbatem de Nepomuck.

24. Ad petitionem abbatis Czedhercensis [b] eidem concedit generale Capitulum, quatinus in eius monasterio dumtaxat, omni quinta feria celebrari solemniter in conventu missa de Sacramento Corporis Christi, missa tamen Sancti Spiritus non omissa.

25. Processus motus et movendus inter dominum Morimundi et abbatem et conventum de Gradis, super eo quod dictus Morimundensis praetendit dictos de Gradis teneri annuatim in decem libris monasterio Morimundi, continuatur de consensu partium usque ad proximum futurum Capitulum generale.

26. Abbati de Castro aquilae conceditur per generale Capitulum, ut sibi unum de monachis suis in confessorem eligere valeat, qui ipsum in casibus ipsi Capitulo reservatis dicti Capituli auctoritate absolvat, ipseque abbas sui monasterii ac monasteriorum immediate subiectorum monachis et monialibus in dictis casibus, auctoritate qua supra, impendere valeat beneficium absolutionis.

27. Ad idem fiat per abbatem Campensem.

28. Per Capitulum generale committitur abbati de Sconavia, ut inquirat et referat sequenti Capitulo an abbas de Castro aquilae possit, de bonis suis immobilibus, ad tempus vitae vel ad redemptionis, ad summam sex millium florenorum pro debitis persolvendis, cum scitu et praemissa voluntate sui visitatoris impignorare, et bona minus utilia in utiliora commutare.

29. Ut coerceant et compellant per censuram Ordinis et alia iuris remedia abbatem de Hugene ad satisfaciendum abbati de Castro aquilae in debitis sibi obligatis, seu eius procuratori, de Herdehusen et de Hebraco monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet, committitur per Capitulum generale.

30. Supplicationem abbatis monasterii Castri aquilae admittens Capitulum generale qua requirit, quod cum pro conservatione privilegiorum et libertatum Ordinis universi, census, debita, pensiones et alia eiusdem monasterii emolumenta per quosdam potentes per multa tempora violenter sunt detenta, ita quod praefatum monasterium usque ad extremam devenit egestatem,

---

[b] Ezedhcens : *M.*

quatinus hiis attentis dictum monasterium de mittendo scolari ad studium certo tempore sit excusatum. Idem Capitulum eumdem abbatem de Castro aquilae usque ad quinquennium habet favorabiliter excusatum.

31. Patri abbati monasterii monialium iuxta Duishusem et abbati de Sconavia committitur per Capitulum generale, quatinus si eisdem vel eorum alteri videatur expediens, auctoritate ipsius Capituli eidem abbatissae licentiam dent ut de bonis suis immobilibus possit impignorare usque ad summam trecentorum florenorum, pro debitis suis persolvendis.

32. Causam quam abbas de Langheim habet et vult movere fratri Bartholomeo Lomec, professo in Valsassen, qui ipsum et suum conventum per multas iniurias, diffamationes et damnificationes rerum et honoris sevissime et nequiter molestavit, Capitulum generale committit abbati de Fonte salutis, qui tempore et loco opportunis, ambabus partibus vocatis, secundum allegata et probata iuxta formam Ordinis faciat iudicium et iustitiam, et dictum reum, si contumax et rebellis fuerit, per iuris et Ordinis censuras et poenas, ad obedientiam et satisfactionem condignam, auctoritate ipsius Capituli in plenaria Ordinis potestate coerceat et compellat.

33. Capitulum generale cum fratribus Iacobo Levopf et Friderico Gleiss, sacerdotibus et monachis monasterii de Fonte salutis, de et super contagio carnis convicti, dum sufficienter iuxta formam Ordinis emendati fuerint, super restitutione habitus et gradus dispensat, et concedit ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac dignitates Ordinis, citra dignitatem abbatialem, promoveri possint et admitti.

34. De Ebraco et de Lankheim monasteriorum abbatibus concedit praesens Capitulum generale, ut uterque ipsorum monachum nostri Ordinis in confessorem eligere valeat, qui ipsum in omnibus et singulis casibus et sententiis Capitulo reservatis per triennium immediate sequens continuum absolvere queat. Et ipse etiam personas regulares dictorum monasteriorum suorum et aliorum monasteriorum sibi immediate subiectorum utriusque sexus confessas et contritas de praemissis casibus et sententiis absolvere possint, per praedictum dumtaxat triennium, in plenaria Ordinis potestate.

35. Capitulum generale cum fratre Ioanne Clieber, sacerdote et monacho monasterii Ebracensis, in contagio carnis reperto,

dum sufficienter iuxta formam Ordinis emendatus fuerit, super restitutione habitus et gradus dispensat, et concedit ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac dignitates Ordinis, citra dignitatem abbatialem, promoveri possit et admitti.

36. Item, Capitulum generale abbatem de Langheim propter gravia debitorum onera et defectum bladorum hoc anno nimis tenuiter proventorum, de missione studentis per sequens immediate biennium absolvit favorabiliter et supportat.

37. Item, Capitulum generale cum sorore Adelheide Hiltprandin, moniali monasterii Felicis portae, quae in apostasia aliquibus septimanis mansit, dum sufficienter iuxta formam Ordinis emendata fuerit, super restitutione habitus et gradus dispesat, et concedit ut ad omnes actus legitimos et administrationes ac dignitates promoveri valeat et admitti, citra abbatialem dignitatem.

38. Capitulum generale abbati de Veteri cella mandat et sub obtutu sui favoris praecipit seriose, abbatissam et moniales quae pro tempore fuerint ab earum excessibus, sub poenis excommunicationis ab Ordine deputatis, omnimode abstinere coarctet, saeculariumque personarum masculini generis iuxta decretalis illius *De vita et honestate clericorum* tenorem spiritu simplici non duplici intelligendo, aditum funditus praecludat, praedictarum tamen monialium sub expensis, omniumque praedictarum personarum saecularium familiaritatem evellat. Et si, quod absit, a praefatis monialibus secus praesumptuose post insinuationem praesentis diffinitionis attentatum fuerit, ipso facto vinculis excommunicationis auctoritate Capituli generalis se noverint incursuras, nec per alium nisi per patrem visitatorem dum satisfecerint, et beneficium absolutionis humiliter postulantes obtinuerint, se sciant absolutas.

39. Capitulum generale mandat et iniungit de Walkernis, de Volkolderonis et de Porta monasteriorum abbatibus, quatinus negotium et causam vertentem inter abbatem Veteris cellae ex una parte, et abbatissam de Throno Mariae ex altera, de constructione cuiusdam molendini, quod ipsa abbatissa construit et intendit construere in grave ac irreparabile damnum monasterii Veteris cellae, decidant et determinent secundum nostri Ordinis formam et statuta, ita ut evocatis partibus ad locum congruum praedicta respiciant, et si viderint expedire quod ex tunc praedictam abbatissam auctoritate Capituli generalis a dicta structura

prohibeant, et contra eam, si contumax et rebellis fuerit, per iuris et Ordinis poenas et censuras in plenaria Ordinis potestate agant et procedant.

40. Quia Capitulum nuper anni lapsi ad instantiam illustrium principum et dominorum domini Frederici et domini Willelmi germanorum, landgraviorum Thuringiae et marchionum Misnensium, studium pro Ordine in oppido Lypziensi concessit fieri provisione eiusdem abbati de Veteri cella committens, abbatibus quoque ceterarum provinciarum studentes illuc mittere debentibus, mandans nihilominus et iniungens pro instauratione et aedificatione loci contribuere tantum quantum quilibet pro expensis sui studentis per biennium solet dare. Et quia abbates dictarum provinciarum, tam in contribuendo pro dicta instauratione quam in missione studentium, desides et negligentes existunt, eapropter Capitulum generale mandat abbati de Gruneheim, ut una cum praenominato abbate Veteris cellae, patres de his provinciis de Misnia, de Lusacia, de Slesia, de Prussia, de Pomerania et de Pannonia in fines Vestvaliae, de Saxonia, Thuringia, Hassia, Franconia et de Advocacia et in partibus circumvicinis ad conveniendum et ad contribuendum pro instauratione loci praedicti, et ad mittendum studentes, per suspensionem et Ordinis poenas et censuras auctoritate Capituli generalis compellant in plenaria Ordinis potestate, et poenas praedictas non curantes denuntient Capitulo generali.

41. Capitulum generale committit abbati de Veteri cella ut statum monasterii in Dobrilung diligenter inquirat, et si hunc per hostiles invasiones devastatum invenerit, ut praefertur, auctoritate generalis Capituli abbati dispersionem sic concedat, et a missione studentis ad sex annos cum abbate favorabiliter dispenset.

42. Quia abbas de Gruneheim quaedam bona sui monasterii alienavit, et in meliora bona commutavit, ut praefertur, sine licentia generalis Capituli ; generale Capitulum committit abbati de Veteri cella de hiis providere, et si ita repererit, secum auctoritate Capituli generalis pro tali transgressione favorabiliter dispenset.

43. Concedit Capitulum generale abbati de Veteri cella propter penuriam piscium et quotidianorum hospitum nimiam praeoccupationem, saecularibus personis carnium administrationem, non obstantibus in contrarium statutis quibuscumque.

44. Abbas de Veteri cella Misnensis dioecesis ex parte filiae suae abbatissae monasterii Stellae Sanctae Mariae, ceterarumque monialium inibi existentium praedictae dioecesis, sibi immediate subiectarum, Capituli humiliter supplicando aures graviter occupavit, quatinus generale Capitulum praelibatis abbatissae et monialibus in solemnitatibus anni pluribus pulchra saecularia et *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Benedicamus, Sequentias* et alia plura in Ordine inaudita, decantandi indulgeret. Super qua supplicatione dictum Capitulum abbati de Veteri cella mandat et sub obtentu sui favoris praecipit seriose, quatinus praedictam abbatissam et moniales, quae pro tempore fuerint, a talibus sub poenis excommunicationis ab Ordine deputatis omnes abstinere coarctet, saecularium personarum masculini generis iuxta Decretalis illius, *De vita et honestate clericorum... etc. ut supra n°* 38.

45. Dispensatur cum fratribus Iacobo Knopf *(sic)* et Friderico Gleiss, sacerdotibus... *repetitur ut supra, n° 33.*

46. Ad idem fiat pro fratre Ioanne, sacerdote et monacho monasterii de Plass, qui aliquo tempore in apostasia mansit.

47. Cum fratre Alano, monacho de Sancto Bernardo in Frisia, misericorditer dispensatur per generale Capitulum, ut non obstante defectu natalium quem patitur, de presbytero genitus et soluta, super quo tamen apostolicae Sedis dispensationem se dicit habere, ad omnia Ordinis officia, etiam si abbatialem includant honorem, dum tamen sua in posterum suffragentur merita, valeat legitime promoveri.

48. Abbatis Castri aquilae auditis penuria, paupertatibus et aliis miseriis quibus suum monasterium multipliciter opprimitur, generale Capitulum intuitu pietatis permotum, quotas contributionis sibi et suo monasterio praefato impositas seu imponendas, usque ad biennium, de speciali gratia condonat et remittit. Insuper ipsum habet a via Capituli per spatium dicti biennii favorabiliter excusatum.

49. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum tam monachorum quam monialium Ordinis ultra montes consistentium, exceptis in generatione Firmitatis, abbati de Claravalle committit generale Capitulum in ipsius plenaria potestate.

50. Ad idem committitur domino Firmitatis per se vel per alium in monasteriis ultramontanis, in generatione sua dumtaxat.

51. Reformationem monasterii Belli loci regis in Anglia committit generale Capitulum abbatibus de Rievalle Eboracensis et de Dora Lundonensis dioecesium, praecipiens et firmiter iniungens eisdem, quatinus ad ipsum monasterium Belli loci quam citius personaliter accedentes ibidem reforment, instituant et destituant auctoritate plenaria ipsius Capituli quaecumque reformationis officio repererint indigere. Sane de modo promotionis abbatis dicti loci se diligenter informent, et si in huiusmodi promotione repererint formam Ordinis et statutorum non fuisse servatam, vel in aliquo contra statutorum huiusmodi tenorem fuisse processum, reparent vel reparari faciant, annullantes indebite facta et auctores iuxta demeriti quantitatem et praedictorum statutorum continentiam punientes, dicto monasterio Belli loci, si sit opus, per electionem aut alias rite et canonice providentes, praetactis in hoc statutis firmiter observatis. Porro si litem super hoc oriri contigerit, praetenso abbati inhibeant auctoritate praefati Capituli ne, pendente processu, monasterium de Gratiis aut alia quaevis dicto monasterio Belli loci subiecta visitare praesumat, aut in eis vel eorum aliquo cuiuscumque superioritatis officium exercere.

52. Audita supplicatione abbatis et conventus monasterii de Bullione super venditione cuiusdam redditus salis, quem habent in villa de Salinis, convertenda pecunia super hoc habita seu habenda in reparationem suorum aedificiorum et debitorum solutionem, domino Cistercii reverenter per generale Capitulum committitur, ut inquirat diligenter de indigentia huiusmodi, et faciat super hoc quod decreverit, auctoritate dicti Capituli generalis.

53. Ut abbas de Sancto Bernardo in Frisia cum personis sub obedientia sua constitutis, in casibus Capitulo generali reservatis, si opportunum fuerit, valeat dispensare, atque easdem, si stallum in choro perdiderint, vel vocem in Capitulo, ad quaevis Ordinis beneficia, pro uno semel dumtaxat, eidem abbati conceditur per Capitulum generale, et quod ipsius Capituli auctoritate confessorem eligere valeat, qui eum absolvere possit in casibus ipsi Capitulo reservatis.

54. Ad idem committitur abbati de Gradis.

55. Quia pro parte religiosorum fratrum Bernhardi et Nicolai, professis monasterii Novicastri nostri Ordinis, rationabilibus causis tamquam eorum superioribus generali Capitulo

propositum extitit, quod ad praesens propter certas et rationabiles causas cum abbate Novicastri commode commorari non possint, concedit Capitulum generale ut cum visitatione ipsorum in monasterio Lutzelensi aut alibi, ubi ipse visitator decreverit providendum, commorari possint, donec causa ipsa inter ipsum abbatem et dictos fratres secundum formam Ordinis terminatur. Praecipiens eidem abbati de Novocastro, quatinus rebus, bonis et redditibus suis provisionalibus eos uti permittat, nullamque vim vel molestiam eis inferat aut inferrri procuret, sub poena excommunicationis latae sententiae, invocato ad hoc auxilio brachii saecularis, si opus fuerit, fratribus antedictis.

56. Collatam per generale Capitulum anno praeterito celebratum abbatibus de Veteri cella, de Plass et de Vowen potestatem super executione bullae et provisione monasterii Waldsassen, usque ad plenam processus et debitam terminationem ac pacificam super abbatiatu dicti loci concordiam durare, decernit praesens Capitulum generale.

57. De Ebraco et de Caesarea monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus in provincia Salceburgensi contributiones recipiant et mittant ad generale Capitulum, abbatesque dictae provinciae ad solvendum et contribuendum in expensis venientium pro dicta provincia ad dictum Capitulum coerceant, si sit opus, in Ordinis plenaria potestate.

58. Abbatibus de Caroloco et de Clarofonte coniunctim committitur per generale Capitulum ut ad monasterium de Aceyo quantocius personaliter accedentes, si repererint abbatem et conventum dicti loci tradidisse ad sex annos Thierrico de Divione, civi Bisuntino, quamdam domum sitam Visuntio cum quadam vinea et uno horto adiacentibus dictae domui, praefatos de Aceyo compellant per censuram Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia, auctoritate Capituli generalis, ad tenendam traditionem supradictam eidem Thierrico, ut in litteris super hoc confectis et sigillis eorumdem abbatis et conventus sigillatis plenius continetur. Et si repererint ipsos abbatem et conventum teneri efficaciter abbati de Charitate aut aliis quibuscumque tam regularibus quam saecularibus, eisdem faciant viriliter et debite iustitiae complementum.

59. Ordinat et diffinit generale Capitulum ut si aliqui religiosi fugitivi monasterii de Waldsassen voluerint contriti redire ad obedientiam moderni abbatis, possint ipsos absolvere commis-

sarii, videlicet de Plass, de Veteri cella et de Buch monasteriorum abbates.

60. Propter desolationes et inopias notorias monasteriorum Ordinis nostri situatorum in regno Hungariae, eisdem compatiens generale Capitulum committit abbati de Runa, ut contributiones Ordinis iuxta facultatem locorum moderet, et ad quinquennium dumtaxat diminuat ad suae conscientiae dictamen, in ipsius generalis Capituli auctoritate plenaria.

61. Conceditur per generale Capitulum abbatibus nostri Ordinis in regno Hungariae existentibus propter distantiam locorum, ut excusentur usque ad sex annos a via Capituli generalis, dummodo mittant contributiones ad dictum Capitulum anno quolibet, et contribuant expensis aliorum, ordinationibus anno praeterito editis non obstantibus quibuscumque.

62. Abbatibus de Runa et de Sittich conformiter conceditur ad sex annos.

63. Abbatibus universis nostri Ordinis Cisterciensis conceditur per generale Capitulum usque ad decennium, ut novitios probatos et sufficientes infra vel ante annum probationis recipere valeant ad professionem regularem, dum tamen psalterium reddiderint corde tenus, et residuo anni probationis penitus renuntiaverint, nec aliud canonicum obsistat.

64. Abbati de Runa committit generale Capitulum causam fratribus Gaspar, subdiaconi et professi in Doberluth, volens ipsam per ipsum terminari secundum quod iustitia sibi dictaverit, et quod eumdem Gaspar ad regularem professionem recipiat, aut proprium abbatem recipere compellat, et relaxet ei sententias quas apostatando incurrit secundum quod sibi videbitur expedire auctoritate Capituli generalis.

65. Eidem de Runa committitur per generale Capitulum, ut ad monasterium in Insula Sancti Nicolai quantocius personaliter accedens, diligenter inquirat et scrutetur, utrum frater Ioannes dictus Roseler, quondam abbas dicti loci, provisionem seu pensionem annuam septem florenorum auri, quam tenet a dicto monasterio rite et iuste habeat, et secundum quod super hoc repererit, auctoritate Capituli generalis faciat iustitiae complementum.

66. Supplicationi abbatis de Sittich pro fratribus infrascriptis sacerdotibus et monachis dicti sui monasterii, videlicet Nicolao, qui illicentiatus recessit ab Ordine, et deposito habitu

regulari quasi per septem annos in saeculo remansit vagabundus; Ioanne Gabrielis, qui retento habitu regulari quasi per triennium apostatavit et se divinis immiscuit celebrando, et denuo regressus ad monasterium exivit quasi per quatuor horas remanens absque licentia praesidentis, Olrico qui etiam nocturno tempore per duas horas vel circa monasterium illicentiatus exivit, et etiam deprehensus pro pari culpa carceribus fuit mancipatus; Mathia qui, proiecto habitu regulari, monasterium exivit de mane remanens usque ad vesperam eiusdem diei; Erasmo qui apostatavit quasi per medium annum, et iterum reversus exivit secundo, remanens duobus annis vel circiter habitu regulari retento, et dicto tempore se divinis immiscuit celebrando, annuens generale Capitulum abbati de Runa committit ut praedictos fratres rehabilitet et cum eis dispenset misericorditer, prout eidem videbitur expedire.

67. Ad petitionem abbatis in Landstrast et conventus eiusdem gratiose dispensatur cum fratribus Urbano et Friderico, dicti monasterii professis, ut non obstante apostasia quam incurrerunt per sex annos discurrendo per saeculum, ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos admittantur, abbatiali dignitate tantummodo seclusa.

68. Ad idem pro fratre Ioanne Regnardi monacho monasterii de Altofonte, qui spatio fere trium annorum apostatavit habitu regulari demisso.

69. Ad idem pro fratre Iacobo de Larzicuria, dicti monasterii de Altofonte monacho, qui per unum mensem dumtaxat apostatavit, abbatiali dignitate tamen non seclusa.

70. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Tribus fontibus gratiose dispensatur per generale Capitulum cum fratre Iacobo de Sarmesia, eiusdem monasterii religioso, qui a decem annis citra in carnali contagione fuit deprehensus infra terminos seu limites eiusdem monasterii, ut non obstantibus praemissis quibuscumque ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos admittatur, citra tamen abbatiatum.

71. Abbati de Runa committitur per generale Capitulum ut cum fratribus Friderico et Stephano dicto Brunelet, professis de monasterio de Pelisio, quorum primus in contagione carnis fuit deprehensus, et alter videlicet Stephanus persuasione diabolica pluribus annis a suo monasterio illicentiatus remansit, et in pluribus aliis monasteriis retento habitu regulari divina celebra-

vit in animae suae periculum, dispenset misericorditer auctoritate Capituli generalis, si eidem videbitur expediens.

72. Universis abbatibus Ordinis nostri in provincia Salceburgensi consistentibus, conceditur per quinquennium a generali Capitulo auctoritas eligendi confessorem idoneum, qui ipsos confessos et contritos a suis peccatis et a sententiis quibuscumque, si ipsos incidere, quod absit, contigerit, valeat absolvere, et cum ipsis misericorditer dispensare in plenaria Capituli generalis potestate.

73. Abbati in Bebenhusen conformiter concedit.

74. Abbatibus supradictis concedit eadem auctoritate ut subditos suos possint absolvere, et cum eis in memoratis casibus misericorditer dispensare.

75. Abbatibus de Fonte Danielis et de Villa nova et eorum cuilibet in solidum ordinat et committit generale Capitulum ut omnes Ordinis personas quascumque quas repererint, aut alter eorum repererit, efficaciter teneri in aliquibus tam pecuniis quam aliis rebus quibuscumque abbati et conventui monasterii de Precibus, eas compellant, vel alter eorum compellat ad satisfaciendum eisdem de Precibus, auctoritate Capituli generalis plenaria.

76. Eisdem committitur pro monasterio de Buzaio.

77. Capitulum generale fratrem Petrum de Rixeyo, monachum de Barbello, attentis litterarum apostolicarum falsificationibus et aliis reatibus a longo tempore ab ipso perpetratis in magnum Ordinis detrimentum et dedecus, adiudicat arcto carceri decennio mancipari, in pane et aqua ter in hebdomada usque ad annum, reservata tamen moderatione Capituli generalis.

78. Abbati Francarum vallium iniungit et praecipit in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena Capitulum generale, quatinus fratrem Guidonem de Embromait, monachum dicti monasterii, aut ad professionem recipiat regularem, aut licentiam alibi profitendi eidem conferat benigniter cum effectu.

79. Ad supplicationem fratris Laurentii Sorin, monachi in Runa, quondam abbatis in Cips, committit generale Capitulum abbati de Runa, ut si aliquando Domino concedente iniusta cuiusdam militis occupatione bonorum atque reddituum monasterii de Cips cessante, aliquem verum et legitimum pastorem

ibidem residere contigerit, cui praedictus frater Laurentius pro bono pacis et commoditate praedicti monasterii libens ac sponte cedere voluerit, ordinet super hoc ad suae voluntatis arbitrium praedictis de Runa in plenaria Capituli generalis potestate.

80. Cum fratre Ioanne, filio nobilis viri castellani de Memicz, monacho in Landstrast, super defectu natalium quem patitur, misericorditer dispensat generale Capitulum, ut hoc non obstante ad omnes Ordinis gradus, voces, dignitates promoveri valeat pariter et assumi. Omnibus dicti loci personis regularibus et aliis quibuscumque Ordini subditis praecipiens, sub excommunicationis poena, ne praedicto fratri Ioanni occasione huiusmodi defectu aliquid improperent vel reprobent.

81. Nonnullarum tam abbatissarum quam monialium Ordinis adeo protervus error increvit, vel potius innotuit insania, ut nedum strictis et nubilium more mulierum vestibus ad pectus et renes arctitatis uberum renumque forma impudenter ostentantibus indui, et velis amiciri non velantibus sed revelantibus magis facies atque provocantibus lascivorum intuitus minime vereantur, verum etiam cum a visitatoribus super hiis arguuntur excessibus, corruptelam hanc longe continuatum abusum tamquam vim habentem constitutae consuetudinis astruunt, corrigi recusantes. Eapropter generale Capitulum edicto praesenti monendo praecipit omnibus et singulis abbatissis Ordinis sub excommunicationis latae sententiae poenis, quatinus infra tres menses a praesentis diffinitionis insinuatione, quorum primum pro primo, secundum pro secundo, tertiumque pro tertio peremptorioque termino et monitione canonica eisdem praefigimus, dissolutos habitus suos et monialium suarum tam corporis quam capitis ad modestiam et decentem religionis formam, prout eis visitator iniunxerit, reducant et componant, reducique faciant et componi. In rebelles autem et inobedientes hac in parte abbatissas ex nunc pro tunc, praedictis terminis elapsis, praedictum Capitulum sententiam excommunicationis fert et fulminat in hiis scriptis, et eas si pertinaces ultra mensem perstiterint, declarat et decernit ab abbatiali dignitate continuo deponendas. Moniales vero, quae a visitatoribus aut abbatissis propriis inhibitos eis habitus post tres menses ab huiusmodi inhibitione portare seu portasse convincerentur, ad abbatissae electionem tam activam quam passivam, praesentis diffinitionis tenore, declarat et decernit inhabiles memoratum generale Capitulum.

82. Illustris princeps dominus Namurcensis comes desolationi condolens monasteriorum monialium Ordinis nostri in eius Namurcensi comitatu atque confiniis situatorum, videlicet de Molinis, de Argenton, de Vallencuria, de Bonefya et de Solismonte, quae spiritualem pariter et temporalem aut iam subiere aut de propinquo ruinam minantur omnimodam, Altissimi consilio fretus ipse dominus comes eadem monasteria in unum redigi facere monasterium, quod viris utique religiosis de Ordine nostro Cisterciensi perpetuo adscribatur et donetur, proposuit et decrevit generale praesens Capitulum, cum precibus benignissimis exhortans et requirens, ut ad tantae pietatis atque devotionis opus eidem domino comiti cooperari studeat toto posse, huic itaque sanctissimo dicti domini comitis cum gratiarum actionibus humillimis applaudens proposito generale Capitulum, districtius iniungit domino Claraevallis, necnon de Caroliloco, de Villari et de Alna monasteriorum abbatibus et eorum singulis cum potestate subdelegandi committit, quatinus zelo religionis accensi quam citius poterint secundum consilium, discretionem, adiutorium et protectionem praedicti comitis ad executionem praemissorum efficacem et solertem auctoritate dicti Capituli totis viribus elaborent, moniales dictorum monasteriorum ad alia Ordinis destinantes monasteria vel alias earum victu, prout congruentius videbunt, providentes ; rebelles autem vel eis hac in parte impedimentum procurantes personas per censuram Ordinis et incarcerationem, si opus fuerit, coerceant et compescant.

83. Ad petitionem abbatis in Walderbach gratiose dispensatur per generale Capitulum cum fratre Henrico Vocler, sacerdote et monacho dicti monasterii, qui olim propter contagionem carnis, secundum Ordinis instituta subiit poenitentiam regularem, et deinde suggestione diaboli pluribus annis per saeculum evagando, retento habitu regulari, in apostasia permansit, divina in monasteriis Ordinis et extra quamplurimum celebrando, ut praedictis non obstantibus ad omnes Ordinis gradus legitimos, status et honores admittatur, abbatiatu tantummodo secluso.

84. Item, ad petitionem ipsius abbatis in Walderbach, dispensat generale Capitulum cum fratribus Henrico Pistore, Walthero sacerdotibus, et Ioanne Aminiam diacono, monachis expresse professis in dicto monasterio de Walderbach, qui nocturno tempore de monasterio egressi tamquam in contagione carnis deprehensi, habitu regulari privantur, ut non obstantibus supra-

dictis, habitus regularis eisdem restituatur, et ad omnes Ordinis gradus legitimos, voces, administrationes, dignitates admittantur, abbatiali dignitate dumtaxat seclusa.

85. Abbati et conventui in monasterio Bebenhusen[c] ex speciali gratia per generale Capitulum conceditur, ut nonnullis ipsius monasterii dominis, amicis et fautoribus, ut puta illustri domino domino comiti de Wurtenberg[d] cum suo comitatu et quamplurimis aliis, quibus eisdem abbati et conventui videbitur expedire, cum ad praedictum monasterium declinaverint, licite valeant carnes pro refectione ministrare.

86. Abbati et conventui de Eberbach conceditur per generale Capitulum, ut ad tempus cum consilio et assensu patris abbatis possint locare alias grangias eidem monasterio pertinentes.

87. De Hemmenrode et de Bebenhusen monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum, ut si eisdem videtur expediens, auctoritate dicti Capituli licentiam conferant abbati et conventui monasterii de Eberbach aliqua bona immobilia impignorare et illo modo alia alienare, quae fuerunt vel sunt impignorata.

88. Supplicationem abbatis et conventus monasterii de Eberbach admittens Capitulum generale, cum fratribus Petro de Heybaco, qui quondam per aliquod temporis spatium apostatavit, et Arnoldo de Monasteriis, qui instigante generis humani inimico, voti religionis immemor in contagio carnis olim deprehensus fuit, ut hiis non obstantibus ad omnes Ordinis gradus legitimos, voces, administrationes, dignitates, abbatiatu secluso dumtaxat, admitti valeant et assumi.

89. Monasteriorum de Alba et de Mulebrune abbatibus committitur per generale Capitulum, ut quam citius ad monasterium de Bebenhusen personaliter accedentes, inquirant diligenter et cum effectu, si utile fuerit eidem monasterio aliqua bona ipsius pro nunc quasi penitus desolata perpetuis temporibus alicui vel aliquibus cultoribus, de quibus profectum sperent in futurum, locare, ac etiam aliqua bona a dicto monasterio nimis longe sita vendere et alienare, ac in alios redditus in ipsius monasterii maiores utilitatem et profectus convertere. Et secundum quod super hiis repererint, faciant et ordinent ad suae voluntatis arbitrium secundum Deum, rectam conscientiam ac Ordinis instituta, auctoritate ipsius Capituli generalis.

---

[c] Bebenhusin : *MP²W*. [d] Wittemberg : *M* ; Wirtemberg : *P²W*.

90. Cum redditus annui et perpetui debeat Ordo totus monasterio Firmitatis centum libras seu florenos Capituli, Cisterciensi autem monasterio debeantur tam super monasterium Benedictionis Dei quam alibi redditus et proventus ad eumdem valorem ascendentes, quos eidem monasterio Firmitatis in commutationem vel excambium tradi perpetuo fore fertur utrorumque monasteriorum utilitas, a Capitulo generali petierunt domini locorum eorumdem abbates licentiam id agendi. Volens itaque generale Capitulum de praemissis certius informari, de Bonavalle Viennensi et de Maceriis monasteriorum abbatibus committit, quatinus de et super praemissis veritatem diligenter inquirant, an praesertim praedictorum alicui trium monasteriorum damnosa foret huiusmodi commutatio vel utrique fructuosa. Et quod inde compererint fideliter referant et insinuent sequenti proximo Capitulo generali.

91. Super irrogatis domino Cistercii et Ordinis visitatoribus iniuriis prepeditisque commissariorum executoribus per fratrem Ioannem Morin, monachum de Valcellis confessorem dudum monasterii de Vivario, citatus sub poena convicti, ut debite patuit, ad secundum diem praesentis Capituli, idem frater Ioannes minime comparuit, vocatus ut fieri solet et usque in crastinum expectatus. Quamobrem contumacem eum a generali Capitulo reputavit, requisivit et obtinuit comparens contra eum generalis Ordinis procurator. Quocirca abbati, priori, cellerario et cunctis dicti monasterii Valcellarum officiariis sub excommunicationis latae sententiae poena ac depositionis praecipit generale Capitulum, quatinus dictum fratrem Ioannem indilate capiant et vinculatum adduci faciant ad carceres Claraevallis, iudicium ibidem super praemissis ac poenitentiam condignam a Claraevallis domino suscepturum. In detestationem insuper atque memoriam longiorem tanti facinoris, dicti monasterii Valcellarum monachis, confessoris officium quoad moniales quaslibet cuiuscumque generationis existant, usque ad decem annos interdicit, adimit et revocat praedictum generale Capitulum, praecipiens abbatissae de Vivario sub poena excommunicationis, ut debitam eidem fratri pecuniae summam abbati de Caroliloco consignet, rationem inde quoties oportuerit reddituro.

92. Certis ex causis permotum generale Capitulum et de gratia speciali concedit idem Capitulum fratri Ioanni de Reybach, monacho monasterii de Victoria, ut in monasterio de Hemmen-

rode usque ad immediate sequentes sex annos valeat commorari, nisi tamen medio tempore per suum proprium abbatem ad ipsum monasterium de Victoria fuerit revocatus.

93. Cum fratre Ludovico de Blenvilla, monacho monasterii de Suleojo dispensat misericorditer generale Capitulum, ut non obstante quod de dicto monasterio Suljonnensi illicentiatus ad monasterium Belliprati Tullense accesserit, in dicto monasterio Belliprati, si de beneplacito abbatis eiusdem loci processerit, aut alias in monasterio de Villerio usque ad proximum generale Capitulum valeat commorari, cum eodem fratre Ludovico super sententiis et irregularitatibus quibuscumque, quas incurrit in praemissa apostasia celebrando, aut alias immiscendo se divinis, dispensans idem Capitulum generale.

94. Fratrem Michaelem de Primino, monachum expresse professum monasterii de Charitate Bisuntinae dioecesis, attentis et diligenter perpensis reatibus et nefandissimis infestationibus et aliis quamplurimis malis et perversis operationibus in ipsius confessione publica contentis, generale Capitulum adiudicat arcto carceri septem annis acrissime commorari.

95. Auditis paupertate, penuria et miseriis monasterii Otterburg, generale Capitulum eidem compatiens, quotam contributionum Ordinis dictum monasterium concernentem sibi de gratia speciali usque ad tres annos remittit benigniter.

96. Tanta monialium, quae suis exigentibus demeritis ad alia destinantur monasteria temeritas invaluit, ut non solum alibi divertant moramque trahant dierum plurimorum, sed etiam vel de quibus emittuntur monasteriis exire recusant, vel cum exierunt ad eadem non vocatae redeunt fultae nonnunquam potentia laicorum. Quarum quidem audaciam atque rebellionem reprimere satagens generale Capitulum, omnes et singulas pro suis demeritis per visitatores emissas moniales conversasque, si et quoties spatio leucarum quatuor a recto itinere sine speciali licentia diverterint, aut in aliquo monasterio etiam in via rectiori situato moram traxerint ultra diem unum naturalem, vel de monasteriis propriis ad commissionem visitatoris exire recusaverint, seu non revocatae redierint ad eadem, sententiam excommunicationis ipso facto poenamque carceris incurrisse diffinit, declarat, statuit et decernit sub eadem poena quam ex nunc pro tunc in hiis scriptis fert et fulminat in rebelles, inhibens abbatissis omnibus, officiariis, confessoribus et capellanis earumdem,

ne quamdiu praedictas sic divertentes et exire renitentes, aut sine vocatione redeuntes in ipsarum monasteriis vel eorum locis quibuslibet adesse cognoverint missas aliquas celebrent vel audiant, nec eis quaecumque de bonis dictorum monasteriorum communibus vel particularibus administrent, sed easdem arctissimo carceri mancipari faciant, non sine visitatoris vel abbatissae propriae licentia, praecedente tamen obedientia, liberandas.

97. Cum consilio patris abbatis monasterii Eberbach, abbati et conventui dicti loci concedit generale Capitulum, ut pro alienatione eiusdem, quia obligatur pluribus creditoribus, possint vendere pensiones reemptionum vel etiam vitales ad summam quatuor florenorum.

98. Capitulum generale diffinit et decernit, ut commissarii anno elapso dati super negotio monasterii in Waldsassen remanebunt et procedent in commissione sua, quoties opus fuerit usque ad negotii terminationem.

99. Generale Capitulum hortari dignata est regia maiestas, ut imminenti solemnis ab olim monasterii Longipontis ruinae lamentabili solerter occurrat, idipsum quoque requirunt attentius elanguescens victualium penuria conventus contemptusque ac temere vilipensus ab abbate dicti loci, pater abbas dominus Claraevallis ; ea propter Caroliloci, Regalis montis, Ursicampi s. th. pr., Vallis Beatae Mariae et Vallis clarae abbatibus, ipsorumque tribus quorum unus sit Caroliloci, committendo praecipit generale Capitulum, quatinus ad praedictum monasterium accedentes quantocius, ibidem reforment, corrigant, instituant et destituant, tam in capite quam in membris, et cetera quae Dei et religionis honorem relevamenque monasterii concernere cognoverint, faciant et exerceant in generalis Capituli potestate plenaria, invocato, si necesse fuerit ad praemissa, brachii saecularis auxilio, praesertim regiae maiestatis et illustrissimi principis domini Aurelianensis, in cuius dominio situm est monasterium antedictum. Singulares autem dicti conventus personas in suam protectionem suscepit dictum generale Capitulum, inhibens eorum abbati sub depositionis et carceris poena, ne lite hac seu querimonia pendente, cuiquam de dicto conventu poenas aut poenitentias infligat solito duriores.

100. Quia iustis domini Cistercii mandatis pertinaciter resis-

tenti sorore Xanta Tumete [e], moniali Sancti Antonii, consilium, favorem et auxilium etiam laicorum potentium ausu temerario interstravens soror Ioanna de Louvain, eiusdem monasterii monialis, celebratum anno lapso Capitulum generale praedictam sororem Ioannam ad monasterium de Aqua Carnotensis dioecesis triennio mansuram ibidem destinavit, unde dudum apostatando regressa Parisius per numerosam admodum cohortam armatorum, minis et iniuriis pluribus allatis abbatissae et iudicibus Ordinis, impetuose prorsus atque violenter in dictum monasterium et cameram, qua iustissime privata fuerat, introduci seu verius intrudi procuravit, testibus id notorium reddentibus, armatis ductoribus octoginta vel pluribus cum multitudine spectantium tantum nefas. Eapropter generale Capitulum praedictam sororem Ioannam a dicto monasterio Sancti Antonii penitus eliminans, et proscribens, eamdem ad monasterium de Loco Beatae Mariae prope Romorentin transmittendam, ibique quamdiu vixerit sub observantia regulari mansuram decernit, ordinat et diffinit, praecipiens abbatissis videlicet de Loco Beatae Mariae, ut eam recipiat, Sancti Antonii vero ut eam quantocius ibidem transvehi faciat decenterque conduci. Inhibens insuper eidem abbatissae, priorissae quoque, suppriorissae, sacristae et ceteris officiariis monasterii Sancti Antonii, sub poena privationis ab officiis obtentis ac excommunicationis latae sententiae, quam in hiis scriptis fert ipsum Capitulum in rebelles, ne praedictae Ioannae, si eam praedictum monasterium Sancti Antonii sine expressa Capituli ipsius licentia intrare contigerit, quidquam de victualibus, utensilibus, domiciliis aut aliis quibuscumque dicti monasterii seu personarum singularum bonis ministrent aut ministrari permittant, nec cum ea participent modo quovis ; quinimo si et quamdiu infra muros dicti monasterii eam existere cognoverint, cessent penitus et cessari faciant a divinis, et invocato, si opus fuerit, laicorum iustitiaeque saecularis auxilio, de monasterio praedicto eamdem sororem Ioannam eiiciant, et ad locum deduci faciant assignatum. Sane super praemissis quomodolibet dispensandi domino Cistercii et eiusdem atque generalis Capituli commissariis quibuscumque, dictum Capitulum omnem prorsus praecludit et adimit potestatem.

---

[e] Sanctae Crametta : L^3, *cf. supra anno* 1412, *n°* 55.

101. Certis permotum rationibus generale Capitulum, sororem Ydoveam de Courcellis, monialem professam monasterii Beatae Mariae Regalis, alias de Maloduno, ad monasterium de Fonteguerrardi transmittendam, ibique per continuum triennium sub observantia mansuram decernit,statuit et diffinit,sub excommunicationis latae sententiae atque depositionis poena, praecipiens abbatissis videlicet de Fonteguerrardi ut eam recipiat incunctanter, Maloduni vero ut eam quantocius ibidem transvehi faciat decenterque conduci. Quae si rebellis aut inobediens extiterit, arcto mancipetur carceri, inde nullatenus ante plenam obedientiam liberanda, nec pigeat ad praemissorum executionem, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocare.

102. Quia coram Diffinitoribus praesentis Capituli sponte recognovit abbas Clarifontis debere 28 francos cum dimidio abbati et conventui de Crista, sibi praecipit idem Capitulum sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra proximum Pascha de praedicto debito praefatis de Crista satisfaciat, vel eosdem super hoc omnimodo contentet.

103. Ad notitiam generalis Capituli fama publica detulit, quod propriae salutis immemor soror Ydovea de Courcelles, monialis monasterii Beatae Mariae Regalis, alias Maloduni, pristinis et ei fere coevis criminibus damnabiliora quotidianis successibus accumulans facinora non desistit, utpote furtis pluribus addens incontinentiam, venditioni rerum conmonialium subiungens clavium falsificationem proterviam, rebellioni, periuriis associans iniurias in sodales et in praesidentes suas praesertim, si eam corrigere tentaverint, scandalosas adeo blasphemias ingeminans veluti mentis inops, ut non nisi perpetuam carceris arctationem valeat illius procacitas in eodem monasterio coerceri. Quam quidem carceris poenam propter desperationis periculum eidem infligere reformidat abbatissa dicti loci, remedium seu mitiorem super hoc provisionem implorans Capituli generalis, cuius precibus et praedictae sororis Ydoveae saluti per rigoris iustitiae temperamen providere satagens generale Capitulum, eamdem sororem Ydoveam ad monasterium de Fonteguerrardi transmittendam, ibique per continuum triennium sub observantia regulari mansuram decernit, statuit et diffinit ; sub excommunicationis latae sententiae atque depositionis poena praecipiens abbatissis videlicet de Fonteguerrardi ut eam recipiat incontinenter, Maloduni vero ut eam quantocius ibidem trans-

vehi faciat decenterque conduci, quae si rebellis aut inobediens extiterit, arcto mancipetur carceri, inde nullatenus ante plenam obedientiam liberanda, nec pigeat ad praemissorum executionem, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocare.

104. Notoriam desolationem ruinamque tam monasterii quam domorum monasterii de Thesauro sciens generale Capitulum nonnisi per excellentem rectricis posse solertiam, zelum et industriam relevari, ad relationem domini Cistercii abbatumque plurimorum, zelum religionis [f] et in regimine peritiam cognoscentium, venerabilis religiosae sororis Agnetis de Porta, abbatissae de Vicinis, si et quamprimo praedictum monasterium de Thesauro modo quovis vacare contigerit, eidem vacanti monasterio de persona praedicta sororis edicto praesenti providendum decernit ipsum Capitulum generale, irritans ex nunc pro tunc quidquid in contrarium a quoquam fuerit attentatum, et abbati Vallium Sernaii cunctisque tam suis quam generalis Capituli quibuscumque commissariis praecipiendo committens, quatinus agnita vacatione dicti loci, alter alterum non expectans praedictam de Vicinis ibidem confestim auctoritate praesentis Capituli praeficiat et instituat abbatissam, seclusis ab electione alterius personae monialibus dicti loci, quia per reformationem praedicti domini Cistercii, ad electionem omnes nuper fuerunt inhabiles declaratae.

105. Ad exhortationem Curiae Parlamenti regii in qua diu contra abbatissam de Thesauro nomine Malvinam du Chemin litigaverunt conventuales moniales dicti loci anno 1411 undecima die mensis martii, reformationis officium exercens in dicto monasterio dominus Cistercii, post et per multas exactasque prorsus informationes, defectibus quamplurimis probatis et compertis contra dictam abbatissam, propter quos secundum Ordinis sanctiones deponi meruerat, idipsum suadente seu consulente praedicta Curia Parlamenti. Certis tamen ex causis permotus idem dominus Cistercii prius eam monere decrevit, et sublatum ab ea temporale dicti monasterii regimen per Curiam supradictam eidem usque ad biennium per modum provisionis dumtaxat sub denuo declarandis conditionibus recommisit. Primo quidem oretenus eidem abbatissae sub poena depositionis absolutae prohibuit ne capellanum quemdam nomine Richardum, de cuius pernicioso

---

[f] relationis : *L*³.

contubernio vehementer et longo tempore diffamata probabatur, in monasterio suo frequentare vel cum ea conversari, aut in dicti monasterii negotiis modo quovis permittere occupari. Item, in scriptis inhibuit eidem, ne sine certis et designatis comitibus monasterii fores egredi praesumeret. Item, ne monasterii proventus vel debita reciperet ante solutionis assignatum tempus, nec mutuum aut debitum de novo contraheret in omnibus excedentibus decem libras. Quorum omnium et aliorum in litteris dicti domini Cistercii contentorum abbatissa praedicta neglectrix omnino fuit et contemptrix. Quamobrem omnibus et singulis Ordinis abbatibus quibus diffinitio praesens ex toto vel parte praedicti domini Cistercii fuerit exhibita, praecipit et committit generale Capitulum, quatinus eorum duo vel plures de praemissis et aliis abbatissae praedictae defectibus debite se informent, et ea si secundum dicti Ordinis instituta aut praedictas domini Cistercii reformatorias litteras deponi meruerit, deposita per eosdem, de nova confestim abbatissa provideant sic vacanti monasterio praedicto prout in certa super hoc edita praesentis Capituli diffinitione contineri viderint, in plenaria eiusdem Capituli potestate.

106. Committit generale Capitulum abbati de Copronicia, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia, brachii saecularis auxilio, si opus sit, invocato, viriliter et debite compellat abbatem de Andreow ad satisfaciendum abbati de Sulejow de sumptibus et damnis eidem per praedictum de Andreow illatis, et quae praedictum de Sulejow subire fecit praefatus de Andreow, ipsum de Sulejow in electione sua vi saecularis potentiae contra iustitiam et Ordinis instituta perturbando. Reformationem insuper omnium et singulorum utriusque sexus Ordinis nostri monasteriorum cuiuscumque generationis in regno Poloniae consistentium, et contributionem per eadem monasteria debitarum et debendarum receptionem per immediate secuturos sex annos committit idem Capitulum praefato abbati de Copronicia, praecipiens et iniugens eidem, quatinus ad ipsa monasteria personaliter accedens visitet, reformet, corrigat, institutat et destituat auctoritate Capituli memorati et in ipsius potestate plenaria tam in capitibus quam in membris, quaecumque secundum Deum, rectae rationis dictamen, apostolica et Ordinis instituta, visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda rationabiliter seu destituenda fuerint in eisdem. Et haec omnia fiant

in expensis locorum reformandorum, quas eidem solvere teneantur, et ad hoc per eum valeant debite coerceri, principum saecularisque brachii favore et auxilio, si necesse sit, ad praemissorum cuiuslibet executionem humiliter imploratis.

1416

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro serenissimo domino nostro, domino Carolo... *etc. ut in anno* 1401.

2. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro pace et unitate Sanctae Matris Ecclesiae decantetur semel dumtaxat in hebdomada una missa per abbatem affixa, cuius missae introitus intitulatur : *Salus populi*, collecta *Ecclesiae* cum ceteris sequentibus, in singulis domibus Ordinis universi.

4. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES].

5. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

6. Item, cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n*o 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES.]

7. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum frater Ioanne dicto Bloquel, monacho Albaeripae expresse professo, qui per spatium sex hebdomadorum per saeculum evagando, habitu tamen regulari non deposito, damnabiliter apostatavit, et postmodum voluntarie rediens poenitentiam sibi prop-

---

1416. *Fontes* : *L*³ : 1-27 ; *M* : 20, 25, 26 ; *P*² : 5, 20, 25, 26 ; *U* : 29 ; *W* : 25 *(abbrev.)*, 26 *(abbrev.)*, 28. [a] *Titulus apud L*³.

ter hoc iniunctam humiliter et devote peregit, ut hoc non obstante ad omnes actus, gradus et status cum honoribus legitimis admittatur.

8. Cum fratre Reginaldo Michaelis, monasterii de Fontemorum expresse professo in sacerdotio constituto, qui illicentiatus recessit ab Ordine, et regulari habitu reiecto quasi per spatium duorum annorum in saeculo remansit, apostasiam incurrens et irregularitatem contrahens se divinis damnabiliter immiscendo, dispensat generale Capitulum ad restitutionem gradus et habitus, et ut ad omnes actus legitimos admitti et ad omnes Ordinis dignitates promoveri valeat praeter abbatialem dignitatem, et de hiis omnibus poenitentias Ordinis humiliter et devote peregit.

9. De Tribus fontibus, de Albaripa et de Longovado monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis utriusque sexus, quas repererint monasterio Claraevallis vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas fore per litteras aut alia documenta legitima, coerceant ad satisfactionem plenariam viriliter et compellant.

10. Ut inquirant et diligenter se informent de Bonavalle Viennensi et de Miratorio monasteriorum abbates, an tractatus initus inter abbatem et conventum monasterii de Chassenya ex una parte, et nobilem virum Matheum de Thalara parte ex altera, sit ipsi monasterio fructuosus per generale Capitulum committitur eisdem, et referant proximo Capitulo generali de repertis veritatem.

11. De Morimundo et de Capite laci monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus se informent et diligenter inquirant utrum permutatio seu alienatio aliquarum terrarum, quas permutare seu alienare requirunt abbas et conventus monasterii de Claravalle Mediolanensi, sit ipsi monasterio utilis et fructuosa, et Capitulo de proximo venienti referant omnimodam veritatem.

12. Diffinitionem quae per modum annexae dudum a Capitulo dicitur emanasse, et fratri Rogeri Franck electionem vel provisionem praetensam ad monasterium de Fontibus in Anglia, Eboracensis dioecesis, cuius ipse monachus est, confirmasse, dictum Capitulum evidentibus certificatum documentis, quod suppressa negotii veritate, multis quoque mendaciorum non tam verbalium quam litteralium commentis subrepta fuerit, et ob-

tenta per quemdam monachum litteris factitiis et non veris procurationem domini Ioannis Rippon, ut eum et dictum Capitulum deciperet fallaciter se gerentem, quocumque verborum tenore ipsa confirmationis annexio processerit in praeiudicium dicti Ioannis Rippon, vel iuris sui ad monasterium de Fontibus, eo legitime non audito nec vocato, qui ut postea patuit per appellationis remedium dicto Rogero in huiusmodi causa litem moverat, prorsus irritam et nullius roboris aut vigoris esse declarat, notificat et decernit.

13. Volens, ut tenetur, generale Capitulum ne monasterium Aureaevallis Metensis dioecesis per duorum ad eius praesidentiam contendentium litigiosa discrimina miserabilis iacturae lapsibus elidatur, dominis Cistercii et Claraevallis, s. th. pr., vel aliis duobus abbatibus quos ad hoc mittere decreverint, plenam Ordinis potestatem ad dictae controversiae sedationem tribuit et committit. Ipsos insuper contendentes videlicet fratrem Iacobum de Hans professorem, et fratrem Nicolaum de Arluno competitorem, praefati monasterii monachos, in virtute statutorum Ordinis praecipientium causas eiusdem intra non extra Ordinem terminarum, citat, evocat, hortatur et obtestatur, quatinus die quadragesima post notificationem praesentium, cum iuribus et monumentis suis in hac causa vel eorum copiis authenticis, coram praedictis commissariis in civitate Constantiensi provinciae Moguntinae personaliter compareant, ipsisque in hac discordia processuris iuxta sanctam Ordinis simplicitatem, rationis aequitatem et mutuam in Domino caritatem plenarie consentiant et obediant, quibuscumque litium exteriorum anfractibus omnimode posteratis.

14. Editam alias diffinitiomen qua monachi de Valcellis quicumque prohibentur usque ad decennium officia confessoratus monialium Ordinis exercere, per intercessionem reverendissimi in Christo patris domini cardinalis Sancti Martini misericorditer revocat et relaxat generale Capitulum, hoc tamen salvo, quod pro duobus dicti monasterii monachis, quos nominare voluerit dominus abbas Caroliloci, s. th. pr., cuius intuitu dicta diffinitio rationabiliter facta fuit, robur eius et vigor integraliter perseveret.

15. Ad instantiam domini Claraevallis, s. th. pr., citantur personaliter et peremptorie ad proximum futurum generale Capitulum dominus Lucas abbas de Moroliis, frater Petrus de

Rabella carnalis frater et monachus eius frater quoque Michael, monachus Clarimontis et scolares de Sancto Bernardo Parisius, cum intimatione quod, sive comparuerint sive non, procedetur quantum iuris fuerit in hiis, quae contra eos proponentur, eorum absentia vel contumacia non obstante.

16. De Nigrolacu et de Albispetris monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus inquirant et diligenter se informent utrum tractatus et omnia contenta in litteris quibus praesens diffinitio annectitur, sint monasterio de Obazina utilia seu fructuosa, et referant Capitulo de proximo venienti realem veritatem.

17. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii Vallis Dei gratiose dispensatur per generale Capitulum cum fratre Petro de Spitz, dicti monasterii professo, ut non obstante apostasia quam incurrit, per tres annos vel quasi discurrendo per saeculum habitu regulari dimisso, ad omnes gradus, status et honores Ordinis legitimos admittatur, et eius habitus regularis restituatur, abbatiali dignitate tantummodo seclusa.

18. Ad idem pro fratre Nicolao de Vandignecia, monasterii de Escureyo professo, qui per triennium vel quasi apostatavit, habitu regulari dimisso.

19. Committit generale Capitulum abbati de Crista, quatinus se transferat ad monasterium de Escureyo, et diligenter a fratribus loci inquirat, et oculatim videat utrum pro dicti monasterii utilitate et aliarum domorum, reparatio cuiusdam domus aut eorum grangia quamplurimum, ut fertur, ruinosa sit omnimodo deserenda, et referat Capitulo de proximo venienti omnimodam veritatem.

20. Ad humilem supplicationem abbatis de Locedio Casallensis dioecesis annuit generale Capitulum ut priorissa Sancti Spiritus eiusdem dioecesis, et praefato monasterio de Locedio immediate subiecta, amodo vocetur abbatissa, quae per praesens vocabatur priorissa, et baculo pastorali, ut in Ordine moris est, utatur.

21. Tractatum, cui haec praesens diffinito inseritur et omnia et singula contenta in eodem, generale Capitulum de gratia speciali approbat, ratificat pariter et confirmat.

22. Capitulum generale mandat et praecipit abbati monasterii de Gardo, quatinus fratrem Ioannem de Manteney, ipsius monasterii professum, cui nuper alibi profitendi licentiam minus

sufficienter concesserat, benigne recipiat et caritative tractet, salva tamen in omnibus Ordinis disciplina.

23. Generale Capitulum mandat et praecipit abbati monasterii de Pratea, quatinus fratrem Guillelmum Praepositi, ipsius monasterii professum, benigne recipiat et caritative tractet, salva tamen in omnibus Ordinis disciplina.

24. Generale Capitulum contumacem, Ordini rebellem eiusque praeceptorum contemptricem, decernit et declarat esse sororem Margaretam abbatissam monasterii de Valle Sanctae Crucis, Constantiensis dioecesis. Iterum quoque citat eam ad proximo futurum generale Capitulum per procuratorem idoneum comparituram, vel interim coram reverendissimo patre domino abbate Cistercii vel alio per eumdem nomine Capituli deputando modo et forma quibus per iurisperitos expedire videbitur. Quam etiam citationem extendi vult Capitulum ad omnes illos Ordinis abbates, qui citra biennium ad dictum monasterium causa reformationis eiusdem missi fuerunt, ut ipsis auditis et visis omnibus quae ordinaverunt ibidem Capitulum vel dictus dominus Cistercii, cum consilio sapientum, securius possit et consultius super dictae abbatissae malitiis et pertinacia providere.

25. Generale Capitulum nomine et auctoritate totius Cisterciensis Ordinis in omnibus et singulis generationibus et paternitatibus ipsius Ordinis, ac abbatum, conventuum, monasteriorum, personarum et Ordinis totius, praedictorum procuratores, nuntios speciales, negotiorum gestores, syndicos, economos, actores et defensores in sacro universalis Ecclesiae concilio Constantiensi eligit, ordinat, nominat, facit et constituit reverendissimum in Christo patrem dominum Cistercii, venerabilesque fratres Matheum Claraevallis, Ioannem Morimundi, Laurentium Caroliloci, Guillelmum Fontis Danielis, Ioannem Ursicampi, Guillelmum Mortuimaris, et Ioannem de Precibus, s. th. pr., monasteriorum eiusdem Ordinis abbates ; necnon de Columba, de Caravalle, de Runa, de Mulebrune, de Lankheim, de Lucella, de Fontibus, et de Bello loco regis similiter eiusdem Ordinis monasteriorum abbates et eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit eorum alterius conditio deterior, sed quidquid per ipsorum aliquem inceptum fuerit per alterum resumi, continuari, deduci, mediari valeat et finiri. Dans eisdem abbatibus... *etc. ut supra anno* 1412, *n*° 58.

26. Quia generale Capitulum dominum Cistercii et alios Ordi-

nis abbates necessario plures deputat et ordinat ad eumdem communibus Ordinis expensis ad generale concilium Constantiense, et residendum in eodem usque ad finem et complementum celebrationis eiusdem ; idcirco pro solvendis eorum stipendiis imponit super universum Ordinem, omnium videlicet monasteriorum utriusque sexus, summam sex millium librarum turonensium, distribuendam eis et pro eorum stipendiis tam praeteritis quam futuris. Ad quam distributionem faciendam committuntur reverendissimus pater dominus Cistercii, et cum eo domini abbates Claraevallis, Morimundi et Ursicampi, ita tamen quod ipse dominus Cistercii cum altero praedictorum ad huiusmodi distributionem et taxationem procedere valeat. Taxa vero seu determinatio distributionis huiusmodi talis erit. Dominus Cistercii recipiet quotidie 36 solidos, quilibet autem aliorum iam deputatorum vel pro eis, si qui forte deficerent vel non continuarent, deputandorum 24 solidos pro quolibet die ut prius. Adiungit etiam generale Capitulum quod ubi ultra sex menses in futurum duraret dictum generale Concilium, et imposita summa pro stipendiis praedictorum non sufficeret, licebit praenominatis dominis Cistercii, Claraevallis, Morimundi et Ursicampi abbatibus ulteriorem summam Ordini simili modo imponere, quae pro toto tempore durationis Concilii ad solutionem stipendiorum, et sub eadem taxatione praedictis sufficiat deputatis. Ceterum taxationes et impositiones quotarum singulis monasteriis Ordinis utriusque sexus tam dicti subsidii assignandarum et deputationes etiam collectorum eiusdem, committit dictum Capitulum praenominatis dominis Cistercii, Claraevallis, Morimundi et Ursicampi monasteriorum abbatibus, in Ordinis plenaria potestate.

27. Universis praesentes litteras inspecturis et audituris, frater Ioannes abbas Cistercii ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis salutem, et praesentibus fidem adhibere. Noveritis quod nos pro nobis et omnibus monasteriis et personis nostri Cisterciensis Ordinis ubicumque situatis, abbatibus, abbatissis, aliisque regimini locorum conventualium praesidentibus, et conventibus eorumdem, necnon pro magistro et fratribus de Calatrava de Montesa et Militia Iesu Christi, ac omnibus aliis magistris et fratribus ordinis militaris sub observantia praedicti Ordinis professis, ceterisque personis praedicti nostri Ordinis et eorum singulis, omni iure, modo et forma quibus

possumus iuxta constitutiones et consuetudines dicti Ordinis fecimus, constituimus, in romana Curia procuratorem generalem et nuntium specialem, sindicum, economum et actorem nostrum Ordinis praedicti personarumque membrorum et pertinentiarum eiusdem et cuilibet eorumdem, venerabilem et in Christo nobis carissimum nomine Nicolaum de Wavis abbatem monasterii Claraevallis, alias de Colomba nostri praefati Cisterciensis Ordinis, Placentinae dioecesis, exhibitorem praesentium... *etc. ut in forma delegationis anno* 1412, *n*° 61, *in fine additur* : Et haec omnia et singula supradicta omnibus quorum interest aut interesse poterit eorumdem tenore praesentium intimamus. In cuius rei testimonium praesens procuratorium sigilli nostri fecimus muniri appensione. Datum... *etc.*

28. Capitulum generale instituit studium Ordinis in Cracovia et gubernationi abbatis Clarae Tumbae committit.

29. Item, diffinitio anni Domini M CCCC XVI edita. Ne aliquis abbas religiosum alterius monasterii absque licentia sui superioris ad professionem audeat recipere. Generale Capitulum dudum editam ratificans et renovans diffinitionem qua universis abbatibus Ordinis salubriter inhibetur ne monachis aut conversis suis licentiam conferant ad aliena monasteria transeundi aut profitendi in eisdem, nisi prius ipsi transeuntes aut profiteri volentes de abbate qui eos recipere debeat certificati fuerint, et sufficientem abbatibus, a quibus recipi volunt, possint super hoc certitudinem exhibere ; omnes et singulas licentias tales transeundi aut profitendi quibuscumque monachis aut conversis datas, irritat, cassat et annullat, mandans et praecipiens omnibus et singulis monachis et conversis Ordinis tales licentias habentibus, quatinus infra unius mensis spatium aut profiteantur, si in Ordine benivolum receptorem invenerint, vel ad propria revertantur monasteria, ibidem Altissimo sua, ut tenentur, vota reddituri. Alioquin tamquam fugitivi puniantur et ubique denuntientur excommunicati. Abbates vero suis monachis vel conversis ultra spatium trium mensium ad quaerendum et procurandum sibi abbatem qui eos velit aut valeat recipere nullatenus dare praesumant absque licentia Capituli generalis. Quicumque vero abbas suis monachis vel conversis licentiam transeundi ad alium Ordinem sic concesserit, cum hoc in praeiudicium et contemptum proprii Ordinis sit, tamquam libertatum et privilegiorum temerarius impugnator irremissibiliter puniatur.

1417

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, die quarta decima mensis septembris, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1. Abbatibus de Bella valle et de Theoloco concedit Capitulum generale quod possint dispensare de sententiis excommunicationum, quas incurrerunt vel meruerunt abbates et abbatissae Ordinis cum suis conventibus vel personis conventuum eorumdem pro non solutione subsidii per generale Capitulum ultimo impositi, ita tamen quod non possint dare vel prolongare terminum cuicumque post instans festum Natalis Domini.

2. Committitur domino Morimundi reformatio per generale Capitulum omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus et cuiuscumque generationis fuerint, existentium in regnis Castellae, Arragoniae, Portugalliae et Navarrae, necnon in civitatibus Fuxi, Armeynacensis [b], Provinciae, et generaliter in tota lingua occitana, secundum formam advisandam per dominum Cistercii et alios patres secum in generali Concilio existentes, cum plenaria ipsius Ordinis potestate.

3. Ad supplicationem abbatis et conventus monasterii de Caritate conceditur per generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam incurrerunt fratres Iacobus de Novavilla et Ioannes de Fretigneyo, monachi dicti monasterii, per spatium quatuor mensium vel circa damnabiliter evagando, super quo poenitentiam egerunt condignam, de cetero possint ad omnes actus Ordinis legitimos promoveri, etiam si abbatialem includant honorem.

4. Ad idem conceditur pro fratre Berthrando monacho dicti monasterii, qui apostatavit per triennium vel quasi, habitu regulari dimisso, immiscendo se divinis, citra tamen abbatiatum.

5. Quia in generali Capitulo anno proximo praeterito celebrato ordinatum erat quod de singulis provinciis venirent ad Concilium generale, quod Constantiae celebratur, duo abbates expensis

---

1417. *Fontes* : L^3 : 1-7 ; *M* : 2 ; P^2 : 2.

[a] *Titulus apud* L^3 ; P^2 *habet in margina* : Martino V° papa.

[b] Armeniaci : *M* ; Armeynaci : P^2.

aliorum, de provinciis vero Cantuariensi et Eboracensi nullus abbas iuxta ordinationem praedictam ad dictum Concilium accessit ; quapropter dominus Cistercii nomine dictarum provinciarum fratrem Guillelmum Sulbini monachum de Wulburne, s. th. pr. auctoritate Capituli memorati retinuit. Ideo committitur abbatibus de Vardon, de Cumba, de Reyvalle et de Salleya coniunctim et divisim ad compellendum omnes et singulos abbates Ordinis de provinciis praedictis, ad satisfaciendum praefato fratri Guillelmo pro expensis quas facit et faciet in praefato Concilio generali, per censuram Ordinis, auctoritate Capituli generalis.

6. Domino abbati de Firmitate conceditur per Capitulum generale visceribus pietatis commotum, quatinus defalcentur sibi 40 librae de summa centum florenorum ratione subsidii Constantiae impositorum, sententiam excommunicationis, si quae foret, de non solvendo usque ad futurum Capitulum favorabiliter relaxans.

7. Commissionem dudum a generali Capitulo concessam abbati de Bello loco regis in Anglia reformandi omnia et singula nostri Ordinis monasteria utriusque sexus in Anglia, Wallia et quibusdam aliis provinciis regno Angliae vicinis, generale Capitulum propter certas causas et rationabiles suspendit omnino, ipsumque abbatem Belli loci ad proximum anni futuri Capitulum peremptorie citat, responsurum super excessibus et abusibus contra Ordinis libertatem colore commissionis huiusmodi perpetratis ; magistro insuper Guillelmo de Wolbrune, s. th. pr. dictorum abusuum inquisitionem magis particularem committit idem Capitulum, iniungendo ut ipsum anno sequenti per se vel per alium quam melius fieri poterit, sufficienter informet.

1418

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo decimo octavo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1418. *Fontes* : *L*³ : 1-26 ; *M* : 8, 15 *(1ª pars tant.)*, 24 ; *P*² : 1, 6, 8 *(partim)*, 15, 18, 24. [a] *Titulus apud L*³.

ORATIONES.

1. Pro sanctissimo in Christo patre ac domino domino Martino Divina Providentia Papa V... *etc. ut in anno* 1411.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401 .
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES].

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum generale pariter et approbat.

7. Item, cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n°* 7.

8. Licet ardua et rationabilia honorem Dei et reformationem totius Ordinis nostri, in utroque heu ! statu multipliciter collapsi, concernentia in praesenti Capitulo tractanda essent et discutienda, tamen propter paucitatem abbatum, in eodem Capitulo comparentium, usque ad sequens Capitulum talia oportet differri. Idcirco Capitulum generale considerans ingratitudinem plurimorum abbatum, gratiis et indulgentiis ipsis concessis abutentium, omnes et singulas gratias aliquibus abbatibus concessas, ut videlicet certis annis per unum vel duo ex ipsis ceteris remanentibus in Capitulo comparere possint, dictum Capitulum revocat, cassat et annullat, citans peremptorie et evocans virtute huius diffinitionis omnes et singulos abbates, ut futuro Capitulo, sub dupli expensarum in via fiendarum et depositionis poenis, personaliter se representent, vel per procuratores idoneos, ipsos et quemlibet ipsorum legitime et rationabiliter excusantes, compareant in eodem. Singulis ergo collectoribus contributionum per Capitulum praesens ordinatis, idem Capitulum in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena districtissime praecipit et mandat, quatinus omnes abbates in terris sive provinciis pro collectura sibi deputatis constitutos, per se vel per alium seu alios peremptorie, ut praefertur, citent, et praesens citatorium quoties poterunt ipsis insinuent et intiment cum effectu. Praeterea omnes abbates, qui in contemptum Ordinis et in dispendium propriae salutis, ad praesens Capitulum per se venire vel per procuratores idoneos se excusare non curarunt,

poenam dupli expensarum, iuxta papalia et Ordinis instituta, Capitulum generale decernit incurrisse, et iuxta eadem instituta omnes, qui isto anno et aliis statutis terminis contributiones Ordinis neglexerunt solvere, excommunicatos denuntiat et declarat, mandans et praecipiens dictis collectoribus ut de hoc diligenter inquirant, et ad solutionem dupli et contributionum praedictarum dictos abbates, per poenas et censuras Ordinis, coerceant et compellant, inobedientes et rebelles excommunicatos et per consequens irregulares, si se divinis sic ligati immiscuerunt, vel eadem celebrarunt in ecclesiis et capellis tam Ordinis quam saecularium, singulis diebus dominicis et festis declarent et denuntient et denuntiari faciant publice. Solventes vero quittent et a vinculo excommunicationis, si quod propter dilationem solutionis incurrerunt, absolvant, et super irregularitate quam contraxerunt, sic ligati se divinis ingerendo, non tamen in contemptum clavium, dispensent in plenaria Ordinis potestate. Sed et si dicti collectores negligentes fuerint, et circa commissionem praesentem se remissos exhibuerint, tamdiu a divinis ex decreto praesentis Capituli abstineant quoadusque mandatum praescriptum fideliter exsecuti fuerint, et relationem de omnibus praemissis faciant in futuro proximo Capitulo generali.

[DIFFINITIONES SPECIALES].

9. Quia abbas de Bello loco regis commissionibus sibi factis per Capitulum generale, prout a fide dignis fertur, abutitur et abusus est, ideo Capitulum generale omnem potestatem visitandi, corrigendi, reformandi, contributiones colligendi, et omnium aliorum, quae vigore dictarum commissionum facere posset et deberet, quousque se legitime et sufficienter coram dicto Capitulo excusaverit, suspendit et in suspenso teneri vult, citans ipsum ob inde ad futurum sequens Capitulum generale, super obiiciendis sibi ibidem personaliter responsurum.

10. Abbati monasterii de Walkenrede Capitulum generale committit et iniungit, sibi nihilominus in virtute salutaris obedientiae praecipiendo, quatinus omnes et singulos abbates per abbatem de Lanckheim de personali remanentia a Capitulo excusatos, ad solvendum expensas dicto abbati de Lanckheim in via Capituli in progressu et reditu per ipsum factas integraliter et in toto, per poenas et censuras Ordinis viriliter coerceat et compellat.

11. Abbatem de Walkenrede propter intolerabilia damna sibi et suo monasterio per potentes eiusdem patriae illata, Capitulum generale a missione studentis per sequens continuum triennium absolvit misericorditer et supportat.

12. Capitulum generale abbates Ordinis Misniae, Thuringiae ab abbate de Lanckheim de remanentia a Capitulo generali legitime excusatos propter imperfectionem domus et officinarum pro studentibus Ordinis in studio Lipzensi Ordini incorporato et confirmato, a missione studentium hoc anno dumtaxat habet favorabiliter excusatos.

13. Contributionem sex millium florenorum in proximo sequenti Capitulo solvendorum, iuxta quotas et summas quemlibet abbatem contingentes, sub penis contra non solventes a Sede Apostolica et ab Ordine latis, pro diversis negotiis Ordinis procurandis et promovendis, Capitulum generale imponit abbatibus Ordinis universi.

14. Receptores autem dictae contributionis et antiquarum, Capitulum generale ordinat et instituit venerabiles patres subnotatos videlicet, dominum Cistercii ubique, per se vel per alium seu alios ; in Cistercio bursarium loci ; in Lombardia et tota Italia procuratorem Ordinis generalem ; Parisius cellerarium Sancti Bernardi ; in Anglia, Wallia et Hybernia abbatem de Fontibus, per se vel per alium seu alios idoneum et idoneos ; in regno et dominiis regum Castellae, Portugalliae, Navarrae et Arragoniae, abbatem Populeti ; in tota Provincia et lingua occitana abbatem Grandissilvae ; abbatem de Mullenbrune in Swevia, Alsacia, Wesfalia, Bavaria, Franconia et in partibus Rheni superioribus usque ad Maguntinam civitatem ; abbatem de Valle Sancti Georgii in Misnia, Thuringia, Saxonia et partibus vicinis ; abbatem de Aula regia in Bohemia, Moravia, Lusatia et partibus vicinis ; abbatem de Clara tumba in Polonia, Prussia, Livonia et partibus vicinis.

15. Causas et negotia Ordinis in Anglia, Capitulum generale committit reverendis patribus et dominis Cistercii, Pontigniaci et Claraevallis monasteriorum abbatibus, ut disponant de hiis secundum serenitatem conscientiarum et dictamen rectae rationis, in plenaria Ordinis potestate. Eisdem committit idem Capitulum videre de statu et provisione procuratoris generalis in Curia romana.

16. Controversiam quae vertitur inter abbatem de Capella

et fratrem Henricum Raspinder, eiusdem monasterii professum, committit Capitulum generale de Lutzella et Salem monasteriorum abbatibus, ut vocatis ambabus partibus in dicto monasterio de Capella vel alio loco competenti, auditis querelis, rationibus et dependentibus hinc inde, utrique parti, iuxta Ordinis statuta et dictamen rationis, auctoritate Capituli, faciant iustitiae complementum.

17. Capitulum generale committit reverendo patri domino abbati Claraevallis, ut de factis fratrum Gerardi Platarii et Ioannis Laurentii, monasterii Bullencuriae, se informet, et si humilis ipsorum poenitentia et alia devotionis merita exegerint, et ipsis suffragata fuerint, sine irregularitate et inhabilitate, ut ad omnes actus legitimos admitti, et ad omnia officia et administrationes ac dignitatem etiam abbatialem promoveri possint, auctoritate Capituli generalis cum eis dispenset.

18. Commissionem factam per reverendum patrem dominum Cistercii pro reformatione certorum monasteriorum et collectura contributionum et aliorum debitorum Ordinis, Capitulum generale approbat, ratificat et confirmat.

19. Pro tribus monialibus de Robertimonte. — Cupientibus secundum iuris et Ordinis nostri dispositionem, inclusione perpetua se mundo subtrahere, sine omni quacumque proprietatis specie, regulam professionis suae sequi sororibus Mariae de Ponseur, Yda de Viseto et Helwida de Nivella, monialibus monasterii de Robertimonte, Leodiensis dioecesis, neque commoditatem invenientibus adimplendi desideria huiusmodi sua facta in dicto monasterio, ut asserunt, et testimoniis efficacibus est compertum, ad preces illustrissimae principissae dominae Ioannae comitissae Namurci, eo digniores exaudiri, quod ad salubrioris vitae frugem interpellant. Generale Capitulum quod liberum sit eis in monasterio Solismontis eiusdem dioecesis, ubi de licentia dicti Capituli residentiam pro nunc habeant hospitalem, professionum suarum vota infra terminum Paschae proximo venturi transferre, subque clausura perpetua et vivendi modo mere communi, nullius conscio proprietatis, secundum regulares nostri Ordinis observantias quoad vixerint, sinceritate pertinaci vitam agere ac reddere Altissimo vota sua, petita licentia a propria abbatissa licet non obtenta ; quo in casu ab omni vinculo professionis, quo vel abbatissae vel monasterio Robertimontis astrictae sunt, Capitulum eas absolvit expresse. Universis dicti

monasterii personis regularibus, sub divini attestatione iudicii et excommunicationis sententiae poena inhibendo, ne piam hanc salutis animarum directionem impediant vel in eius gravamen aliquid attentare praesumant.

20. Pro sorore Yda moniali de Solières. — Devotionis fervori sororis Ydae monialis de Solières, Leodiensis dioecesis, benigno favoris auxilio concurrens generale Capitulum gratiam atque licentiam impertitur eidem mutandi, infra Pascha proximo venturum, professionis suae locum, in quo nec sub decenti clausura, nec sine proprietatis implicatione vivitur, et se transferendi, suamque professionem ad monasterium de Marche in comitatu Namurci, si abbatissam et conventum ad hoc invenerit consentire, et abbatissae de Solières consensum etiam non obtentum expetiverit, ut in dicto loco de Marche cum ceteris Dei famulabus sub irrefragabili clausura mundum effugiat, ab omni quoque proprietatis inquinamento purgata, secundum regulam nostram in communi vivens quaerat, ac ipso praestante inveniat per observantiae regularis exercitia Iesum Christum, qui sponsus est et corona virginibus sacris ; quam licentiam et Capituli gratiam sub excommunicationis sententiae poena impediri prohibemus, praesertim per dicti monasterii de Solières abbatissam vel personas alias regulares, a subiectionis etiam seu obedientiae debito quo virtute professionis astringitur eisdem praefata soror Yda, ex nunc pro tunc eam liberat et absolvit Capitulum si professionaliter in monasterio de Marche recepta fuerit ante Pascha proximum, ut praefertur.

21. Licentia pro anniversariis concedendis. — Abbatissis et conventibus de Marche et de Solismonte in comitatu Namurcensi, Leodiensis dioecesis, specialem generale Capitulum tribuit licentiam faciendi singulis annis, ab hinc in antea, anniversarium pro illustrissimo principe domino celebris memoriae Guillelmo comite Namurcensi nuper defuncto, in die sui obitus cum vigiliis in praecedenti vespere secundum Ordinis nostri morem ; in quo quidem officio tam ipsius comitis quam inclitae superstitis adhuc consortis pridem suae Ioannae memoria, cum huic saeculo valefecerit, simul fiet, hiis equidem annualium obsequiorum suffragiis dicti monasterii viscerales affectus quod hii principes ad ipsa gerebant, eorum insuper in collatis eleemosinis amplissima recognoscent, cumque gratitudine beneficia, quorum pars est trecenti floreni Hollandiae monasterio de Marche, et

ducenti monasterio Solismontis ad dictorum anniversariorum fundationem exhibiti per eosdem.

22. Confirmatio obligationis ad missam quotidianam. — Debitae gratitudinis oblationem, in qua semetipsos et eorum perpetuo successores obligant abbas et conventus monasterii monachorum de Molinis in comitatu Namurcesi, Leodiensis dioecesis, ex nunc in antea quotidie missam unam defunctorum celebrare, pro principibus illustrissimis domino celebris memoriae Guillelmo dudum comite Namurcensi et eius inclita tunc consorte Ioanna, qui dictum monasterium annuis possessionibus multipliciter dotaverunt, oblationem inquam, secundum omnes et singulas conditiones et clausulas in litteris, quibus ex mandato Capituli diffinitio praesens annectitur, expressas, ipsum generale Capitulum attentis mature cunctis circa rem hanc attendendis, acceptat, in perennem quoque roboris firmitatem ratificat et confirmat.

23. Mandata quaedam et commissio pro abbate de Molinis. — Abbati de Molinis in comitatu Namurcensi, dioecesis Leodiensis, praecipit generale Capitulum indeficienter solvere monialibus de monasterio suo dudum translatis ad alia monialium Ordinis monasteria, pensiones annuas eis auctoritate Capituli cum transmigrarent constitutas, observatis tamen clausulis et restrictionibus quae per litteras super hoc eadem auctoritate solemniter editas declarantur. Abbatissis etiam et conventibus monasteriorum ad quae dispersio huiusmodi monialium facta est, iniungitur districtissime, quatinus eas prout missae sunt et assignatae, recipiant, receptis subveniant in vitae necessitatibus sicut suis ceteris in conventu, summopere semper intendentes ad vitam regularem et honestam eas inducere, ac ab evagandi per saeculum, turpiter vivendi insolentiis cohibere. Porro si dictae abbatissae vel conventuum suorum personae regulares quaecumque negligentes, contradicentesve fuerint in praemissis, aut aliqua monialium huiusmodi translatarum ad hoc invenerint consentire, et abbati extra loca sibi deputata dissolute vivendo, vel monasterium seu personas de Molinis verbis aut factis per se vel per alios molestando, deprehensa fuerit deliquisse, vult et ordinat Capitulum quod praefatus abbas de Molinis in utroque casu cum Ordinis omnimoda potestate provideat, ipsasque moniales translatas vagabundas, aut monasterii sui de Molinis ad redeundi finem turbatrices severissima prorsus animadversione compescat per

detentionem, si opus fuerit, corporalem aut alia quaevis opportuna remedia, invocato, cum indiguerit, in Ordinis et iustitiae subsidium, auxilio tam ecclesiasticorum iudicum quam brachii saecularis.

24. Quoniam abbas de Bello loco regis in Anglia commissionibus per Capitulum generale sibi commissis, prout a fide dignis ad dicti Capituli notitiam perlatum est, enormiter in Ordinis grave scandalum atque detrimentum abusus est, et abutitur, etiam apostolica se fulciens in hoc auctoritate, contra morem Ordinis et libertates a Summis Pontificibus indultas eidem. Idcirco generale Capitulum omnem potestatem visitandi, corrigendi, reformandi, instituendi, destituendi, contributiones colligendi, vel alia quaecumque faciendi virtute commissionum huiusmodi seu Ordinis auctoritate generali, vel a cuiusvis abbatum Ordinis in speciali, suspendit penitus, omnique vult executionis vigore carere, donec se de praemissis coram dicto Capitulo legitime et sufficienter excusaverit, citans ipsum ob inde ad immediate futurum generale Capitulum super obiiciendis sibi ibidem personaliter responsurum. Ei quoque prohibens sub depositionis ab abbatiali praesidentia ac excommunicationis latae sententiae poenis, ne contra praemissa quidquam attentare praesumat. Similiter et sub eadem excommunicationis poena, universas et singulas Ordinis nostri personas regulares cuiuscumque status vel gradus existant, caritative monens ne dicto abbati si, quod absit, in oppositum aliqua praesumeret, obedire quomodolibet, ne sic praesumptis audeant vel favere.

25. Abbatibus de Navalle [Waverleia] et de Fontibus in Anglia et magistri Guillelmo etiam monacho, s. th. pr., committit generale Capitulum et iniungit, quatinus ipsi vel dictorum abbatum alter cum eodem magistro Guillelmo diligenter inquirant et se ad plenum informent de excessibus, corruptelis et oppressionibus per abbatem de Bello loco regis tam in Anglia quam in partibus vicinis, ut dicitur, commissis, et quidquid super hiis invenerint, ad sequens generale Capitulum deferant vel deferat eorum alter sub publica nota. Denarios sane qui pro dicto negotio rationabiliter expositi fuerunt super communes Ordinis in Anglia contributiones, assignabit dictum Capitulum integraliter et libenter. Si vero malitia temporum dictis commissariis aditum praecluderet ad Capitulum, ea quae recipient et scripta super hoc usque Brugium in Flandria mittant, ibidem in domo de Dunis exhiberi procurent.

26. Non satis attendens illam beati patris nostri Bernardi sententiam, quod non otium, non turba, non opes, sed labor et latebrae, paupertasque spiritus, monachorum insignia sunt, hiisque vita nobilitatur eorum ; non, inquam, hoc satis attendens frater Rutgherus, monachus de Eysterbach super Rhenum, eiusdem loci quondam abbas, continuam in civitate Coloniensi residentiam ducens, frequentat turbas, otia sectatur, vivit tam pene saeculariter tam indecenter ex pecunia dicti monasterii, titulo cuiusdam pensionis sibi, cum resignaret, improvidae et excessivae, si Ordinis nostri statuta pensantur, assignatae. Quamobrem informatum super hiis Capitulum abbati de Hymmerode, dicti monasterii de Eysterbach immediato patri abbati, committit districtius praecipiendo mandat et iniungit quatinus, per substractionem dictae pensionis ad tempus vel ad semper, et alias Ordinis censuras et poenas, dictum fratrem Rutgherum compellat in monasterio de Eysterbach stabili residentia permanere, ubi liberius, quietius et decentius praeteriti temporis supplere neglectus et omissiones suberit ei, atque in solitudinis congregatione devota propriam perfectionem operari salutem inquirat. Insuper dictus abbas de Hymmerode, si frater ipse Rutgherus pro non soluta pensione sua fecerit per iudicem, qui de Ordine non est, cassum vel interdictum in monasterio suo poni, et si sic invenerit, citet eumdem ad proximum futurum Capitulum generale cum intimatione quod, sive comparuerit sive non, ad instantiam procurationis Capituli prout iuris et rationis fuerit, procedetur.

1419

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo decimo nono, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo in Christo Patre Domino Domino Martino divina Providentia Papa V nunc universalem Ecclesiam guber-

---

1419. *Fontes* : L^3 : 1-40 ; *M* : 7, 11 ; P^2 : 6, 7, 11 ; P^3 : 11 ; *W* : 11.
[a] *Titulus apud* L^3.

nante, et pro dominis nostris cardinalibus, pro dominis primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, abbatissis, et pro religiosis omnibus, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine in singulis monasteriis Ordinis universi.

2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

7. Reverendus in Christo pater dominus Cistercii licet ad instantiam plurimorum abbatum petentium ab eo, ut in via Capituli generalis uti possent carnibus a Sede Apostolica licentiam tradendi usum carnium obtinuerit, ipseque obtenta licentia a dicta Sede pluribus personis Ordinis tandem licentiam comedendi carnes concesserit, sed quia dictae personae Ordinis dicta licentia et gratia abusae sunt, dictas carnes in omnibus locis sine verecundia imo sine necessitate in scandalum plurimorum comedendo. Quare Capitulum generale omnes gratias et indulgentias per quemcumque de Ordine quibuscumque personis Ordinis concessas cum consensu dicti domini Cistercii cassat, revocat et annullat, mandans et praecipiens omnibus et singulis personis Ordinis litteras super talibus gratiis et licentiis habentes, quatinus sub excommunicationis latae sententiae poenis et privationis ab omnibus officiis et dignitatibus Ordinis, ut infra triduum a notificatione praesentium, tales litteras superioribus suis praesentent, per tales superiores penitus destruendas.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

8. Ad relationem domini Morimundi misericorditer dispensatur per generale Capitulum cum fratre Gerardo de Chavigniaco, monacho monasterii de Claroloco, qui per decem dies vel circa per saeculum apostatavit, habitu regulari dimisso, praesertim cum iniunctam sibi exinde poenitentiam devote peregerit, ad

omnes status, honores Ordinis legitimos, citra tamen abbatialem dignitatem promoveri valeat et assumi.

9. Devolutam in praesenti Capitulo contentionis querelam inter abbatem et conventum monasterii de Lanvaux in Britannia super eo quod dictus conventus, relicto suo praedicto abbate, et retracta sibi obedientia propter emendationis vitae dumtaxat et disciplinae regularis indicationem, non ob aliud, prout praefatus abbas relictus ostendere praesto est, et alterum quemdam eorum vitae dissolutae consonum et conformem sibi praefecerunt et elegerunt, de Precibus, de Buzeyo et de Villanova monasteriorum abbatibus vel eorum duobus committit dictum Capitulum coniunctim, quatinus audito causae merito ac iuribus et rationibus utrorumque, faciant iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

10. Ut coerceant et compellant per censuram Ordinis et alia iuris remedia abbatem et conventum monasterii de Roseriis, ad satisfaciendum abbati et conventui de Aceyo in viginti et uno rasario salis annui redditus in caldaria sua de Salinis assignatis, prout in quibusdam litteris sigillo Diffinitorum roboratis plenius continetur, de Clarofonte et de Caritate monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum.

11. Ut a statutis Ordinis omnis superfluitas, contrarietas et ineptitudo excludatur, dominis de Fonte Danielis, Ursicampo, magistris in theologia, de Reuna, de Lankheim [b] et de Populeto monasteriorum abbatibus ac magistro Bartholomeo Scutiferi, religioso Populeti ac s. th. pr., committit generale Capitulum ut vocatis secum si quos decreverint evocandos, *Libellos diffinitionum antiquarum* et *novellarum* videant et visitent, notantes et conscribentes omnia et singula quae pro salute animarum et honore Ordinis in dictis diffinitionibus Ordinis correctione, mutatione, diminutione vel resecatione indigent. Et quidquid super hoc conceperint, examinandum futuro Capitulo generali studeant praesentare.

12. Ad supplicationem abbatis de Eberbaco, Maguntinae dioecesis, conceditur per generale Capitulum, quatinus propter corporalis senectutis atque invaletudinis incommoda, necnon propter lamentabilem extinctionem quatuordecim fratrum pro-

---

[b] Leoikis : *L*[3].

fessorum dicti monasterii per pestilentiam, excusetur a via Capituli generalis per triennium, ita dumtaxat quod singulis annis mittat suas contributiones, et omnibus statutis atque statuendis in dicto Capitulo generali parere humiliter voluerit cum effectu.

13. Ad idem conceditur abbati Populeti.

14. Cum fratre Conrado de Bacharaco, professo monasterii de Monte Sancti Disibodi, Maguntinae dioecesis, misericorditer dispensatur per generale Capitulum, ut non obstante quod mentis levitate ductus in saeculum relicto habitu ad modicum temporis apostatando, tandem memor salutis animae suae poenitentiam ab omnibus talibus laudabiliter peregit, ad omnes status Ordinis legitimos etiam abbatiatum assumi valeat et promoveri.

15. Misericorditer dispensatur per generale Capitulum cum sorore Alheidi de Milwingen, professa monasterii Omnium Sanctorum in Wesphalia, ad supplicationem et requestam abbatis de Monte Sancti Disibodi, quae quadam mentis hebetudine ducta in saeculo per annum vel circa apostatando, et tandem memor facta salutis animae suae reversa ad proprium suum monasterium poenitentiam ab Ordine talibus infligendam patienter et humiliter peregit, ut non obstante praedicto ad omnes gradus Ordinis legitimos promoveatur, etiam si abbatialem includant honorem.

16. Ut coerceat et compellat per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis cuiuscumque conditionis vel status existant, quas repererint obligatas esse vel efficaciter teneri, per litteras vel alia legitima documenta, abbati et conventui de Precibus, abbati de Buzeyo committitur per generale Capitulum.

17. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum aliorumque locorum conventualium nostri Ordinis et personarum eorumdem locorum cuiuscumque sexus et generationis existant, in regnis, terris et dominiis serenissimorum principum, dominorum, regum Castellae, Arragoniae et Navarrae, in quibus aut eorum plurimis, prout ad Capituli generalis notitiam fide digno relatu pervenit, multa sunt indigentia debitae reformationis officio, committit idem Capitulum, absque patrum abbatum praeiudicio, abbati Populeti per continuum triennium a praesenti Capitulo numerandum,... *etc. ut in forma consueta.*

Vult etiam et committit idem Capitulum memorato abbati Populeti, ut si commode fieri possit, abbates et personas monas-

teriorum Ordinis praesertim in regnis, terris et dominiis praefati domini regis Arragoniae, in quibus solent uti scapularibus nigris, inducat quod nigrum dimittant et utantur albo, se conformando totaliter in habitu quoad formam et colorem maioribus monasteriis earumdem partium et maiori parti ceterorum, sicut decet et exigit uniformitas Ordinis antedicti. Concedit insuper Capitulum memoratum quoad praemissorum vel eorum alterius executionem, si sit opus, invocet et invocare possit praefatus reformator auxilium et favorem iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis. Quodque ubi personaliter accedere non poterit, alium vel alios idoneum vel idoneos abbatem vel abbates nostri Ordinis vel magistros in theologia substituat, qui quoad praedicta consimilem habeat potestatem. Denique si per cessionem, depositionem vel alias in dictis regnis et dominiis, dicto durante triennio, vacare contigerit aliqua nostri Ordinis monasteria quorum patres abbates distent ab eis ultra quinquaginta leucas et commissarios non habeant vacantibus monasteriis propinquiores, auctoritate praedicti Capituli provideat eisdem ipse de Populeto vel ab eo deputandi, per electionem canonicam aut alias, servatis prius Ordinis regularibus institutis. Et haec omnia fiant sumptibus... *etc.* Universis... *etc.*

18. Diffinitione anno praeterito factam super facto fratris Rutgeri, quondam abbatis de Eysterbach, Coloniensis dioecesis, super pensione sua et continua habitatione in civitate Coloniensi, per quam dictum negotium fuit commissum patri abbati suo abbati de Heymrode, confirmat, roborat et continuat Capitulum generale.

19. Fratres Nicolaum de Arkonbarroys et Michaelem de Pregney, monachos monasterii de Albaripa, Lingonensis dioecesis, citatos per dominum Claraevallis ad primam diem praesentis Capituli, et nec per se nec alios comparentes declarat Capitulum contumaces, et poenam excommunicationis cum ceteris poenis, quae contumacibus in simili casu debentur, damnabiliter incurrisse.

20. Abbatis et conventus monasterii de Fonte salutis petitionem Capitulum generale admittens qua requirunt, ut curiam sitam in villa Sothrini ipsorum monasterio minus utilem, pro bonis utilioribus permutare possint, vel ipsam curiam vendere, et pro pretio inde habito alia bona magis utilia et viciniora comparare, committit idem Capitulum de Ebraco et Caesarea

monasteriorum abbatibus, ut super hiis diligenter se informent, et de repertis et visis per eos in futuro Capitulo generali fidelem et efficacem faciant relationem.

21. Eidem abbati de Fonte salutis concedit Capitulum generale, ut infra sequens continuum triennium novitios ad professionem anno probationis non finito recipere valeat, dummodo ad hoc sint apti et idonei, scientes scienda, et ad minus quindecimum annum compleverint, et residuo anno probationis duxerint renuntiandum.

22. Eidem abbati de Fonte salutis concedit Capitulum generale, quod personas regulares sui monasterii a sententiis et casibus Capitulo generali reservatis absolvere hac vice dumtaxat valeat, auctoritate dicti Capituli generalis. Conceditur namque eidem ut ipse a sententiis et casibus reservatis Capitulo per confessorem quem elegerit absolvi valeat auctoritate qua supra.

23. Abbatis et conventus monasterii de Lapide Sancti Michaelis per generale Capitulum admittitur supplicatio qua requirunt quod grangiam dictam Crapeniade desolatam, quae propter distantiam et alia impedimenta per monasterium et eius personas coli non potest, cum ipsius Capituli licentia ad annuum censum et in emphiteosim perpetuam tradere valeant. Committit idem Capitulum de Walkenrede et de Novali Mariae monasteriorum abbatibus, ut de praedictis se diligenter informent, et quidquid pro utilitate et commodo dicti monasterii ipsis expedire videbitur, hoc futuro Capitulo generali referant cum effectu.

24. Abbati de Caesarea conceditur per Capitulum generale potestas absolvendi dumtaxat personas regulares sui monasterii in omnibus et singulis casibus consistentibus in generalis Capituli potestate. Conceditur etiam eidem ut ipse a sententiis et casibus Capitulo reservatis per confessorem quem elegerit absolvi valeat auctoritate qua supra.

25. Senio et invaletudini abbatis de Walderbach, qui 55 annos in Ordine complevit, Capitulum generale compatiens a via ipsius Capituli generalis de cetero ipsum habet favorabiliter excusatum.

26. Attentis guerrarum turbinibus in diversis mundi partibus, proh dolor ! ingruentibus, viarumque periculis et impedimentis aliis, quibus nonnulli abbates Ordinis ne ad praesens Capitulum venirent, impediti sunt, dictum Capitulum omnium abbatum absentiam habet hac vice favorabiliter excusatam,

ita ut quod in futuro generali Capitulo, per se vel idoneos procuratores studeant comparare, ad quod per collectores contributionum peremptorie citentur, non sperent de cetero suas excusationes admitti, nisi se excusent iuxta continentiam papalium statutorum. Mandat igitur dictum Capitulum dictis collectoribus contributionum, quatinus diffinitionem anno praeterito editam super citatione abbatum ad praesens Capitulum et receptionem dupli expensarum in via tali et aliorum in eadem diffinitione contentorum continuent et exsequantur, prout gratiam ipsius Capituli consequi volunt et favorem.

27. Contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno praec. n⁰* 13. Receptores autem... *etc. ut in anno praec. n⁰* 14, *mutatis vel additis quae sequuntur* : abbatem Populeti cum potestate substituendi in Provincia et tota lingua occitana abbatem Grandissilvae... In Bohemia, Moravia, Lusatia et partibus vicinis abbatem de Hilaria... In Hungaria abbatem Sancti Gotardi et de Runa. In Frisia, Westphalia, Hassia et partibus vicinis abbatem de Herdehusen. In partibus Pomeraniae, Prussiae, Saxoniae, Stagnalibus et circumvicinis, abbatem de Doberan. In regnis Daniae, Sueciae, Norvegiae, abbatem de Esrom cum potestate substituendi. In dioecesi Saltzburgensi, Pataviensi et Aquilegiensi, abbatem de Runa. In Coloniensi et Trevirensi provinciis ac Leodiensi et partibus Rheni inferioribus et superioribus infra Maguntiam, abbatem de Eberbach cum potestate substituendi. Mandat igitur Capitulum generale dictis collectoribus contributionum, quatinus diffinitionem anno praeterito editam super citatione abbatum ad praesens Capitulum, et receptione et exigentia dupli expensarum in via Capituli et aliorum in eadem diffinitione contentorum, continuent et exsequantur fideliter prout gratiam ipsius Capituli consequi gestiunt et favorem.

28. Committit Capitulum generale abbati de Sancto Gothardo, quatinus auctoritate dicti Capituli decernat unam moderatam provisionem fratri Laurentio, professo monasterii de Runa, per monasterium de Cips [c] sibi annuatim ad tempora vitae suae solvendam, qui eamdem abbatiam de Cips de qua per Capitulum generale sibi fuit rite et legitime provisum, libere et sponte ut commodius et quietius Deo famularetur dimisit, et

---

[c] Cibz (?) : *L*³.

ad dictam annuam pensionem dicto fratri Laurentio porrigendam, ut praefertur, dictus abbas Sancti Gothardi compellat per censuras Ordinis dictos abbatem et conventum monasterii de Cips, praedicti auctoritate Capituli generalis.

29. Attentis oppressionibus et gravaminibus quibus monasterium de Caesarea iam longo tempore oppressum est et quotidie opprimitur, Capitulum generale abbatem ipsius monasterii a solutione contributionis anno praeterito impositae et in praesenti Capitulo solvendae, absolvit benigniter et supportat.

30. Sicut alias studium Lipzence per Sedem Apostolicam confirmatum, ad instantiam illustrissimorum principum et dominorum Friderici et Willelmi germanorum, lantgraviorum Thuringiae et marchionum Misnensium, Capitulum generale approbavit et Ordini incorporavit ; et postea studium Cracoviense etiam per Sedem Apostolicam ad requestam serenissimi principis et domini domini regis Poloniae, reverendus pater dominus Cistercii auctoritate Capituli generalis similiter approbavit, ipsum Ordini incorporando. Et ex quo dicta duo studia sibi ipsis sunt satis propinqua et contigua, ideo vertitur in dubium apud multos ad quod illorum studiorum abbates certarum provinciarum, dioecesium et terrarum ambobus studiis in vicinia consistentium mittere debeant, propter quod quaedam simultates et controversiae inter quosdam abbates ortae sunt, et quidam de ipsis ex hoc occasionem sumunt ut a missione studentium abstineant et desistant. Idcirco ad tollendam dictam occasionem et sedandum dictas controversias, Capitulum generale de Lanckheim et de Veteri cella monasteriorum abbatibus committit et iniungit ut bona deliberatione et clara informatione praehabitis, omni immoderato amore vel timore et quavis alia sinistra affectione remotis, solum Deum et quorumlibet monasteriorum Ordinis commodum et honorem prae oculis habentes, auctoritate Capituli decernant, declarent et diffiniant, qui abbates ad illud et qui ad aliud studiorum praedictorum scolares suos mittant et mittere debeant, sic quod tales missiones neutro dictorum studiorum nec aliis studiis ab Ordine approbatis derogent vel praeiudicent quovis modo, habeantque dicti commissarii potestatem deputandi certos compulsores qui utroque studio ad compellendum abbates ad mittendum scolares ad dicta duo studia, iuxta declarationem dictorum commissariorum, non obstantibus quibuscumque litteris compulsariis

vel approbationis sive per dominum Cisterciensem sive per Capitulum generale ratione dictorum duorum studiorum datis, praesertim cum ipsi quoad dicta studia non fuerint debite avisati imo nec fideliter informati.

31. Cum in favorem monasterii Populeti, et ut exercitium theologiae magis ibidem vigeret, generale Capitulum alias assignaverit contributionem praefati monasterii annis singulis solvendam magistro in theologia, si ibi aliquis fuerit non abbas aut actu legens theologiam in praefato monasterio, Capitulum generale vult et ordinat, ut dicta contributio magistro vel theologo studii, dato quod non legat, annis singulis ad dies vitae suae, sub poenis latis contra non solventes, ita tamen quod non sit alius magister in theologia ibidem actu legens theologiam, indifficulter persolvatur.

32. Abbati de Campo concedit generale Capitulum, ut omnes personas regulares utriusque sexus sibi subiectas absolvere possit in foro conscientiae, una vice dumtaxat, in casibus Capitulo reservatis. Et ipse sibi confessorem de Ordine eligere possit, qui similiter in omnibus casibus Capitulo reservatis eumdem absolvat auctoritate dicti Capituli generalis.

33. Capitulum generale ad instantiam abbatis de Esrom cum fratre Henrico Nigvari, monacho eiusdem monasterii, dispensat, ut non obstante defectu natalium ad omnes Ordinis dignitates, citra tamen abbatiatum, valeat promoveri.

34. Ad instantiam abbatis de Paradiso dispensat generale Capitulum cum fratre Christophoro monacho et sacerdote dicti loci, ut non obstante quod per quinque annos vel circa apostaverit, et super hoc poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregerit, ad omnes actus et gradus Ordinis, citra tamen abbatiatum, si sua suffragentur merita, possit promoveri.

35. Abbatem de Campo a missione studentis Parisius, dummodo studentem monachum ad aliquod Ordinis studium generale potissime Coloniense teneat, usque ad voluntatem Capituli generalis, dictum Capitulum habet benigniter supportatum.

36. Abbatem de Heymelrode propter invaliditatem proprii corporis Capitulum generale a via ipsius Capituli, mittendo tamen contributiones, usque ad sequens continuum triennium habet favorabiliter supportandum.

37. Senio et valetudini abbatis de Comervallio [Wernerivillerio], Metensis dioecesis, compatiens generale Capitulum dic-

tum abbatem, dummodo mittat contributiones suas, usque ad quinquennium ipsum Capitulum habet benigniter supportatum.

38. Ad instantiam abbatis de Porta cœli, visitatoris monasterii de Münczingen, cum sorore Agnete, sanctimoniali dicti monasterii de Munczingen, non obstante quod diabolo suggerente puerum peperit, dummodo sit de beneplacito et voluntate abbatissae et sanioris partis conventus, dispensat Capitulum generale misericorditer ut ad omnes gradus Ordinis, citra tamen abbatiatum, valeat promoveri.

39. Conceditur abbati et conventui monasterii de Porta coeli per Capitulum generale, ut si eis videatur expedire recipere fratrem Georgium Schiri, non obstante quod transierit de Ordine Cisterciensi ad Ordinem nigrorum monachorum, in monachum sui monasterii in plenaria Ordinis potestate.

40. Domino Morimundi committitur per generale Capitulum ut diligenter inquirat super controversia, quam habent inter se abbates de Bellavalle et de Lucella occasione cuiusdam contractus, et partibus auditis faciat auctoritate Capituli generalis iustitiae complementum.

1420

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones

1420. *Fontes* : L^3 : 1-33 ; P^2 : 1, 6 *(abbrev.)*, 26. [a] *Titulus apud* L^3.
[b] Sub Martino V : P^2.

omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum generale pariter et approbat.

7. Item, cum Ordo noster... *etc. ut in anno 1411, nº 7.*

[DIFFINITIONES SPECIALES]

8. Impedimenta notoria accedendi ad Capitulum praesens abbatum omnium Ordinis nostri Cameracensis, Tornacensis et Morinensis dioecesium exposita reverenter dicto Capitulo per dominum Claraevallis, legitima reputans et decernens idem Capitulum, ipsorum omnium et singulorum absentias ab eodem habet et haberi declarat favorabiliter excusatos.

9. Ad idem fiat pro abbatibus de Ebraco, Schonaugia, Otterburg, de Monte Sancti Disibodi, de Loco Sanctae Mariae et de Heysterbach.

10. De Theoloco, de Clarofonte et de Vallibus in Ornesio monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia, omnes personas Ordinis sexus utriusque, quas repererint monasterio de Crista vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas fore per litteras aut alia documenta legitime, coerceant ad satisfactionem plenariam viriliter et compellant.

11. Ad idem committitur pro Cistercio, et sint iudices de Firmitate, de Crista et de Caroliloco.

12. Ad idem pro Claravalle, et sint iudices de Caroliloco, de Crista et de Theoloco.

13. Ad idem pro Aceyo, et constituitur iudex abbas Cariloci.

14. Ad idem pro Charitate, et sit iudex idem abbas.

15. Ad idem pro Caroliloco, et constituatur iudex de Valle Nostrae Dominae.

16. Ad idem pro monasterio Dulcis vallis, et sint iudices dominus Cistercii, de Caroloco et de Clarofonte monasteriorum abbates.

17. Capitulum generale committit domino Claraevallis, ut de facto sororis Agnetis dictae Katae de Valentinis, monialis monasterii monialium de Pratis prope Duacum, se informet, et si humilis ipsius poenitentia et alia devotionis merita exegerint, super casibus per dictam monialem perpetratis et Capitulo expositis, secundum suam conscientiam dispenset, et eidem

moniali gradus Ordinis restituat actoritate Capituli, si eidem videatur expedire.

19. Abbati de Runa committitur per generale Capitulum ut ad monasterium in Landstrast,Aquileensis dioecesis, si tamen pateat accessus, vel ad aliud monasterium nostri Ordinis eidem magis propinquum, si tutius possit accedere, et ibidem inquirat de vita et moribus fratris Blasii, abbatis dicti monasterii, ac regimine ipsius, et secundum quod repererit, corrigat, instituat et destituat quaecumque secundum Deum et bonam conscientiam fuerint corrigenda, instituenda et destituenda in plenaria Ordinis potestate, in eodem fratre vel etiam personis regularibus eiusdem loci. Item, eidem committitur per generale Capitulum, ut cum fratribus Laurentio, sacerdote et monacho in dicto monasterio Landstrast professo, Sifrido sacerdote et monacho in Sancta Cruce professo, et Martino sacerdote et monacho in Sittich professo, semel dispensare valeat dumtaxat, et gradum et habitum ipsis restituere, et ad omnes actus Ordinis legitimos habilitare valeat auctoritate Capituli generalis, et super irregularitate contracta immiscendo se divinis in saeculo, si quam contraxerint, dispensare valeat auctoritate Capituli memorata, et quod si digna eis merita suffragentur, ad officia et dignitates possint in Ordine, praemissis non obstantibus, promoveri.

20. Capitulum generale annuit et concedit abbati de Caesarea ut unum de monachis suis in confessorem eligat, qui ipsum in casibus Capitulo reservatis dicti Capituli auctoritate absolvat, ipseque dicti sui monasterii personis regularibus et aliis sibi subiectis in dictis casibus et dicta auctoritate beneficium absolutionis simili modo impendere valeat, pro uno semel dumtaxat.

21. Spoliatum furtive bonis quibusdam mobilibus valoris viginti florenorum vel circa nominatum Theobaldum de Bergeriis, dudum abbatem Albaeripae, per latentes et nefarias effractiones camerae, quam in dicti loci dormitorio post abbatialis praesidentiae renuntiationem tenebat, generale Capitulum praecipit usque ad integram restitutionem vel condignam satisfactionem contentari, infra octo dies ab insinuatione praesentis mandati in dicto monasterio facienda generaliter, et etiam certis personis super hac re suspectis specialiter. Alioquin omnes et singulas dicti monasterii regulares personas, cuiuscumque status existant vel gradus, quae maleficium huiusmodi facto, consilio, censensu conniventi vel permissione perpetrarunt aut perpe-

trari annuerunt, declarat idem Capitulum et denuntiat excommunicationis incurrisse sententias illas, quae dominicis Palmarum annuatim pro furtis et aliis criminibus, secundum Ordinis approbatam consuetudinem, promulgantur solemniter, a quibus non absolvantur a quocumque, nisi satisfactione praemissa vel in casibus exceptis a iure.

22. Abbati de Eberbaco per generale Capitulum committitur, ut quam cito poterit ad monasterium de Castro aquilae personaliter accedens inquirat ibidem, si quaedam de bonis sui monasterii minus utilibus abbas loci possit in utiliora commutare; cuius rei veritate comperta, referat anno futuro in Capitulo generali. Insuper committitur eidem, si in dicto monasterio de Castro aquilae repererit novitios habiles, quod infra annum professionis abbati loci licentiam concedat quod eos possit assumere ad Ordinis professionem, auctoritate Capituli memorati per triennium proxime successurum. Similiter fiat cum abbatibus in Otterburg et in Monte Sancti Disibodi.

23. Per Capitulum generale conceditur abbatibus de Eberbaco et de Otterburg, ut rigorem poenae fratri Conraldo, quondam abbati monasterii Montis Sancti Disibodi, inflictae propter certos suos excessus mitigare valeant, et cum eodem misericorditer dispensare secundum quod videbitur eisdem expedire, in plenaria Ordinis potestate.

24. Capitulum generale annuens petitioni abbatis de Schonaugia, ut possessiones et bona minus utilia videlicet ad summam quatuor millium florenorum, de sui conventus consilio et assensu, in magis utilia commutare possit, servata in omnibus forma Benedictinae. Et dantur sibi pro inspectoribus de Mulenbrunnen et de Bebenhausen monasteriorum abbates, qui in futuro Capitulo fidelem faciant relationem.

25. Committitur abbati de Mulenbrunnen per generale Capitulum, quatinus si repererit fratrem Ioannem de Hentzschsheim, conversum monasterii de Schonaugia, fore correctum et emendatum super quadam apostasia quam incurrit per spatium duorum annorum vel circa, habitu regulari dimisso, ad gradus, actus et honores Ordinis legitimos restituat auctoritate Capituli generalis.

26. Ad humilem [c] nobilis et potentis viri domicelli Ioannis

---

[c] petitionem comitis de Ligno nige conceditur abbatissae de Prure... : *P*[2].

de Richetont, comitis de Ligueinge, supplicationem, conceditur gratiose per Capitulum generale, ut domina Elisabeth soror dicti comitis et abbatissa monasterii monialium de Bure possit et valeat eligere confessorem in Ordine nostro idoneum, qui eam absolvat de omnibus casibus Capitulo reservatis, auctoritate dicti Capituli generalis, praesenti diffinitione per triennium duratura.

27. Committitur per generale Capitulum abbati de Alba, Spirensis dioecesis, auctoritas dispensandi cum fratre Friderico Spriezman de Hornn, monacho et sacerdote dicti monasterii, videlicet quod, non obstante apostasia quam incurrit per saeculum damnabiliter evagando, ac etiam irregularitate per ipsum contracta immiscendo se divinis, restituatur eidem habitus regularis.

28. Supplicationem abbatis et conventus monasterii in Sturzelbrun annuens, Capitulum generale dispensat cum fratre Petro monacho ac sacerdote dicti monasterii, qui dum nacta quadam occasione, dispensatione a quodam primario impetrata ab Ordinem Fratrum Minorum se contulit sub forma capellani, sed tandem ad cor ductus et stimulante se conscientia ad Ordinem reversus, poenitentiam Ordinis patienter peregit, ut non obstantibus praedictis ad omnes actus et dignitates Ordinis, auctoritate Capituli generalis valeat promoveri citra tamen abbatiatum.

29. Attentis guerrarum turbinibus... *etc. ut in anno* 1419, *n*° 26.

30. Domino Cistercii reverenter committit Capitulum generale misericorditer dispensari cum fratre Ysambardo de Roboreto, presbytero et monacho monasterii de Caroliloco, ut non obstante apostasia quam incurrit per spatium octo mensium vel circa, non tantum habitum regularem dimittendo, sed se immiscendo divinis, super quo poenitentiam sibi ab Ordine iniunctam humiliter et devote peregit, valeat per dictum dominum, auctoritate Capituli ad omnes actus, gradus et dignitates Ordinis, etiamsi abbatialem includant honorem promoveri.

31. Per generale Capitulum committitur abbati de Nova cella ut informet se, an de Lubens, de Heinrichavio, de Camentz, de Grissovia, de Rauda, et de Gemellitz, Wratislaviensis dioecesis, monasteriorum abbates sint potentes ad visitandum generale Capitulum et tenendum scolares. Et si reperiat eos impotentes ad

praemissa, excuset eos a via Capituli per biennium de praedictis.

32. Dispensatur per generale Capitulum cum fratre Nicolao Hitzberg, monacho expresse professo monasterii in Heinrichaw, qui apostatavit ab Ordine quasi per dimidium annum, habitu regulari reiecto, super quo poenitentiam sibi iniunctam ab Ordine humiliter peregit, ut, non obstante dicta apostasia, possit ad omnes gradus et honores Ordinis promoveri, citra tamen abbatiatum.

33. Abbatem Vallis benedictae citat generale Capitulum coram domino Cistercii, praecipiens eidem sub poena depositionis, quatinus infra duos menses a die qua sibi praesens diffinitio notificata fuerit numerandos, praesens coram dicto domino compareat, et fidelem de omnibus pecuniis per eum receptis ab Ordine rationem eidem domino reddat, et plenarie satisfaciat et integre.

1421

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimo primo, statuta sunt haec in Capitulo generali Cisterciensis Ordinis, apud Divionem propter guerrarum turbines.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

7. Item, cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.

1421. *Fontes* : L^3 : 1-28 ; P^2 : 1, 6, 8 *(abbrev.)*, 10, 20-25 ; *M* : 8 *(abbrev.)* 10, 20-25 ; *W* : 22-25. [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V : P^2.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

8. Editam anno Domini 1418 et immediate sequentibus duobus annis continuatam diffinitionem, cuius tenor in forma sequitur : Licet ardua... *etc. ut in anno* 1418, *n° 8. cui additur* : Praesens generale Capitulum innovat, ratificat et confirmat, et per receptores contributionum deputatos exsecutioni demandari praecipit atque mandat iuxta sui tenorem in omnibus, prout gratiam ipsius Capituli consequi voluerint et favorem.

9. Reformationem omnium et singulorum Ordinis monasteriorum et regularium personarum in regno et dominiis Poloniae existentium cuiuscumque sexus, et contributionum per eadem monasteria debitarum, tam antiquarum quam novarum, cum potestate compellendi debitores eorumdem, per omnes Ordinis censuras et alias quascumque iuris et iustitiae vias, ad solvendum per immediate sequens decennium, abbati de Clara tumba committit generale Capitulum in ipsius et Ordinis plenaria potestate, qui receptas et recipiendas inde pecunias semper tertio anno in ipso generali Capitulo vel in monasterio Cistercii fideliter consignari procuret. Committit etiam et mandat idem Capitulum praefato de Clara tumba, quatinus anno quolibet omnes et singulos praetactorum monasteriorum abbates convocet ad locum quem expedientem iudicaverit, ad tractandum cum eis de reformandis in praedictis partibus. Omnes etiam abbates, qui ad studium Cracoviense scolares mittere tenentur, auctoritate memorati Capituli, compellat ad mittendum cum debitis provisionibus, non obstantibus quibuscumque gratiis eisdem abbatibus vel eorum aliquibus per ipsum Capitulum, dominum Cistercii vel alium quemcumque concessis, vel ad tempus a missione scolarium excusentur. Quas omnes et singulas huiusmodi gratias, sub quacumque forma concessae sint, praesens Capitulum revocat penitus et annullat.

10. Domino Cistercii reverenter ac domino Claraevallis ac Caroliloci, s. th. doct. iniungendo committit generale Capitulum, quatinus quaecumque pro reformatione, salubri regimine et reparatione possibili collegii Sancti Bernardi Parisiensis viderint expedire, decernant, ordinent et statuant, observarique faciant auctoritate plenaria totius Ordinis et Capituli memorati.

11. Iudices pro Cistercio, de Firmitate, de Claravalle et de Valle Beatae Mariae monasteriorum abbates.

12. Pro Claravalle, de Morimundo, de Crista, de Valle Beatae Mariae et de Regalimonte monasteriorum abbates.

13. Pro Caroliloco, de Valle Beatae Mariae et de Regalimonte monasteriorum abbates.

14. Pro Morimundo, de Crista et de Theoloco monasteriorum abbates.

15. Pro Crista, dominus Claraevallis, Caroliloci et de Albaripa monasteriorum abbates.

16. Pro Belloprato Tullensi, de Villerio Metensi et de Alta-silva monasteriorum abbates.

17. Pro Bella valle, de Monte Sanctae Mariae et de Balerna monasteriorum abbates.

18. Pro Balerna, de Bullione et de Bella valle monasteriorum abbates.

19. Statuit, ordinat et diffinit generale Capitulum quod pro defendendis libertatibus Ordinis, et aliis in generali Concilio universalis Ecclesiae Papiae vel alibi proxime celebrando, mittantur Ordinis totius nomine abbates aut personae notabiles, in quorum expensas contribuant abbates alii et abbatissae singulaque monasteria et loca conventualia dicti Ordinis per modum infrascriptum, primo de regno Franciae, pro Lugdunensi, Bisuntinensi, Rhemensi et Senonensi provinciis, archiepiscopatu Tullensi eliguntur et nominantur pro dicto viagio dominus Pontigniaci et Ursicampi monasteriorum abbates, s. th. doct. cum stipendiis alias pro Constantiensi concilio taxatis per idem Capitulum, pro quibus congruens subsidium imponant et ipsius Ordinis tam virorum quam mulierum monasteria et loca conventualia praedictarum provinciarum et episcopatus praenominati taxent, et receptores deputent, auctoritate praefati Capituli, dominus Cisterciensis et quatuor primi vel eorum tres aut duo, ceteris legitime impeditis.

20. De Savigniaco et de Fonte Danielis monasteriorum abbatibus generale Capitulum committit, praecipit et iniungit, quatinus infra proximam Nativitatis Dominicae solemnitatem omnes alios abbates eiusdem Ordinis, Rothomagensis, Bituricensis et Turonensis provinciarum convocent ad locum per eos eligendum, ut simul congregati duos eorum idoneos et sufficientes eligant, qui sumptibus omnium aliorum abbatum et abbatissarum monasteriorum et locorum conventualium antedictorum Ordinis et provinciarum, cum destinentur per alias provincias,

vice et nomine totius Ordinis antedicti generali Concilio Papiae vel alibi proxime celebrando. Pro dictis vero sumptibus secundum puritatem conscientiae subsidium imponant earumdem provinciarum monasteriis tam virorum quam mulierum, et electis pro dicto viagio fideliter distribuant abbates duo praenominati, abbatesque locisve conventualibus praesidentes cuiuscumque sexus, per censuras Ordinis ad solutionem taxarum eis impositarum de dicto subsidio, etiam per alias quascumque iustitiae vias viriliter et debite coerceant et compellant.

21. Ad idem abbatibus Grandissilvae et de Berdonis committitur in Viennensi, Tolosana, Auxitana, Arelatensi, Aquensi, Narbonensi, et Burdegalensi provinciis, ut eligant tres qui subsidium imponant.

22. Ad idem de Ebraco et de Mulebrune super convocatione et electione duorum abbatum de provincia Maguntinensi et subsidii impositione.

23. Ad idem de Runa et de Sancta Cruce pro provinciis Saltzburgensi et Strigoniensi pro duobus eligendis, etc.

24. Ad idem abbati Clarae tumbae pro regno Poloniae, Sleziae et Prussiae, et electione duorum.

25. Ad idem de Campo et de Villari in Brabantia pro provinciis Coloniensi et Trevirensi, et electione duorum.

26. Omnibus et singulis abbatissis et monialibus Ordinis nostri prohibet et inhibet generale Capitulum ne principes, dominos, potentes vel saeculares quascumque personas adeant, requirant, vel talium favore se iuvent, aut in promotionibus et correctionibus eorum auxilio libertatem Ordinis quomodolibet impediri procurent. Abbatissae secus facientes ab abbatiali statu deponantur ipso facto, et moniales pro tali culpa puniantur, et sint inhabiles ad obtinendas administrationes, officia vel promotiones in Ordine qualescumque.

27. Abbati de Capella Thosan generale Capitulum praecipit, mandat et iniungit, quatinus infra proximum Dominicae Resurrectionis solemnitatem, religiosum suum fratrem Iacobum Dubuzere, qui causa studii manet in Lovanio, destinet ad studium Parisiense.

28. Generale Capitulum inenarrabili gemitu sollicitam mentis attollens indaginem ad collegium Sancti Bernardi Parisiensis, quod ante non multos hos dies fuerat Ordini sapientiae fons irrigans, rutilus sol tetra diluens ignorantiae, publici boni Ordi-

nis columen egregium, radix sancta, vitis vera, litteratorum ramos sanctos electosque palmites velut plantationum novellas expandens et diffundens Ordini quaque versum, nunc autem miserabili collapsione prostratum adeo ut firmitas aedificiorum fundamentalia petat iura, proventuum aboleantur memoriae, sanctuarium stillicidia cavent, penetrent imbres, diruant venti, cultus sacer cesset in sanctuario, in scola scolastici actus, in studiis studendi fructus et usus, quasi deserta personis est, et absque, parum abest, habitatore, domus illa celebris, in qua pridem Ordinis monasteria variarumque undique nationum et regni praesertim Franciae scolarium multitudinem copiosam educare solita erant, donec dissidiosa belligerentium immanitas ad consumptionem ea vel eorum diriperet et vastaret. Exitialem hanc et perniciosam Ordini nostro plagam indefessis conatibus et irrequieto spiritu inardescit idem Capitulum salubribus restaurare curationum antidotis, pristinam quoque membrorum dicti studii redintegrare compagem et harmoniam in personis, gradibus aedibusque, prout Deus scientiarum Dominus dignabitur aspirare. Cuius magnifici operis sarcinam et effectualem exsequendi vigilantiam humeris virtute praestantibus dominorum Cistercii, Pontigniaci et Claraevallis imponit et superinducit, nec improvide quidem, cum ipsos in apicem perfectionis genuerit dictum collegium, vasaque fecerit esse sublimia honoris usque ad primogenitas Ordinis dignitates. Tribus ipsis pariter, et eorum unicuique specialiter ac in solidum domino Cistercii reverenter et omnibus confidenter plenariam Ordinis potestatem proferens et committens adnotandi de prope deque procul et rursus aggregandi numerositatem scolarium in dicto collegio, bursas, sumptus, vivendi quoque formam et regimen eis instituendi, prout attentis rerum causis in studio pretiis, et monasteriorum in Francia penuriis, scolasticae pariter et monasticae frugalitati conveniet, requirendi, admonendi, et compellendi vigore censurarum Ordinis, papalium et generalis Capituli, modis insuper et mediis quibuslibet aliis licentibus et accommodis, abbates, conventus et officiarios monasteriorum, quibus ex eisdem statutis incumbit scolares Parisius mittere et tenere, qui in scolarium ibidem multiplicatione supremas exerant vires possibilitatum suarum, imo, si fari licet, ultra vires enitantur, panem quotidiani victus sui dimidient, ad hoc si sors ita presserit utilia quaeque privata communi hinc et honesto

digniorique bono subesse faciant et prodesse monasteria scolaris omnis impotentia per se gerere praecipiant et ordinent contribuere, cum monasteriis scolares habere dispositis, secundum tamen portionem eorum exiguitati portabilem, ut sic neque pauper neque dives ab huius sanctificii contubernio se abscondat. Aedificiis collegii ruinosis solerter invigilent, eique rectores praeficiant, qui bursas, redditus, eleemosinas et legata fideli sagacitate procurent, recipiant et in communem victus et reparationum utilitatem dispensent, omniumque praemissorum et ex eis dependentium votivae consummationi propriis observent industriis, plenitudinem adhibeant auctoritatis Capituli, applicent assistentiam almae matris Universitatis Parisiensis collegium hoc ascribentis in membrum sui corporis reverendi. Denique brachii tam ecclesiastici quam saecularis, tam Sedis Apostolicae quam illustrissimi Francorum regis et aliarum quarumvis sublimium potestatum, favores invocent et praesidia, cum poposcerit casus, in iuris subsidium et tutamen, quatinus collegium illud Sancti Bernardi nomine praesignatum tamquam uber nardus in hortulo nostri Ordinis vernantia nuperi decoris refloreat, fructificet, coelestisque balsami redolentiam omniquaque diffundat.

1422

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1401.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

1422. *Fontes* : L^3 : 1-52 ; *M* : 22 *(partim)*-25, 28-32 ; P^2 : 1, 6, 12, 22-25, 28-33 ; R^1 : 23-27, 30-33 ; *W* : 22 *(abbrev.)* [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V : P^2.

[DIFFINITIONES]

6. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

7. Abbati de Fonteneto iniungit et ordinat generale Capitulum sub poena depositionis, quatinus unum de suis religiosis quem ipse decreverit, mittat ad studium Parisiense tali hora quod sit ibi infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum, ibidem remansurum spatio quatuor annorum.

8. Abbatibus de Rigniaco et de Longovado sub eadem poena depositionis praecipit et iniungit dictum Capitulum, quatinus eidem de Fonteneto, pro dicto religioso in ipso studio manutenendo, subveniant quilibet ipsorum de decem libris turonensibus anno quolibet, quamdiu in studio remanserit ipse religiosus, aut alter loco sui dicto durante termino quatuor annorum.

9. Capitulum generale misericorditer compatiens monasterio et abbati de Altasilva, eo quod fuit expulsus ab ipso monasterio ipse abbas a suis religiosis, domino de Morimundi et abbati de Theoloco, patri abbati dicti monasterii, committit reformationem, invocato ad hoc, si opus sit, auxilio et consilio reverendissimi in Christo patris domini episcopi Metensis et brachii saecularis.

10. Capitulum generale praecipit et iniungit abbati de Bellavalle sub poena depositionis, quatinus infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum habeat in studio Sancti Bernardi Parisiensi unum scolarem. — Ad idem abbati de Altaripa. — Ad idem abbati de Caroloco. — Ad idem abbati de Monte Sanctae Mariae. — Ad idem abbati de Sancto Sulpitio. — Ad idem abbati de Altacumba. — Ad idem abbati de Alpibus. — Ad idem abbatibus de Stamedio et de Cheseriaco, habeant unum. — Ad idem abbatibus de Alto Cristo et de Bonomonte. — Ad idem abbatibus de Clarofonte, de Lococrescenti et de Bithania, habeant unum. — Ad idem abbatibus de Lutzela et de Sancto Urbano. — Ad idem abbatibus de Buxeria, de Theoloco et de Albaripa. — Ad idem abbatibus de Belloprato, de Claroloco solvant de Bulloco [Belloloco] medietatem.

11. Domino Cistercii et conventui eiusdem loci conceditur per generale Capitulum, quod molendinum eorum iuxta Salonem Capellam situatum ad annuum censum, prout melius pote-

runt, attento quod dictum molendinum est oneratum annuo redditu certae quantitatis granorum, propter quod modicum est eidem monasterio fructuosum.

12. Rehabilitationis gratiam ad omnes Ordinis actus, gradus et honores per dominum Claraevallis, auctoritate domini Cistercii, fungentis potestate plenaria generalis Capituli, concessam fratri Tristanno de Lambertmont, monasterii Vallis Sancti Lamberti, Leodiensis dioecesis, generale Capitulum acceptat, approbat et confirmat. Universis tam dicti monasterii quam ceteris de Ordine personis regularibus inhibendo, ne hanc restituti honoris indulgentiam sugillent, impediant vel perturbent.

13. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno 1411, n° 7.*

14. Abbati de Roseriis in virtute salutaris obedientiae et sub depositionis ab abbatiali statu poena mandat, praecipit et iniungit Capitulum generale, quatinus fratrem Nicolaum de Altomonte monachum suum mittat infra proximum festum Omnium Sanctorum et cum sufficienti provisione teneat in studio Parisiensi. Abbatibus quoque de Miratorio et de Aceyo sub eisdem poenis iniungit, mandat et praecipit idem Capitulum, quatinus pro provisionibus dicti fratris Nicolai per continuum triennium iuvent quilibet eorum, quolibet anno, praefatum de Roseriis de summa decem francorum, domino Cistercii reverenter committens quatinus, si defectum fecerint praedicti de Miratorio et de Aceyo vel eorum alter in dictae summae solutione praedicto de Roseriis, quolibet anno praefati triennii, eosdem negligentes per censuras Ordinis indissimulate coerceat et compellat.

15. Abbatibus de Bonofonte et de Valle regis et eorum cuilibet Capitulum generale committit iniungendo, quatinus per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia, si sit opus, viriliter et debite compellant vel compellat abbatem et conventum de Ellancio ad restituendum certam vaissellam argenteam et libros quos in vadium seu pignus habent a monasterio Signiaci, quam cito per eos de Signiaco sibi restituta fuerit summa quam super hiisdem vadiis receperunt.

16. Citatos debite personaliter et peremptorie ad generale Capitulum fratres Eingelinum priorem et Abraham monachum monasterii de Altasilva, quia non comparuerunt, idem Capitulum generale reputat contumaces.

17. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum... in regnis et provinciis et quibuscumque dominiis serenissimo-

rum principum Castellae, Arragoniae, Portugalliae et Navarrae regum... abbati de Populeto... *etc. iuxta formam consuetam (cf. ann. 1401, nº* 26, *ann. 1402, nº* 27). Praesenti diffinitione seu concessione per continuum quinquennium in suo robore duratura et non ultra.

18. Abbatibus de Candelio, s. th. pr. et de Bolbona committit generale Capitulum reformationem monasteriorum in Tolosana, Auxitana, Arelatensi, Aquensi, Narbonensi et Burdegalensi provinciis, ac dioecesibus Ruthenensi, Albiensi et Castrensi, secundum formam per dominum Cistercii ordinandam.

19. Eidem de Candelio committitur receptio contributionum in locis memoratis.

20. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum aliorumque locorum conventualium cuiuscumque sexus et generationis Cisterciensis Ordinis in Tolosana, Auxitana, Arelatensi, Aquensi, Narbonensi et Burdegalensi provinciis, et in Albiensi, Castrensi, Ruthenensi et Vabrensi dioecesibus ubilibet existentium, ac regularium personarum eorumdem monasteriorum et locorum, committit generale Capitulum abbatibus de Candelio, s. th. pr., et de Bolbona in plenaria Ordinis potestate, eisdem praecipiens et iniungens, quatinus ad praedicta monasteria et loca in quibus plurima... *etc. iuxta formam consuetam*. Praesente diffinitione per continuum triennium in suo robore duratura, et non ultra.

21. Abbati de Candelio, s. th. pr., committit generale Capitulum, quatinus de contributionibus per abbates et monasteria quaecumque nostri Ordinis in Tolosana, Auxitana, Arelatensi, Aquensi, Narbonensi et Burdegalensi provinciis, ac Albiensi, Castrensi, Ruthenensi et Vabrensi dioecesibus constituta debitis inquirat, et debitores ad ostendendum quittantias de solutis a decem annis citra compellat, easdem contributiones tam antiquas quam per praesens Capitulum impositas, quae est novem millium florenorum et alias durante triennio imponendas recipiat, solventes quittet et absolvat, et sententias quas non solvendo statutis terminis incurrerunt, et cum eis super irregularitatibus eadem occasione contractis dispenset ; negligentes, remissos aut rebelles in huiusmodi contributionum solutione ad solvendum per omnes Ordinis censuras et alias iuris et iustitiae vias auctoritate memorati Capituli viriliter et debite coerceat et compellat, et quaecumque inde receperit anno quolibet

generali Capitulo procuret fideliter continuari. Vult etiam et concedit idem Capitulum, quod si ad aliqua praedictorum monasteriorum et locorum non possit personaliter accedere, committere valeat alii vel aliis abbati vel abbatibus, aut monacho vel monachis, ad hoc idoneis et sufficientibus, vices suas.

22. Quia Ordo noster Cisterciensis in diversis mundi partibus quoad disciplinam regularem et vitam monasticam multipliciter deformatus et collapsus est, cuius causa pro magna parte fuit et est, quod quidam patres abbates et visitatores nec per se nec per certos commissarios monasteria sibi subiecta iuxta Ordinis statuta toties quoties opus fuisset, et tam fructuose tamque fideliter, ut debuissent, visitarunt vel visitari fecerunt, ideo ad supplendum negligentiam et desidiam talium patrum abbatum, Capitulum generale in certis regnis ac provinciis certos reformatores inferius nominandos, de quorum idoneitate constat, et conscientiarum puritate praesumitur, non improvide duxit deputare, eisdem et cuilibet ipsorum praecipiens et iniungens, quatinus ad omnia et singula monasteria cuiuscumque sexus existant, ipsis et cuilibet ipsorum commendata, si securus ad ea patuerit accessus, coniunctim vel divisim personaliter accedant, ibidemque mores reforment, vitia corrigant, statuant et ordinent, instituant et destituant quaecumque secundum Deum et Ordinis formam statuenda, corrigenda, ordinanda, instituenda et destituenda pro Ordinis reformatione cognoverint ; abbates et abbatissas, si sua exegerint demerita, deponant et ad electionem novi pastoris, ut moris est in Ordine, procedant ; abbatibus etiam sponte cedentibus iuxta tenorem papalium statutorum pensionem concedant, ac omnia alia et singula ordinent, praeficiant et disponant tam in capitibus quam in membris, in spiritualibus et temporalibus quae ad actum reformationis praedictae pertinere noverint, et monasteriorum utilitatibus convenire ; faciantque hoc auctoritate Capituli generalis in plenaria Ordinis potestate, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis. Possintque dicti reformatores unum vel plures abbates Ordinis iuxta exigentiam causarum ad se vocare, ut negotia Ordinis eo efficaciori et meliori fine terminentur. Abbatibus autem et abbatissis ac singulis personis monasteriorum praedictorum regularibus praecipit Capitulum generale in virtute sanctae obedientiae et dans firmiter in mandatis, quatinus dictis reformatoribus in praedictis et ea tangentibus humiliter pareant

et devote. Dictique reformatores sint compulsiores abbatum ad mittendum scolares ad studia generalia, sintque collectores contributionum Ordinis antiquarum et novarum, ad quarum solutionem non solventes per Ordinis censuras etiam per poenam depositionis, si opus fuerit, et alia iuris remedia viriliter coerceant ; solventes quittent, et a sententiis quibus propter tardam solutionem inciderunt liberent et absolvant ; habeantque potestatem cum debitoribus contributionum componendi et ad certos terminos astallandi. Et quia plures abbates in vilipendium et contemptum Capituli generalis et sacri Ordinis nostri in dicto Capitulo nec per se, nec per procuratorem idoneum praesenti et pluribus annis praeteritis in Capitulis generalibus comparere curaverunt, eapropter dictum Capitulum dictis reformatoribus sive visitatoribus, sub debito obedientiae et excommunicationis poena, mandat et iniungit, quatinus ab huiusmodi abbatibus qui a Capitulo aliquoties remanserunt, nec se legitime, ut praefertur, excusarunt, duplum expensarum pro qualibet remanentia iuxta papalia et Ordinis statuta, per praedictas censuras et alias iuris et Ordinis poenas quantocius exigant et requirant. Et si aliqui vitium proprietatis, in dispendium salutis animarum, in propriis aut sibi subiectis monasteriis vel commissis succrescere permittunt, hoc idem vitium dicti reformatores iuxta regularia et canonica statuta curent extirpare. Attentis etiam guerrarum turbinibus in omni parte mundi undique saevientium aliisque incommodis et viarum discriminibus, Capitulum generale concedit et indulget, ut singulis annis de qualibet provincia in partibus Alemanniae certi eligantur abbates, qui nomine aliorum abbatum eiusdem provinciae Capitulum generale Cisterciense visitent, contributiones Ordinis et excusationes ceterorum secum deferentes. Habeantque reformatores cuiuslibet provinciae potestatem convocandi ad loca et terminos competentes ceteros abbates, et compellendi eos per censuras Ecclesiae et Ordinis poenas ad conveniendum in locis et terminis praedictis ad eligendum singulis annis abbates ad Capitulum mittendos, ut praefertur. Deputat ergo Capitulum pro provincia Maguntina pro reformatoribus, de Mulebrunne et de Volkolderode monasteriorum abbates. Pro provincia Trevirensi, abbatem de Herdehusen. Pro provincia Coloniensi, abbatem de Menterna in Frisia. Pro provincia Magdeburgensi, abbatem de Cenna. Pro provincia Saltzburgensi, abbatem de Runa. Pro provincia Gnesnensi,

abbatem de Clara tumba. Pro provincia Bremensi, abbatem de Doberan [c]. Pro provincia Strigoniensi, abbatem de Pelisio. Praedictarum autem omnium et singularum provinciarum reformatorem Capitulum generale ordinat et deputat abbatem de Lankheim [d] generalem. Qui quidem reformatores negotium reformationis exerceant sine praeiudicio patrum abbatum, videlicet quod in monasteriis in quibus patres abbates annuatim visitaverint et visitare fructuose velint, dicti reformatores non visitent, nec monasteriis vacantibus provideant sine patrum abbatum praesentia, dummodo ipsi patres abbates a monasteriis vacantibus infra sint duas dietas constituti ; faciantque dicti reformatores in proximo et aliis futuris Capitulis generalibus de factis et peractis per eos fidelem relationem.

23. Quia aliqui monachi et moniales tanta errorum caligine, imo potius malitia excaecati sunt, quod in omnibus factis suis et maxime in electionibus faciendis, quae sua sunt quaerentes non quae Iesu Christi, non iudicium rationis sed motum suarum sequuntur voluntatum, et cum electoribus seu electricibus ad eligendum abbatem vel abbatissam ordinant, non ad honorem Dei respectum habentes, nec suorum monasteriorum profectum considerantes, sed aliqui propter consanguinitatis propinquitatem seu alium commodi inordinatum affectum, indignas et insufficientes personas praeficere nituntur, sufficientibus et dignis scienter dimissis, unde observantia regularis disciplinae destruitur, virtutes minuuntur, vitia augmentantur, dum sic honestae personae deprimuntur, et lascivae quaeque exaltantur, propter quod etiam ipsa monasteria in utroque statu irreparabilem [e] ut plurimum sustineant laesionem. Huic morbo pestifero cupiens generale Capitulum de medela providere opportuna, statuit, ordinat et diffinit, ut quotiesumque in monasteriis monachorum et monialium electiones celebrari contigerit, electores et electrices ordinati, antequam ad actum electionis procedant, ad sancta Dei evangelia iurare tenebuntur, quod omni affectione inordinata reiecta, illas personas eligere studeant, quas noverint pro regimine monasteriorum meliores. Et qui contra fecerint et de hoc convinci potuerint, tamquam periurii [f] puniantur.

---

[c] Obram : *MP²*. [d] Sambli : *MP²W*. [e] irrecuparabilem : *MP²R¹*.
[f] protervae : *MP²*.

24. Attendens Capitulum generale, quod modernis istis temporibus caritas Dei in cordibus, heu ! multorum sic refriguit, quod plures Ordinis personae, abiecto Dei timore, excommunicationis, suspensionis et aliarum sententiarum vinculis se irretire, et in eisdem in dispendium suae salutis diutius sordescere non verentur, se insuper, quod deterius est, divinis huiusmodi sententiis ligatae immiscentes, vel eadem celebrantes, notam irregularitatis incurrunt damnabiliter quoque diutius profanando. Talibus igitur periculis animarum Capitulum generale obviare cupiens, omnes et singulas excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias pro certis excessibus et transgressionibus, per Capituli generalis statuta quondam promulgatas et de facto latas, idem Capitulum moderat et relaxat, statuens, ordinans et diffiniens quod omnes dictae sententiae, exceptis aliquibus infra annotatis, de cetero minatoriae sint et reputentur, sic quod nulla persona Ordinis eas incidat vel incidere debeat ipso facto, nisi aliquae earum sententiarum per sacros canones sint latae, vel nisi dictae personae regulares canonice [g] sint pridem per suos superiores monitae vel per eosdem superiores prohibitae, ne in illis casibus excedant, pro quibus dictae sententiae per Ordinis statuta olim sunt latae et decretae, et sic huiusmodi contumaces et rebelles merito censentur incidisse dictas sententias contra eos sic dudum latas. Si vero personae Ordinis non monitae nec prohibitae a suis superioribus, ut praefertur, convictae fuerint de excessibus, pro quibus per Capitulum generale de facto denuntiatae sunt, vel eosdem excessus per se sponte confessae fuerint, declarat dictum Capitulum easdem personas per graviorem vel leviorem culpam, aut habitus et gradus, vel officiorum privationem et alias poenas Ordinis ad nutum propriorum abbatum et seniorum domus, iuxta excessus qualitatem et quantitatem, condigna severitate fore plectendas, quas poenas vel aliquam ipsarum si quae personae Ordinis subire contempserint, vel dictos excessus, quod absit, post peractam poenitentiam reiterare praesumpserint, easdem personas Capitulum generale carceri mancipandas decernit, usque ad nutum suorum superiorum. Abbates vero dictis excessibus pro quibus, ut praefertur, sententiae sunt latae, reprehensi et notati per Capitulum generale vel patres abbates iuxta modum culpae graviter puniantur.

---

[g] et legitime : R^1.

Quod si sic puniti vel correcti aut moniti non emendaverint, exinde sine medio et mora per suos superiores ab officiis deponantur. Sententias vero latas contra remanentes a Capitulo sine causa rationabili, et non solventes contributiones debitis terminis, et non mittentes scolares ad studia generalia, propter rebellionem et contumaciam quorumdam abbatum, vult idem Capitulum in suo robore perdurare.

25. Licet de inclusione monialium Ordinis tam per sacros canones quam Ordinis statuta sufficienter sit provisum et ordinatum, dum tamen episcopi et abbates executores et commissarii ad hoc specialiter deputati in huiusmodi executione hucusque negligentes extiterunt, et dictae moniales honestatis laxatis habenis, et monachali modestia sexusque verecundia impudenter abiectis, extra sua monasteria nonnumquam per habitacula saecularium et religiosarum personarum discurrere, ac balnea naturalia [h] impudenter visitare et frequentare, intra sua monasteria personas suspectas admittere minime verentur, in illius, cui suam integritatem spontanea voluntate devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium et scandalum plurimorum. Quibus malis Capitulum generale obviare cupiens ordinat, statuit et diffinit, ut portae monasteriorum monialium nocte et die firmiter obfirmentur et obserentur, et obfirmatae maneant, sicque ulli virorum cuiuscumque conditionis, status vel eminentiae existat, ingressus vel accessus ad easdem pateat moniales, principibus, episcopis et abbatibus dumtaxat exceptis, et si quos operarios ratione operationis vel laboris necessarii, cum speciali licentia patrum abbatum, ad certa loca monasteriorum oporteat intromitti. Nec alicui moniali de cetero liceat egredi monasterium suum, nisi abbatissae cum duabus vel tribus monialibus, et cellerariae cum una, pro negotiis monasterii expediendis, et hoc fiat cum licentia visitatorum, ut in *Libello diffinitionum* fore dignoscitur exaratum, ut sic dictae moniales a publicis et mundanis conspectibus omnino separatae liberius Deo servire valeant, ac lasciviendi opportunitate sublata, eidem sua corda et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire. Quaecumque vero abbatissa vel monialis aliquem virorum aliter quam, ut praefertur, ad monasterium introduxerit vel intromiserit, aut intromitti fecerit, vel balnea naturalia visitaverit,

---

[h] et natalia: *MP*[2], *M add. in marg.*: natatoria.

talis excommunicationis sententiam et depositionis ac perpetuae inhabilitatis poenas se noverit incurrisse. Nec alicui moniali cum personis forensibus loqui liceat, nisi secundum antiqua Ordinis instituta, dictasque poenas incidant abbatissae Ordinis et ipsarum officiales, quae sub pacto recipiunt moniales, quod a simoniaca pravitate est nullatenus alienum.

26. Quia ad aures Capituli delatum est quod plures monachi in scandalum Ordinis et propriae salutis detrimentum, per saeculum divagando et per plura monasteria pluribus annis aliqui ex proprio motu, aliqui, suorum abbatum duritia hoc agente, damnabiliter discurrunt. Eapropter Capitulum generale tanto discrimini animarum remediare cupiens, omnibus et singulis abbatibus Ordinis sub poena suspensionis ab ingressu ecclesiae praecipit et mandat, ne monachos et conversos ad se missos alteri quam propriis abbatibus, ut occasio huiusmodi perniciosae divagationis auferatur, dirigant et remittant ; adiiciens idem Capitulum nihilominus et mandans, ut abbates in partibus Rheni monachos sibi missos, et in capellis sive parochiis locatos, ad monasteria quantocius revocent, prout divinae ultionis districtionem et futuram Capituli generalis gravem animadversionem voluerint evitare. Praesertim cum ecclesiae parochiales et capellae secundum quamdam annalem diffinitionem monachis committit non debent, sine licentia Capituli generalis.

27. Licet per quamdam constitutionem domini Bonifacii Papae VIII et Ordinis statuta sit dudum provisum, statutum et decretum, quod plures moniales ad monasteria Ordinis non recipiantur, nisi quot poterunt de bonis et proventibus monasteriorum, quoad victum et vestitum, absque penuria sustentari, et quod patres abbates sive visitatores, cum consilio seniorum suorum, numerum personarum secundum facultates monasteriorum taxent, ut per hoc pestiferi vitii proprietatis tollatur occasio, per quod personis regularibus multa delinquendi materia ministratur. Et quia dicti patres abbates sive visitatores in huiusmodi statuti executione nimis negligentes hucusque fuerunt, igitur ad tollendam multorum malorum occasionem et prohibendum perniciosum monialium per saeculum discursum, Capitulum generale omnibus et singulis patribus abbatibus et visitatoribus Ordinis, sub debito obedientiae ac depositionis poena, quatinus ipsos et quoslibet ipsorum praesenti statuto non paruerint, ipso facto incidisse decernit, mandat et iniungit quatinus,

infra annum a publicatione praesentis, per se vel per idoneos commissarios, monasteria monialium ipsis subiecta vel commissa accedent, et cum consilio seniorum suorum et aliorum sapientum de Ordine, secundum facultates ipsorum monasteriorum numerum personarum ibidem sine penuria vivere valentium moderent et taxent, mandantes firmiter et districte auctoritate Capituli generalis abbatissis et officialibus sub depositionis ab officiis, et ceteris conventualibus sub infamiae et inhabilitatis poenis, ne talem taxationem et ordinationem in receptione personarum aliquatenus transcendant, nisi proventus et redditus ipsorum monasteriorum adeo notabiliter augmentati et ampliati fuerint, quod merito numerus personarum augeri debeat et possit, et tunc secundum consilium et consensum dictorum patrum abbatum et visitatorum dictum numerum personarum poterunt, ut praefertur, rationabiliter augmentare. Et si dictae abbatissae et moniales in praedictis omnino rebelles et contumaces extiterint, secundum papalia et Ordinis privilegia, exigente earum rebellione, ab Ordinis libertate per praedictos patres abbates et visitatores quantocius rescindantur.

28. Capitulum generale ex causis rationabilibus permotum annuit et concedit, ut abbates Ordinis uno vel duobus suis fratribus, de quorum idoneitate constat et conscientiarum puritate praesumitur, tempore quadragesimali, dum legitima subest causa, committere suas vices possint, ut personarum regularium ibidem degentium annuales recipiant confessiones.

29. Ut tollatur occasio ne causae Ordinis in detrimentum monasteriorum extra Ordinem, et ne diutina vacatione monasteriorum sacris canonibus prohibita et ipsis monasteriis molesta in aliquibus monasteriis locum sibi vindicet, et ne statuta Ordinis quorum plura in iure sunt fundata, ipsius iuris dispositionibus obvient vel contrarium sonare videantur, Capitulum generale declarando quoddam statutum *Novellarum* de electione abbatum, quam in discordia contigerit celebrari, declarat et diffinit quod non fuit nec hodie est intentio Capituli per hoc statutum, prout quidam male intelligentes sentiunt, quid iuri derogere vel aliquatenus obviare, ut videlicet de necessitate requiratur, quod confirmandus in abbatem habeat ad minus duas partes electorum [i], cum sufficiat ut habeat maiorem partem, non respectu aliarum

---

[i] clericorum : *MP*².

partium discordantium, sed respectu totius congregationis electorum [i], prout omnia iura disponunt, quae solum volunt habere duas partes electorum [i] illum qui in Summum Pontificem est eligendus.

30. Sententiam excommunicationis in *Libello* contra ministrantes carnes personis saecularibus latam, licet sit minatoria, Capitulum generale revocat et cassat, sicut quondam per annalem diffinitionem dignoscitur fuisse revocata, cuius tenor talis est : Ad conservandam antiquam Ordinis honestatem generale Capitulum inhibet personis Ordinis universi ne in monasteriis et locis Ordinis carnes saecularibus audeant ministrare, absque visitatoris et abbatis sui licentia speciali, quam comminationem sententiae excommunicationis alias contra tales ab Ordine factam, revocat Capitulum generale.

31. Capitulum generale volens rigorem et multitudinem poenarum propter fragilitatem humanam moderare, vult et mandat ut personae Ordinis universi de esu carnium inordinato convictae vel deprehensae poenis statutorum papalium mulctentur, omnibus aliis poenis super hoc per Ordinem editis revocatis penitus et abiectis.

32. Item, ne idiotae et minus religiosi in abbates Ordinis, qui plurimi mali occasio sunt et hucusque fuerunt, amplius praeficiantur, Capitulum generale patribus abbatibus, visitatoribus et commissariis universis, sub debito salutaris obedientiae et districtione excommunicationis [j], mandat et praecipit, ne aliquem electum confirment nec ad abbatiae regimen admittant, nisi idoneus et sufficiens sit, habens conditiones abbatis, quas abbatem habere canonica et Ordinis statuta determinant et disponunt. In casu vero quo in aliquo monasterio vacante idoneus et sufficiens, ut praedicitur, in abbatem praeficiendus non reperiatur, ex tunc pater abbas vel visitator cum consilio assessorum et seniorum domus vel solum assessorum, si seniores assentire de postulatione renuerint, de alio monasterio dignum et habilem in pastorem possunt postulare, allegationibus plurimorum dicentium quod non nisi de domo sua eis abbas praefici debeat prohibitis omnino [k] et exclusis.

33. Capitulum generale mandat et praecipit sub debito salutaris obedientiae et excommunicationis poena abbatissis et prio-

---

[i] clericorum : *MP*². [j] examinis : *MP*². [k] penitus et abiectis : *R*¹.

rissis et monialibus Ordinis universi, ad contribuendum ista vice pro expensis mittendorum ad proximum Concilium, ad defendendum exemptiones, privilegia et Ordinis libertates.

34. Quia refrigescente caritate multorum, paucae personae hiis diebus ad Ordinem convolant, cum in nonnullis mundi partibus monasteria nostri Ordinis magnum personarum patiuntur defectum, propter quod etiam cultus divinus minuitur, et monasteria ipsa in temporalibus magnam sustinent laesionem, volens dictum Capitulum ipsis monasteriis de aliquali remedio providere, annuit, concedit, et indulget quod novitii Ordinis, ante annum probationis finitum, per sequens continuum quinquennium ad professionem solemnem admitti et benedici possint, sic tamen quod ipsi novitii antequam benedicantur, psalterium corde tenus et alia de necessitate scienda sciant, et quartum decimum annum suae aetatis compleverint, ac de residuo tempore probationis de facto renuntient et expresse.

35. Committit Capitulum generale de Ebrach et de Langheim monasteriorum abbatibus, ut ambo accedant personaliter ad monasterium de Fonte salutis, et se diligenter informent, si pro monasterio eodem expediat, quod bona minus fructuosa ab aliis bonis monasterii seorsim et longe sita in oppidis Vorcheim et Membernheim, alienentur et in meliores fructus prope monasterium convertantur, et in futuro Capitulo relationem facient claram et fidelem.

36. Ad relata de Walkenrede et Vallis Sanctae Mariae monasteriorum abbatum in praeterito Capitulo pro inspectoribus deputatorum abbati et conventui monasterii de Lapide Sancti Michaelis, ut grangiam dictam Campenrode [Crapeniade, 1419, nº 23] desolatam, et quae nullatenus per monasterium vel eius personas propter nimiam distantiam coli potest, certis personis iure emphitetico possidendam pro annuis censibus sive redditibus locare possint, Captulum generale concedit et indulget.

37. Discordiam inter Paulum, monasterii de Monte Sanctae Mariae, et Ioannem monachum de Sancto Gothardo, de abbatia dicti monasterii Sanctae Mariae contendentes exortam et motam Capitulum generale abbatibus de Hilaria et Campoliliorum monasteriorum ac magistro Bartholomeo de Ebraco, s. th. pr., committit ipsis iniungens et mandans, quatinus dictum monasterium de Monte Sanctae Mariae personaliter omnes tres vel duo ipsorum, altero se licite excusante, accedant, inquirant et dili-

genter se informent, et quemcumque ex praedictis, iuxta Ordinis et iuris statuta ius habere repererint, eumdem et eius electores auctoritate Capituli generalis approbent, autorizent et confirment, et alterius non habentis ius electores dicta auctoritate cassantes et annullantes sibi super impetitione dictae abbatiae perpetuum silentium imponant. Si vero utriusque electionem invenerint invalidam et minus canonicam, ex tunc ambobus eiectis et repudiatis, dicto monasterio de tertio provideant, qui idoneus et sufficiens existat, ac iuxta canonica et Ordinis statuta abbatum conditionibus praeditus et suffultus.

38. Capitulum generale de Mulebrune et de Schonaugia et Bebenhusen monasteriorum abbatibus committit et iniungit, ut monasterium de Castro aquilae tempore opportuno, et cum per abbatem et conventum dicti monasterii requisiti fuerint, una cum patre abbate accedant, et claram computationem de receptis et expensis possibiles dictae domus ab eisdem officialibus exigant et requirant, diligenter etiam se informantes, si qua fraus vel cautelositas in computationibus per abbatem defunctum et officiales praedictos pridem factis sit commissa. Ex tunc huiusmodi fraudulentes et periuros, secundum formam Ordinis per poenas patentes, condigna severitate puniant, ut ceteris ne talia vel consimilia attentent, transeat in terrorem. Si vero dictos officiales in rationibus redditis fideles et sinceros repererint, eosdem coram religiosis et saecularibus efficaciter salvent et excusent, accusatoremque patris sui et delatorem secretorum Ordinis ad aures saecularium et eidem adhaerentes et potentum secundum Ordinis statuta puniant indilate. Et si aliqua discordia in electione novi abbatis nuper facta intervenit, eamdem omnibus modis quibus possunt, sedent et sopiant, discordantes ad concordiam reducentes, et ante omnia provideant ne diutina vacatio, sacris canonibus prohibita et monasteriis utique molesta, ibidem sibi vindicet locum, sed si in ipsos compromissum vel electio secundum Ordinis statuta devoluta fuerit, ipsi de persona idonea et sufficienti dicto monasterio provideant, auctoritate Capituli generalis.

39. Capitulum generale causam quae vertitur inter monasterium de Schonaugia et monasterium monialium in Bullikem committit et Mullobrun et Bebenheusen monasteriorum abbatibus, eisdem mandans et iniungens, ut ambabus partibus in certo termino et loco competenti vocatis, dictam causam secundum formam et statuta Ordinis determinent bono fine.

40. Visitationem monasterii monialium Ramosensis abbati de Uterina valle alias commissario Capitulum generale ex causis rationabilibus revocat, et eiusdem monasterii curam, gubernationem, visitationem, correctionem ac totius paternitatis officium committit abbati de Otterburg, in plenaria Ordinis potestate.

41. Ad instantes preces abbatissae monasterii monialium de Sancto Spiritu, in ipso cum sorore Barbara dicta Quitzen Dorsserin, eiusdem monasterii professa, de puerperio convicta Capitulum generale dispensat super restitutione gradus, decernens quod ad omnes actus legitimos et ad officia et administrationes Ordinis, citra abbatialem dignitatem, admitti possit et promoveri.

42. Committit Capitulum generale abbati Vallis Sancti Petri in Heisterbach ut cum fratribus Dilivanno de Sybergh et Winando de Herst, sui monasterii professis, qui aliquamdiu retento habitu sine licentia a monasterio recesserunt, peracta poenitentia secundum formam Ordinis, super restitutione gradus possit dispensare, et ut dicti fratres ad omnes actus legitimos et officia Ordinis, citra abbatialem dignitatem, admitti valeant et promoveri.

43. Causam vel causas inter abbatissam in Clusorii et abbatissam monasterii in Daylheim motas vel movendas, Capitulum generale committit abbati Vallis Sancti Petri in Heisterbach, in loco ambabus partibus competenti auctoritate Capituli generalis secundum formam et statuta Ordinis bono fine decidendas.

44. Ex causis rationabilibus Capitulo generali expositis, idem Capitulum generale abbatem monasterii Novi castri a cura monasterii monialium Regispontis absolvit et supportat, ac abbati monasterii de Mullenbrun curam et gubernationem dicti monasterii, qui pridem ipsum gubernare consuevit, committit eiusdem abbatis iurisdictioni, potestati, correctioni, visitationi, et alteri cuicumque ordinationi ad paternitatis officium pertinenti subiiciens, in plenaria Ordinis potestate.

45. Controversiam et dissensionem inter abbatissam in Buyrbach et abbatissam monasterii in Horto Sanctae Mariae in Colonia exortas, Capitulum generale committit abbati in Heysterbach, qui convocatis partibus supradictis in termino et loco competentibus, et auditis querelis et contentionibus dictarum partium dictam controversiam in amicitia, si fieri possit, decidat, alioquin secundum formam iuris et statutorum Ordinis, ac rectae

rationis dictamen, utrique parti auctoritate Capituli generalis faciat iustitiae complementum.

46. Controversiam et dissensionem inter abbatem de Belloprato ex una parte, et de Novocastro et Pomerio monasteriorum abbates ex parte altera, ratione cuiusdam annuae pensionis vini exortas, Capitulum generale de Morimundo et de Lutzella monasteriorum abbatibus bono fine terminandas in plena Capituli potestate committit et iniungit, quatinus in certo termino et loco competenti ambabus partibus convocatis, ac aliis abbatibus Ordinis, quos quaelibet partium decrevit advocare, et auditis querelis, quaestionibus, rationibus et responsionibus hinc inde, dictam causam in amicitia, si fieri possit, decidant, alioquin secundum formam et seriem iuris ac rectae rationis dictamen, utrique parti faciant iustitiae complementum.

47. Capitulum generale committit et iniungit abbati de Volkolderode ut associatis sibi duobus vel tribus abbatibus propinquioribus et notabilioribus, qui una secum accedant ad monasterium de Lucka ibidem visitantes, corrigentes, ordinantes, instituentes et destituentes in capite et in membris, ac omnia alia facientes, quae pro reformatione dicti monasterii in utroque statu videntur esse necessaria, vel quomodolibet opportuna, monachos quoque disciplinam regularem in dicto monasterio turbantes, ut fertur, per emissionem et alias poenas Ordinis consuetas condigna severitate puniant et castigent, in plenaria Ordinis potestate.

48. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus ac omnium singularum in Coloniensi et Rhemensi provinciis et partibus circumvicinis consistentium... abbati de Claravalle et abbati quem secum advocare decreverit... *etc. iuxta formam consuetam (cf. ann.* 1401, *n*° 26, 1402, *n*° 27).

49. Capitulum generale committit et iniungit abbati de Claravalle ut dum ipsum ad monasterium de Hymerode sibi immediate subiectum declinare contigerit, quod de moribus, vita et conversatione fratris Petri, quondam abbatis ibidem, diligenter inquirat, et se informent, et si invenerit ipsum excessus et insolentias, quibus pridem dum in regimine esset notatus est, reiterasse, vel alias ipsum vitiosum et scandalosum fore, quod ex tunc ipsum provisione tempore resignationis sibi facta et deputata, iuxta statutorum Ordinis dispositionem, privet, ipsumque per poenas Ordinis iuxta qualitatem excessuum puniat, etiam per incarcerationem, si ipsius exegerint fore facta.

50. Generale Capitulum, nomine et auctoritate totius Ordinis Cisterciensis, in omnibus et singulis generalibus et particularibus ipsius Ordinis, et abbatum, abbatissarum, conventuumque, monasteriorum tam virorum quam mulierum, personarumque singularium quarumcumque Ordinis eiusdem causis, querelis, actionibus et defensionibus quibuscumque eorumdem abbatum, abbatissarum, conventuum, monasteriorum et personarum Ordinis memorati, procuratores, negotiorum gestores, sindicos praeconitos, actores, defensores et nuntios speciales in sacrosancto universalis Ecclesiae generali Concilio Papiae vel alibi de propinquo, divina favente clementia, celebrando, nominat, eligit, ordinat, facit et constituit venerabiles in Christo fratres Matheum Claraevallis, Ioannem Ursicampi, Guillelmum Fontis Danielis, Ioannem de Crista, Guillelmum Mortuimaris, Ioannem de Precibus, Petrum de Candeleio, et Guillelmum Belli loci regis, s. th. doct. monasteriorum eiusdem Ordinis abbates. Necnon de Runa, de Mulebrune, et de Herdehusen similiter eiusdem Ordinis monasteriorum abbates, et eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit eorum alterius conditio deterior, sed quaecumque per ipsorum aliquem inceptum fuerit, per alterum resumi, continuari, deduci, mediarique valeat et finiri. Eosdemque constitutit, ordinat et nominat ambaxiatores nomine totius Ordinis ad sacrosanctum Concilium antedictum. Dat insuper idem Capitulum eisdem abbatibus... *etc. ut in anno* 1412, *n*o 58.

51. Quia praesens Capitulum procuratores et ambaxiatores ad comparendum totius Ordinis in sacro universalis Ecclesiae Concilio Papiae vel alibi de proximo, divina favente clementia, celebrando, constituit et ordinavit nomine quo supra ambaxiatores, procuratores et nuntios speciales dicti Ordinis, attendens idem Capitulum, quod totius Ordinis res agitur, pro sumptibus eorumdem ambaxiatorum in praefato generali Concilio, subsidium sex mille libr. turonensium Ordini et ipsius monasteriis tam virorum quam mulierum imponit, ipsius subsidii receptores constituit, ordinat et deputat idem Capitulum in provinciis Bisuntinensi et Lugdunensi dominum Cistercii et abbatem Bellaevallis et eorum quemlibet. In provincia Rhemensi et dioecesi Leodiensi, de Claromarisco et de Bonofonte monasteriorum abbates et eorum quemlibet. In provincia Rothomagensi, de Bonoportu et de Thorignaco monasteriorum abbates et eorum quemlibet. In provincia Senonensi, de Prulliaco et de Valle Bea-

tae Mariae monasteriorum abbates et eorum quemlibet. In provinciis Turonensi et Bituricensi, de Fonte Danielis, de Precibus, s. th. doct. et de Nigro lacu monasteriorum abbates et eorum quemlibet. Eisdem receptoribus et eorum cuilibet iniungens et committens, quatinus per se vel alium aut alios per eosdem aut eorum alterum deputandum vel deputandos, ab abbatibus, abbatissis et officiariis monasteriorum cuiuscumque sexus dicti Ordinis in partibus sibi commissis existentium quotas dicti subsidii levet, exigat et recipiat, et domino Cistercii fideliter consignet aut consignari faciat praefatis ambaxiatoribus per eum distribuendas. Recusantes solvere, si qui sint, nisi personaliter ad dictum Concilium sint accessuri per omnimodam Ordinis censuram viriliter et debite coerceat auctoritate dicti generalis Capituli praedictorum receptorum quilibet et per eorum quemcumque deputatus invocato, si sit opus, auxilio iudicum ecclesiasticorum, et favore brachii saecularis. Monasteria vero Rhemensis, Rothomagensis, Turonensis et Bisuntinensis dioecesium, ac dioecesis Leodiensis, de et pro dicto subsidio taxat et imponit idem Capitulum ad quotas vel summas contentas in rotulis sub sigillo Diffinitorum missis receptoribus memoratis. Bisuntinae vero et Lugdunensis provinciarum monasteria per dominum Cisterciensem taxanda reverenter sibi committendo relinquit.

52. Generale Capitulum pro negotiis communibus Ordinis in romana Curia vel alibi prosequendis, et maxime pro libertatibus, exemptionibus, privilegiis et immunitatibus Ordinis eiusdem in sacrosancto generali Concilio Papiae vel ubicumque de proximo divina favente clementia celebrando defendendis, et aliis eiusdem Ordinis oneribus supportandis, imponit contributionem novem millium florenorum, de qua vult, statuit, ordinat et decernit idem Capitulum monasteria sanctimonialium non eximi, sed quotas eis impositas de contributione huiusmodi solvere sicut et monachorum, et quia taxata sunt ab antiquo monasteria monachorum, monasteria sanctimonialium in rotulo abbati de Crista memorati Ordinis, Lingonensis dioecesis, s. th. doct. tradito et sigillo Diffinitorum sigillato nominata taxat idem generale Capitulum, et eisdem summas in dicto rotulo contentas imponit de novem millibus antedictis, receptoremque contributionis praetactae novem millium florenorum et arreragiorum quorumcumque praecedentium constituit et ordinat in eisdem,

tam virorum quam mulierum, monasteriis in dicto rotulo contentis, praefatum abbatem monasterii de Crista ipsius Ordinis generalem in romana Curia procuratorem, per se vel alium aut alios idoneum vel idoneos per ipsum ad hoc deputandum vel deputandos, eidem abbati de Crista et ab eo deputandis firmiter iniungens idem Capitulum et districte praecipiens in virtute salutaris obedientiae, quatinus a praedictorum monasteriorum abbatibus et abbatissis, officiariisque requirat et recipiat summas in dicto rotulo contentas, et arreragia praecedentium contributionum ab abbatibus huiusmodi solventes quittet et absolvat. Contradicentes et rebelles in solutione, si qui vel quae sint, auctoritate nominati Capituli per censuras Ordinis et alia quaecumque iuris et iustitiae remedia, viriliter et debite compellat, invocato, si sit opus, auxilio iudicum ecclesiasticorum et favore brachii saecularis.

1423

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, statuta sunt haec in Capitulo generali Cisterciensis Ordinis, apud Divionem propter guerrarum turbines celebrato.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.

2. Pro serenissimo domino nostro, domino *(locus vacuus)...*, pro domino duce... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES].

6. Editam anno praeterito diffinitionem, qua sub debito obedientiae et depositionis poena mandat et iniungit patribus abba-

1423. *Fontes* : L^3 : 1-60 ; *M* : 41, 43. Martène. *Thesaurus*, t. I, *col*, 1761 55 ; P^2 : 1, 2 (abbrev.), 25, 41, 43, 55 ; *W* : 41. [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V°, Carolo VIII° rege Franc. : P^2.

tibus et visitatoribus Ordinis, quatinus infra annum a publicatione dicti statuti per se vel idoneos commissarios numerum personarum regularium in monasteriis monialium sibi subiectis aut commissis existentium, iuxta facultates ipsorum monasteriorum, taxent et moderent, et abbatissis ac officialibus sub depositionis ab officiis, ceterisque conventualibus sub inhabiliatis et infamiae poena mandat, et auctoritate Capituli generalis inhibeant districte, ne talem taxationem et ordinationem in receptione personarum transcendant, praesens Capitulum sic moderatur et vult intelligi, quod omnes poenae in dicta diffinitione contentae solum sint comminatoriae, discretioni eorumdem patrum abbatum et visitatorum cetera in huiusmodi statuto vel diffinitione contenta relinquens.

7. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno 1390, nº 7, mutatis quae sequuntur* : contributionem sex millium florenorum florentiae vel monetae aequivalentis... Receptores... ubique dominum abbatem Cistercii per se vel per alium seu alios. In Cistercio priorem et bursarium eiusdem loci. In romana Curia procuratorem Ordinis generalem. Parisiis cellerarium collegii sancti Bernardi, et in partibus Alemanniae abbates ad hoc anno praeterito per generale Capitulum deputatos.

8. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum et locorum conventualium, singularumque personarum regularium nostri Cisterciensis Ordinis in provincia Bremensi, dioecesi Caminensi, et regnis Daniae, Sweciae et Norwegiae consistentium, committit generale Capitulum abbati de Doberan ac etiam contributionum receptionem in eisdem provincia, dioecesi et regnis in ipsius Capituli et Ordinis totius plenaria potestate. Insuper dictum Capitulum certis ex causis monasterium de Peplin in Poncia eximit a reformatione abbatis Clarae tumbae.

9. Abbati in Hyddenze inhibet generale Capitulum ne pensionem solvat suo praedecessori concessam quavis occasione, absque speciali mandato seu licentia Capituli memorati.

10. Commissione exercendi per annum et cum referendi debito reformationis officium in Ordinis nostri monasteriis, ubi opus fuerit, per diversas Alemanniae regiones et provincias anno praeterito concessas abbatibus de Schonaugia, de Sancto Benedicto in Menterna pluribusque aliis dictarum provinciarum abbatibus, quorum nulli vel pene nullus Capitulum praesens per se vel alios visitant ea relaturi, quae Ordinis nomine et auctoritate

gesserunt, Capitulum ipsum declarat et decernit durationis suae terminum habuisse totalem, nulloque amplius vigore subsistere. Ad maioris insuper evidentiae luculentiam praefatas commissiones revocat prorsus et annullat, donec de ipsarum tenoribus non paucas includentibus difficultates, de executionibus quoque titulo commissionum huiusmodi factis informationem et deliberationem habuerit pleniorem.

11. Ad petitionem domini Claraevallis, Capitulum generale dominum Arnaldum abbatem monasterii Eberbacensis perpetuo a via ipsius Capituli favorabiliter habet supportatum.

12. Ad supplicationem abbatis de Lutzella cum sorore Agnete Lucispurg, professa in monasterio Mag[d]enow dispensat generale Capitulum, ut non obstante lapsu carnalis contagii, in quem recidisse dicitur, subsecuto puerperio, ad omnes actus Ordinis legitimos, officia, administrationes, etiam si contingat ad abbatialem statum, dum tamen abbatissae et sanioris partis conventus concurrat assensus, promoveri valeat et assumi.

13. Cum fratribus Stephano de Brethim, sacerdote professo in Mulebrune, et Nicolao de Buswiler, sacerdote professo in Novo castro, misericorditer dispensat generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam per saeculum evagando per annum vel ultra dicuntur incurrisse, ad regimen, habitum et gradum suum pristinum, cum suis placuerit superioribus, restituantur, et ad omnes actus legitimos citra tamen abbatiatum, valeant in Ordine promoveri.

14. Ad supplicationem abbatis de Puro campo cum fratre Rodolpho, sacerdote professo dicti loci, dispensat generale Capitulum, ut non obstante carnali contagio in quod olim recidisse convictus, quia publicam sibi propter hoc iniunctam poenitentiam devote peregit, ad omnes actus legitimos, voces, gradus, officia vel administrationes, etiam ad abbatiatum, si contingat suorum superiorum concurrente beneplacito, valeat in Ordine promoveri.

15. Gratiose concedit generale Capitulum abbati de Eberbaco, dioecesis Moguntinae, quatinus personis regularibus tam suis Eberbacensis quam aliorum utriusque sexus immediate subiectorum ei monasteriorum, vel etiam aliunde commissorum, poenas seu poenitentias a iure vel ab Ordine taxatas pro delictis, dum tamen meritae et inchoatae fuerint, breviare, minuere vel remittere ; ab excommunicationum insuper sententiis ac irregula-

ritatum poenis eas absolvere, nisi casus adeo graves forent, quod super eis esset Capitulum merito consulendum. Monachos denique et novitios ante completum probationis annum benedicere, ad professionemque suscipere valeat, quamdiu in praesidentiae vita hoc egerit, quae licet praemissa, vel eorum aliqua generali sint Capitulo reservata. Ad petitionem insuper dicti abbatis Eberbacensis idem Capitulum restituit et rehabilitat fratrem Ioannem de Kirderich, professum dicti monasterii, ad omnem famae laudabilis integritatem, acceptabilemque ad quoscumque legitimos actus et honorum gradus etiam praesidentiae abbatialis, tametsi per apostasiae fuliginem aliunde viluerit, unde dignos poenitentiae fructus egit.

16. Ad supplicationem abbatis Pontigniaci cum fratre Ioanne de Heriaco, monacho dicti loci, dispensat generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam illicentiatus extra monasterium per spatium trium dierum vel circa existendo, commisit, regulari tamen habitu non deposito, ad omnes actus legitimos Ordinis, voces, gradus, officia, vel administrationes, et ad abbatiatum, si contingat, suorum superiorum concurrente beneplacito, valeat in Ordine promoveri.

17. Ad idem cum fratre Ioanne Mylower, professo monasterii in Stolp, qui per duos menses illicentiatus extra monasterium in saeculo existendo, ad supplicationem sui abbatis generale Capitulum dispensat ut supra.

18. Abbatem de Novo campo propter invaletudinem corporis sui et viarum pericula, Capitulum generale a via ipsius Capituli, mittendo tamen contributiones, usque ad sequens quinquennium habet favorabiliter excusatum.

19. Ad idem pro abbate de Puro campo. — Ad idem pro abbate de Herdehusen.

20. De Candelio et de Gimundo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis et alia iuris remedia omnes personas Ordinis utriusque sexus, quas repererint monasterio de Bolbona vel personis ipsius teneri vel efficaciter obligatas fore per litteras aut alia documenta legitima, coerceant ad satisfactionem plenariam viriliter et compellant.

21. Ad idem pro domino Firmitatis, abbati Caroliloci et abbati Sancti Sulpitii.

22. Ad idem pro domino Claraevallis, de Crista et de Regalimonte.

23. Ad idem pro domino Morimundi, de Crista, de Theoloco et de Bolbona.

24. Ad idem pro domino de Crista, de Claravalle, de Morimundo et de Albaripa.

25. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii Clarifontis, cum fratre Hugone de Chauveyo, monacho professo dicti monasterii, misericorditer dispensat generale Capitulum, qui anno nuper lapso quadam nocte faciendo scrutinium minime fuit repertus in dormitorio pernoctasse, et propter hoc de carnali contagio suspectus non tamen convictus, inde timens ob hoc Ordinis rigorem, apostatavit ab Ordine fere per octo dies. Deinde ad se reversus poenitentiam ab Ordine sibi iniunctam humiliter peregit, ut praemissis non obstantibus ad omnes actus legitimos, voces, gradus, officia, administrationes, etiam abbatiatum, si contingat suorum superiorum concurrente beneplacito, valeat in Ordine promoveri et assumi.

26. Ad idem petitur pro fratre Ioanne de Bullencuria monacho dicti monasterii, qui quadam die hora nona repertus fuit cum quadam muliere notam criminis habente, et eam in quodam scriptorio introduxisse, super hoc poenitentiam sibi ab Ordine iniunctam devote adimplevit, ut praemissis non obstantibus, etc. ut supra, citra tamen abbatiatum.

27. Ad idem cum fratre Petro Trox, monacho monasterii de Fontemorum, qui per spatium trium mensium vel circa ab Ordine apostatavit, habitu regulari deposito, generale Capitulum ad supplicationem abbatis sui misericorditer dispensat, ut non obstante apostasia per dictum Petrum commissa, ad omnes actus legitimos Ordinis, etiam ad abbatiatum, si contingat, etc.

28. Cum fratribus Stephano de Birthem et Wernhero de Veyhingen, professis in monasterio de Mulebrunne, ad supplicationem abbatis dicti loci dispensat generale Capitulum, ut non obstante apostasiae nota, quam incurrerunt, videlicet ipse Stephanus per annum vel circa, et ipse Wernherus circa decem dies extra Ordinem sine licentia vagabundi, eis infra annum vel ante restituatur habitus regularis et loca eorum pristina, et ad omnes gradus, officia, voces, et actus legitimos etiam ad abbatiatum, si contingat sui superioris assensu concurrente, in Ordine promoveri valeant et assumi.

29. Processum, cui praesens diffinitio est annexa, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

30. Electionem factam in monasterio Castri aquilae de domino Bernardo, monacho professo ibidem in abbatem electo, in qua quidem electione omnes monachi ibidem professi, quibus canonicum aliquid non obstitit, ad eligendum sunt admissi, necnon confirmationem et decretum patris abbatis desuper confectum generale Capitulum ex certis, iustis et rationabilibus causis ratificat, approbat et confirmat.

31. Abbates de Novocastro et de Pomerio Cisterciensis Ordinis, Argentinensis dioecesis, quia citati personaliter ad praesens generale Capitulum, et sufficienter expectati non comparuerunt, nec alius quicumque pro eis, declarat ipsum Capitulum contumaces, eosque citat iterum personaliter et sub poena depositionis in civitate Bisuntina coram domino Cistercii, cui reverenter committit decisionem causae pendentis inter abbatem et conventum monasterii Belliprati Tullensis actores ex una, et eosdem de Novo castro et de Pomerio defensores ex altera parte, ad quintum decimum diem proximo futuri mensis novembris si iuridica fuerit, sin autem ad proximam juridicam diem inde sequentem, responsuros eisdem de Belloprato, et in dicta causa processuros ulterius prout dictabit ordo iuris, cum intimatione legitima quod sive compareant sive non, contra eos procedetur via iuris et iustitiae, eorum contumacia non obstante. Vult etiam et mandat idem Capitulum quod quaelibet pars in dicta causa patrem abbatem suum adducat ad diem antedictam. Mandat insuper dictum Capitulum quod utraque pars de iure suo plenarie ostendat, ut idem dominus Cistercii indilate utrique parti puram iustitiam reddere valeat.

32. Ad supplicationem abbatis Bolbonae, generale Capitulum honorabili viro domino Petro de Fuxo, monacho dicti monasterii olim abbate eiusdem, qui sponte cessit praefato monasterio, tamquam benemerito et condigno concedit pensionem 60 librarum turonensium super proventus et redditus dicti monasterii quamdiu vixerit in humanis, solvendo medietatem in festo Nativitatis Domini anno quolibet, et aliam medietatem in festo sancti Ioannis Baptistae, non obstante quod dominus noster pensionem annualem assignaverit sibi 40 librarum.

33. Ad supplicationem abbatis Bolbonae, cum fratre Raimundo Lezan, monacho dicti loci, misericorditer dispensat generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam incurrit aliquamdiu et stetit in saeculo damnabiliter vagabundus, temere dimittendo

habitum regularem, ad omnes actus legitimos Ordinis, voces, gradus, officia vel administrationes, etiam ad abbatiatum, si contingat, suorum superiorum beneplacito concurrente, valeat in Ordine promoveri et assumi.

34. Ad supplicationem quorumdam abbatum provinciae Coloniensis, Capitulum gratiose indulget, ut cum visum fuerit abbatibus Ordinis et aliis praesidentibus, propter evidentem utilitatem, partem de anno probationis diminui, quod non obstantibus constitutionibus quibuscumque in contrarium editis Ordinis Cisterciensis, dum novitii sponte ulteriori renuntiaverint probationi, poterunt ad professionem recipi cum effectu.

35. Ad supplicationem abbatis de Menterna, generale Capitulum gratiose indulget fratri Theodorico monacho et sacerdoti professo in Scola Dei, qui intendit suae saluti efficaciter providere, quod non obstantibus quibuscumque Ordinis Cisterciensis institutis in contrarium editis, libere valeat ad ordinem Carthusianae observantiae infra annum a data praesentium se transferre, inibi professum ab obedientia et observantiis dicti Ordinis Cisterciensis declarans penitus absolutum.

36. Non obstante revocatione cuiusdam diffinitionis anno praeterito in Capitulo Cisterciensi de et super certarum poenitentiarum reformationibus editae, vult et praecipit Capitulum abbatibus de Campo et de Menterna, Coloniensis et Moguntinae dioecesium, ut ad certum locum provinciae Coloniensis singulis annis per censuras ecclesiasticas et Ordinis poenas convocent abbates dictae provinciae, ad eligendum duos abbates vel saltem idoneos monachos ad generale Capitulum cum contributionibus et ceterorum abbatum excusatione, maxime propter guerrarum turbines in omni parte mundi undique saevientium, aliaque incommoda et viarum discrimina transmittendos.

37. Ad supplicationem abbatis de Menterna, Capitulum generale dispensat cum fratribus Ioanne et Theodorico monachis monasterii de Huda, Bremensis dioecesis, Ordinis nostri Cisterciensis, quod non obstante apostasia et carnis vitiis, quibus laborarunt, ad gradum eorum pristinum, citra tamen abbatiatum, per proprium abbatem, cum sibi visum fuerit, restituantur.

38. Ad supplicationem abbatis de Menterna, dispensat generale Capitulum cum fratribus Radulpho et Theodorico, monachis monasterii in Reynveld, ut non obstante quod primus carnis vitio laboravit, et alter fugitivus, per proprium abbatem ad

gradum eorum pristinum, citra tamen abbatiatum, restitui valeant et assumi.

39. Capitulum generale gratiose indulget fratri Henrico monacho et presbytero monasterii de Corona partium Bohemiae, quia monasterium per hereticos funditus destructum dicitur, et monachi hinc inde per mundum dispersi, quod quandocumque sibi placuerit poterit, quibuscumque constitutionibus in contrarium editis non obstantibus, profiteri abbati de Menterna Ordinis nostri Cisterciensis, Monasteriensis dioecesis, apud quem poterit hospitalitatis gratia demorari.

40. Capitulum generale gratiose indulget abbati de Menterna omnes et singulas utriusque sexus personas monasteriorum in Ysselteen, Sibekelo, alias in Galilea, Vearmunda et de Yesse, semel et tantum unica vice, absolvere in omnibus casibus generali Capitulo reservatis, et cum eisdem auctoritate dicti Capituli generalis, ubi necessarium pro serenatione earum conscientiarum sibi visum fuerit, dispensare, et eadem auctoritate casu quo frater Rodulphus, monachus et sacerdos in dicto Ysselteen professus, ad aliquod dictorum trium monasteriorum electus fuerit in priorem, quod ex tunc non obstante natalium defectu quem patitur ex illegitimo thoro procreatus, omnes prioratus possit assumere cum effectu.

41. Capitulum generale committit abbatibus de Campo Sanctae Mariae et Menterna et priori monasterii in Sibekelo, Monasteriensis et Traiectensis dioecesium, quatinus si congruis mediis fieri poterit, incorporent Ordini Cisterciensi monasterium in Buerlo [c] cum omnibus suis attinentiis Ordinis Sancti Willelmi, dictae Monasteriensis dioecesis, et personas ibidem se in Ordinem Cisterciensem volentes commutare, ad habitum et observantiam in plenaria Ordinis potestate recipiant, ac in patrem abbatem et visitatorem, quem de Ordine elegerint, praemissa deputent auctoritate, et quam cito poterint de actitatis plenam faciant Capitulo generali relationem. Quod, inquam, Capitulum ipsum praedictum monasterium cum suis personis, attenentiis ad Ordinis Cisterciensis privilegia, libertates et francesias ex tunc incorporet et admittat.

42. Ad supplicationem abbatis de Menterna, Capitulum generale dispensat cum Ioanne iam coquo in Menterna, casu quo

---

[c] Buello : *MP*².

habitum petierit in eodem monasterio conversorum, quod non obstante natalium defectu quem patitur ex soluto et soluta genitus, poterit ad eumdem habitum et professionem recipi cum effectu.

43. Capitulum generale super esu carnium monachorum, monialium, confessorum et aliorum in grangiis continue residentium, committit, patribus abbatibus eorumdem immediatis, et aliis locis conventualibus praesidentibus, quatinus taliter cum eis agant, sicut corporum eorum sanitati et animarum saluti viderint expedire.

44. Ad supplicationem abbatis de Menterna, Capitulum generale dispensat cum Etteka, scolari in Aedercloster Ordinis nostri Cisterciensis, quod non obstante natalium defectu quem patitur ex presbytero et soluta genita, poterit in Ordine et dicto loco remanere, ac in observantia Ordinis Cisterciensis Creatori debitum impendere famulatum.

45. Cum abbate et conventu de Candelio dispensat generale Capitulum eo quod ipsi haberent infra civitatem Albiensem quamdam domum, quae spectat ad ipsum monasterium iure proprietatis et antiqui dominii, de qua aliqui proventus et redditus eidem monasterio a multo tempore non provenerunt, nec speratur provenire in futurum, quod ipse abbas cum consilio sui conventus vel sanioris partis possit dictam domum ad annuum censum et emphiteosim tradere, directo dominio apud dictum monasterium semper remanente.

46. Committit Capitulum generale abbati de Candelio, s. th. pr., et de Silvanesio, quatinus ipsi personaliter accedentes ad monasterium monialium de Nonenca, videant et diligenter inspiciant certos redditus censuales, quos abbatissa dicti monasterii dicebat esse nullius utilitatis seu valoris, ob quod oportebat ipsos census minui, et secundum quod repererint, referant Capitulo generali, ut ipsum Capitulum quid super praemissis expediens fuerit, valeat deliberare.

47. Committit generale Capitulum abbati de Bolbona, quatinus per omnes censuras Ordinis et rigores et alias iuris et iustitiae remedia et vias viriliter et districte compellat omnes et singulos abbates Ordinis praedicti in provinciis Tolosana et Auxitana et alios qui sunt de generatione Grandissilvae, et alios in Ruthenensi, Vabrensi et Albiensi dioecesibus existentes, ad destinandum scolares sufficientes de suis monasteriis et aliis genera-

tionis alterius videlicet ad studium Tolosanum, cum suis bursis integris secundum taxam olim domini Benedicti XII statutam, et hoc hinc ad festum beati Martini hiemalis.

48. Cum generale Capitulum sit plenius informatum quod regentia Sancti Bernardi Tolosae per alios quam de Ordine regitur in actibus scolasticis, committit generale Capitulum regimen dictae regentiae et cathedrae abbati de Candelio, s. th. pr., inhibendo abbati Grandissilvae sub excommunicationis latae sententiae poena quod, terna et canonica monitione praemissis, in ipsum fertur mandatis Capituli generalis non obediri, ut si qui alii cuiuscumque conditionis existant, regentiam tenentes appareant, ipsos de facto a dicta regentia amovet et quietam et pacificam regentiam dicti abbati de Candelio tradere, executionem huius diffinitionis committit Capitulum generale abbati monasterii de Bolbona cum poenis et censuris Ordinis debite exsequendam.

49. Cum generale Capitulum sit plenarie informatum de moribus, sufficientia et idoneitate fratris Arnaldi de Funariis, monachi monasterii de Gimundo, capiatque idem frater Arnaldus gradum in studio sacrae theologiae professoris, dictum Capitulum ordinat et diffinit de gratia speciali, ut dicto fratri Arnaldo quantum sit in studio Tolosano per immediate sequens quinquennium, praecipiendo abbati de Gimundo ut eidem fratri Arnaldo gratiam habeat de bursa integra providere. Et hanc diffinitionem volumus per abbatem de Bolbona executioni demandari.

50. Cum generale Capitulum sit plenarie informatum de moribus, sufficientia et idoneitate fratris Aegidii de Bormanno, monachi Grandissilvae, etc. ut in proximo superiori articulo.

51. Cum generale Capitulum plenarie sit informatum quod Veziada de Gleno domicella quamdam contruxerit cameram sive domum in monasterio de Helia infra villam Croximam, Eduensis dioecesis, pro servitio tam suo quam sororis suae germanae vocatae Ioanna de Gleno, monialis dicti monasterii, timeatque sibi dictam domum seu cameram per emulas auferri, idcirco dictum Capitulum ad supplicationem abbatum de Candelio et de Bolbona confirmat et diffinit, ut dicta domus seu camera maneat dictis sororibus, et ad earum servitium sit deputata, et si una illarum decedat, et altera supervixerit, dicta domus ad vitam remaneat superstiti.

52. Ad supplicationem abbatis monasterii Verdonarum, cum

fratre Dominico de Bursali, monacho dicti loci, dispensat generale Capitulum, ut non obstante apostasia quam incurrit aliquamdiu apostatando, citra tamen habitus dimissionem, et in cappa, et iterum nunc in praefato monasterio poenitentiam sibi benigne iniunctam implevit, ad omnes actus legitimos Ordinis, voces, gradus, officia vel administrationes, etiam ad abbatiatum, si contingat, suorum superiorum beneplacito concurrente, valeat in Ordine promoveri.

53. Cum per generale Capitulum anno 1421 in Divione celebratum fuerit ordinatum et concessum abbatibus de Grandisilva et de Verdonis, ut de provinciis Viennensi, Tolosana, Auxitanensi, Arelatensi, Aquensi, Narbonensi et Burdegalensi convocarent abbates in dictis provinciis existentes, qui auctoritate Ordinis et generalis Capituli eligerent duos dominos abbates, qui vice et nomine ac sumptibus communibus omnium eorum interessent Concilio Ecclesiae generali, pro tunc per dominum nostrum Papam apud Papiam celebrando. Qui quidem commissarii per suas patentes litteras omnes abbates in dictis provinciis existentes, seu eorum maiorem partem apud Tolosam et in collegio Sancti Bernardi convocaverunt, et pro se et absentibus nominaverunt fratrem Guillelmum, abbatem monasterii de Flarano, pro cuius laboribus et expensis per ipsos certa vadia fuerunt assignata. Verum quia in levandis et petendis dictis vadiis a praedictis abbatibus ibidem praesentibus et aliis absentibus, praedicti commissarii fuerunt aliquantulum negligentes et remissi, ob quorum culpam, ut fertur, dictus de Flarano ad Concilium tunc apud Papiam celebrandum fuerit apud Senas per dispositionem domini nostri Summi Pontificis mutatum, non potuit nec adhuc potest accedere, idcirco Capitulum praesens attendens et considerans quod paucitas nuntiorum et legatorum posset esse damnosa, ordinat et diffinit cum dicto de Flarano nominato, abbatem de Candelio, s. th. pr., ad dictum Concilium destinandum esse atque mittendum. Pro quorum amplioribus expensis augmentandis ad monasteria in provinciis in dicta diffinitione nominatis, adiungimus et deputamus omnia monasteria tam monachorum quam monialium Ruthenensi, Albiensi, Vabrensi et Castrensi dioecesibus constituta, praecipiendo ac committendo iniungentes abbatibus de Bolbona et de Verdonis et alios quoscumque revocando, quatinus taxas et quotas monasteriis et abbatibus et abbatissis per generale Capitulum pro

dictis sumptibus impositas et alias dicto durante Concilio imponendas petant, levent et exigant indilate, cum iam dicti nuntii in praedicto Concilio, iam diu est, deberent interesse. Si qua vero sint aliqua monasteria in provinciis et dioecesibus praedictis, quae per dictum Capitulum taxata non fuerint, eis consideratis eorum facultatibus quotas solvendas imponant.

54. Ad petitionem abbatis et conventus monasterii de Aquabella, committit generale Capitulum abbatibus Camporum bonorum et Valliscrescentis, quatinus personaliter se transferre habeant ad monasterium de Aquabella, et plenariam faciant informationem de grangiis, quae inutiles dicuntur et inhabiles propter guerrarum turbines et mortalitatum pestes, et praecipue ad grangiam vocatam de Gandeleto, et de statu ipsarum plene inquirant, de valore existente et commodo acquirente praefato monasterio de Aquabella, si ad novum censum seu emphiteosim perpetuam traderent, et plenam informationem remittere Capitulo generali proxime celebraturo, ut per praemissam informationem Capitulum generale valeat diffinire, quid in praemissis praefato monasterio de Aquabella sit expediens seu utile.

55. Reverendis in Christo patribus dominis archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis ubilibet constitutis, necnon domino episcopo Diensis dioecesis et Valentinensis, frater Ioannes abbas Cistercii ceterique Diffinitores generalis Capituli, in Domino vivere et in Domino mori. Cum per legitimas informationes appareat nobis et Capitulo generali fratrem Petrum Fortonis, olim abbatem Valliscrescentis nunc monachum dicti monasterii, manus iniecisse violentas in abbatem dicti monasterii et nonnullos alios monachos, necnon plures et diversos excessus commisisse, propter quod in excommunicationis latae sententiae a canone et secundum Ordinis instituta sententias noscitur incurrisse, nec formidet malum malis accumulare in Ordinis praeiudicium et suae animae detrimentum inquinando plures et diversos ad illicita, et per quae status Ordinis et ecclesiasticus deturpatur. Ideo vos reverendos in Christo patres et dominos Diensem et Valentinensem in iuris subsidium humiliter supplicamus et rogamus, cum una potestas per aliam, iure dictante, iuvari debeat et fulciri, quatinus praefatum Petrum Fortonis, quem nos in hiis scriptis excommunicatum publice nuntiamus, ipsum in vestra ecclesia cathedrali et in aliis vestrae dioecesis ecclesiis

diebus dominicis et festivis faciatis publice excommunicatum nuntiari, donec a nobis et Capitulo generali meruerit absolutionis beneficium obtinere, et de eadem vobis seu vestrum cuilibet plena extiterit facta fides, parati enim sumus vobis et vestrum cuilibet in similibus [d] vel maioribus obtemperare.

56. Ad supplicationem et petitionem abbatis monasterii de Oliva, Pampilonensis dioecesis, committit generale Capitulum de Yransu abbati dictae dioecesis, quatinus monasterium de Gloria dependens immediate a monasterio de Oliva, quod quidem de Gloria adeo dicitur depaupertatum, quod in eodem decenter seu congrue abbas seu monachus non potest congrue vitam suam sustentare, nec divinum cultum in eodem adimplere, ut uniri valeat praefato monasterio de Oliva, si de ipsius abbatis de Gloria processerit voluntate.

57. Committit generale Capitulum abbati de Bolbona, quatinus per censuras et rigores Ordinis viriliter compellat omnes abbates provinciarum Narbonensis, Tolosanae, Auxitanensis et Burdegalensis, qui non solverunt subsidium impositum pro abbatibus qui missi fuerunt ad Concilium Constantiae, seu quotas eisdem impositas, ut easdem recipiat, ac Capitulo generali reportet.

58. Statuit, ordinat et diffinit generale Capitulum quod abbates de Populeto et de Scala Dei, quorum de Populeto ut reformator Ordinis per generale Capitulum deputatus, et de Scala Dei auctoritate ordinaria et paterna fecerunt certum processum seu processus unanimiter et concorditer, incipiendo super reformatione et visitatione monasterii de Berola praedicto monasterio Scalae Dei immediate subiecti, et aliquibus simultatibus intervenientibus, ipsi duo abbates ad discordiam devenerunt. Ordinat itaque dictum Capitulum, quod dicti abbates prout in concordia dictum processum seu processus inceperunt, ipsum seu ipsos concorditer, per se vel commissarios suos, continuent et determinent usque ad decisionem plenariam inclusive. Ubi autem repertum fuerit, quod ille de Berola merito veniret deponendus, depositione facta, institutionis et provisionis et confirmationis per electionem canonicam aut alias omnimoda iurisdictio penes abbatem Scalae Dei penitus remaneat.

59. Quia non comparuit in praesenti Capitulo nec sufficienter

---

[d] singulis : *L*³.

absentiam suam excusari fecit abbas de Miratorio, generale Capitulum declarat ipsum incurrisse poenam dupli expensarum, quas veniendo et redeundo sustinuisset, eidemque mandat, praecipit et iniungit in virtute salutaris obedientiae, ipsumque de Miratorio monet idem Capitulum sub excommunicationis latae sententiae ac depositionis poena, quatinus decem francos, in quibus ex ordinatione Capituli generalis anni proximo praeteriti iuvare debebat abbatem de Roseriis, in provisione sui scolaris pro anno in instanti et proximo festo beati Remigii finiendo, et alios decem pro anno in eodem festo inchoando realiter et de facto tradi faciat domino Cistercii vel eius certo mandato, infra tres hebdomadas a notificatione praesentis diffinitionis sibi facta, quarum primam hebdomadam pro primo, secundam pro secundo, et tertiam pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica sibi praefigit et assignat Capitulum memoratum.

60. Abbatem de Roseriis monet Capitulum generale, quatinus sub excommunicationis latae sententiae depositionisque poena 20 francos fratri N. de Altomonte, monacho suo studenti Parisius pro sua provisione de anno in proxime futuro festo beati Remigii inchoando mittat seu mitti faciat et sibi tradi infra tres hebdomadas a notificatione praesentis diffinitionis sibi facta, quarum primam hebdomadam pro primo, secundam pro secundo, et tertiam pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica sibi praefigit et assignat Capitulum memoratum.

1424

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.

1424. *Fontes* : L^3 : 1-45 ; P^2 : 1, 8, 44 *sub form. abbrev.* *W* : 31 *(abbrev.)*
[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V°, summ. pontif. : P^2.

2. Pro serenissimo domino nostro rege Francorum... *etc. ut in anno* 1401.

3. Pro burgensibus,... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES]

6. Quoniam in processibus tam pro quam contra sororem Luciam de Monte mororemiaco, se gestricem pro abbatissa monasterii monialium de Thesauro Beatae Mariae nostri Ordinis, per abbatem monasterii Vallium Sernaii, patrem abbatem ipsius monasterii de Thesauro, et alios certos abbates commissarios, agitatis, quamplurimae difficultates ac nodosae perplexitates involvuntur, quae sine longo tractu temporis et formidandis merito periculis gravioribus, attenta temporum qualitate, decidi posse non videntur, hiis et aliis multis moventibus Capitulum praesens habet et decernit ipsum Capitulum omnes praetactos processus esse tamquam non evenissent aut numquam fuissent inchoati, non tamen intendit nec vult ipsum Capitulum praetactorum de Vallibus et aliorum abbatum quorumcumque commissariorum honorem propter hoc in aliquo laedi, nec praefati patris abbatis auctoritatem quomodolibet impediri, quin paternalem suam iurisdictionem in praefato monasterio de Thesauro secundum formam Ordinis exercere possit et valeat, ac processum vel processus pro reformatione dicti monasterii tam in capite quam in membris, si et quoties ei videbitur expediens novum aut novos facere sicut et prout servatis constitutionibus Ordinis fieri solent et debent in talibus. Et si, quod absit, inter praedictum abbatem de Vallibus et Luciam praetensam abbatissam oriatur discordia, cuius occasione interponatur appellatio, reverendo in Christo patri domino P[etro Cauchon], divina providentia episcopo Belvacensi, supplicat humiliter idem Capitulum et abbati de Ursicampo, s. th. pr., committit iniungendo, quatinus motas et movendas inter eosdem abbatem et praetensam abbatissam querelas quascumque, partibus vocatis et auditis, decidant et fine debito terminent in ipsius Capituli et Ordinis totius plenaria potestate.

7. Generale Capitulum vult, decernit et diffinit quod abbas Ursicampi, s. th. pr., quoad contenta in diffinitione cui praesens

affigitur, tantam et talem potestatem et auctoritatem habeat, sicut dominus Cistercii et quilibet quatuor primorum.

8. Pro debitis exsolvendis et aliis communibus Ordinis oneribus supportandis generale Capitulum contributionem sex millium florenorum florentiae vel monetae aequivalentis imponit universis et singulis abbatibus, prioribus, cellerariis et bursariis monasteriorum Ordinis universi, praecipiens et iniungens quatinus summas et quotas ipsos et sua monasteria in dicta contributione concernentes et contingentes secundum quod in registris-continentur, nisi per dominum Cisterciensem modernum, cui dat dictum Capitulum generale super hoc plenariam potestatem, moderentur, solvant, et tradant integraliter et complete in terminis infrascriptis, videlicet medietatem infra festum Resurrectionis... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.

9. De Firmitate, de Claravalle, de Morimundo, de Valle Beatae Mariae et de Bella valle monasteriorum, et eorum cuilibet abbatibus committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis quas in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis repererint obligari monasterio Cistercii, ad satisfaciendum compellant auctoritate memorati Capituli viriliter et debite, et in ipsius Capituli et Ordinis plenaria potestate.

10. Ad idem pro collegio Sancti Bernardi Parisiensis, abbatibus de Ursicampo, de Valle Beatae Mariae et de Caroliloco committit Capitulum generale, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

11. Abbati de Padis committit et mandat generale Capitulum, quatinus tribuat licentiam fratri Antonio, praefati monasterii de Padis professo, ad studendum in collegio Sancti Bernardi Parisiensis, sumptibus tamen et expensis amicorum suorum, quam si denegaverit, idem Capitulum generale praefato fratri Antonio concedit.

12. Abbati de Padis concedit Capitulum generale, ut habeat auctoritatem ipsius Capituli suos subditos ab irregularitate et sententiis ac poenis Capitulo generali reservatis semel dumtaxat absolvendi, et cum eisdem in foro conscientiae dispensandi, confessoremque idoneum et nostri Ordinis, quem decreverit, eligendi, qui eum absolvat et cum eo dispenset in, de et super omnibus casibus in, de et super quibus per idem Capitulum posset absolvi et dispensari.

13. Ad idem domino Firmitatis.

14. Abbati de Heymelrode mandat et praecipit generale Capitulum, quatinus 50 florenos ex mutuo concessos per sororem Dorotheam Coëlsat, tunc monialem monasterii ad Ortum Beatae Mariae in Colonia, nunc vero professam in monasterio ad Martyres, abbatissae dicti monasterii ad Ortum, solvat et non praefatae priori Dorotheae.

15. Committit generale Capitulum abbati de Campo, quatinus sororem Dorotheam Coëlsat, alias professam in monasterio ad Ortum Beatae Mariae in Colonia, nunc vero translatam in monasterio ad Martyres, per omnes censuras Ordinis et alias iuris et iustitiae vias, viriliter et debite compellat auctoritate ipsius Capituli ad restituendum iocalia, pecunias et alia bona, quae secum tulit sine licentia suae praesidentis cum recessit a praefato monasterio ad Ortum, cuius erant huiusmodi bona, secundum iuris dispositionem et nostri Ordinis instituta.

16. Abbati Fontis frigidi mandat et praecipit generale Capitulum, in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae depositionisque poena, quatinus de solutione subsidii pro Concilio Constantiensi et contributionum, si quam fecit a decem annis citra veraciter informet abbatem de Bolbona, et quod de praedictis solvendum restat, eidem solvat et tradat termino sibi praefigendo per eumdem.

17. Ad idem abbati Grandissilvae. — Ad idem abbati Vallismagnae. — Ad idem abbati de Nisorcio.

18. Reformationem omnium et singulorum cuiuscumque sexus et generationis monasteriorum nostri Ordinis aliorumque locorum conventualium, et omnium et singularum personarum eorumdem monasteriorum et locorum in regnis et provinciis et quibuscumque dominiis serenissimorum principum Castellae, Arragoniae, Portugalliae et Navarrae regum ubilibet existentium, in quibus, prout ad Capituli generalis audientiam fide digna relatione pervenit, plurima sunt indigentia debitae reformationis officio, abbati de Populeto et alii vel aliis abbati vel abbatibus aut monacho vel monachis idoneis et sufficientibus, quos ad hoc loco sui substituendos decreverit, committit ipsum generale Capitulum in ipsius et Ordinis praedicti quantum potest plenaria potestate, eidem abbati Populeti et ab eo deputando vel deputandis praecipiens et iniungens, quatinus ad ipsa monasteria et conventualia loca personaliter accedat ubi commode poterit ipse de Populeto, ubi vero non poterit, alii vel aliis committat,

qui similiter ad loca sibi commissa accedat vel accedant, et in eis visitet, corrigat, reformet, statuat, instituat et destituat tam in spiritualibus quam temporalibus, tam in capitibus quam in membris, quaecumque in eisdem monasteriis et locis conventualibus ac regularibus personis eorumdem, visitanda, corrigenda, reformanda, instituenda, vel destituenda et rationabiliter statuenda secundum Deum, apostolica et ipsius Ordinis instituta viderit in eisdem ipse de Populeto, et similiter faciant per eum deputati. Ubi autem in eisdem monasteriis et locis praetactis ordinationes et statuta fiendae vel fienda, quacumque de causa commode seu tute fieri non possent, alibi fiant, et ad ipsa monasteria seu loca conventualia mittantur tam per ipsum de Populeto quam per deputatos ab eodem. Vult etiam et concedit generale Capitulum, quod ipse de Populeto convocare in quolibet regnorum praedictorum seu in qualibet provincia eorumdem et in loco per eum eligendo, omnes vel quos decreverit illius regni vel provinciae abbates Ordinis antedicti, et etiam quos decreverit aliarum provinciarum quoties ei videbitur opportunum, ad tractandum de corrigendis excessibus et moribus reformandis, et de cuiuscumque monasterii statu in spiritualibus et temporalibus cum Dei timore tractent inter se omnes, vel visitator cum maiore vel saniori parte, corrigat illa quae propter impedimenta non poterunt in particularibus visitationibus corrigi, instituendo vel destituendo quae statuenda fuerint iuxta constitutiones Ordinis vel antiquis statutis contrarium ordinetur.

Possint etiam ipse de Populeto et ab eo deputati vel deputandi quemcumque decreverint abbatem vel religiosum citare, seu ad suum vel aliud quodcumque monasterium evocare, et quascumque dictorum locorum regulares personas absolvere a quibuscumque sententiis Capitulo reservatis, et cum eis dispensare, easque rehabilitare sicut posset Capitulum memoratum, abbates et abbatissas aut locis conventualibus praesidentes, vel alia loca praesidentes, si sua demerita hoc requirant, tam ipse de Populeto quam ab eo deputatus vel deputati, destituant et deponant. Monasteriis pastoribus viduatis, quorum patres abbates per unam dietam distant ab eisdem monasteriis, per electionem canonicam vel provisionem de persona idonea provideant auctoritate Capituli generalis, et pensiones moderatas bene meritis abbatibus abbatissisque sponte cedentibus, cameras, et gratias talibus dari consuetas, concedant et assignent. Possint

etiam facere vel ordinare notarium seu notarios qui durante termino suae commissionis fidem faciant apud omnes tam in Ordine quam extra de singulis per eos et aliquem religiosum procuratorem, qui nomine Ordinis vel Capituli contra delinquentes, rebelles aut inobedientes procedat, ut processus et actus contra tales debitum habeant fundamentum. Item, possint ipse de Populeto et per eum deputati, non solum in monasteriis sed etiam extra monasteria ubicumque et quotiescumque casus occurret, contra quascumque regulares personas Ordini nostro subiectas procedere eo modo quo possent in monasteriis, et quod tam ipse de Populeto quam per eum deputandi, contumaces et inobedientes abbates mulctare seu condemnare valeant in poena per apostolica statuta et generale Capitulum contra non venientes ad ipsum Capitulum fulminata, et si necesse fuerit, aliam superaddere graviorem. Insuper confessiones quarumcumque personarum Ordinis et locorum praedictorum audiendi, et easdem absolvendi in, de et super casibus de quibus per idem Capitulum possent absolvi. Monasteriis quoque monialium de confessoribus idoneis et procuratoribus providendi. Concedit insuper dictum Capitulum praefato abbati de Populeto et cui duxerit committendum ad hoc vices suas potestatem inquirendi de contributionibus antiquis et non solutis easque et impositam hoc anno sex millium imponendas per immediate sequens quinquennium, contributiones cuiuscumque summae recipiendi, solventes quittandi, poenas et sententias occasione contributionum huiusmodi statutis terminis non solutarum contractas relaxandi, et cum eis super irregularitatibus eadem occasione contractis dispensandi, rebelles, negligentes et remissos in huiusmodi contributionum solutione per omnes Ordinis censuras et quascumque iuris et iustitiae vias ad solvendum viriliter et debite compellendi tam abbates quam officiarios, et si sit opus, ad generale Capitulum citandi, invocato ad praemissorum executionem si, et quoties oportunum fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis. Recipiendas autem contributiones praefatus de Populeto quolibet anno fideliter Capitulo consignari procuret, et de singulis circa praemissam reformationem per eum et eius deputatos actitatis ipsum Capitulum informari. Et haec omnia... *etc.* Universis igitur... *etc.* Praesenti diffini-

tione seu commissione per continuum quinquennium in suo robore duratura et non ultra.

19. Quia prout ad Capituli generalis audientiam fide digno relatu deductum est, quod quidam se nostri Ordinis religiosum, et in monasterio Bonifontis professum asserens, in certis monasteriis affirmavit licet mendose auctoritatem reformationis abbati de Populeto per generale Capitulum anno 1422 concessam, per nos abbatem Cistercii vel ipsum Capitulum fuisse revocatam et sibi vel alteri collatam, praesens idcirco generale Capitulum veritatem quae super omnia vincit mendacia praevalere cupiens, omnibus tenore praesentis diffinitionis manifestat quod, nec per nos abbatem Cistercii praetactum nec per ipsum Capitulum unquam revocata fuerit auctoritas huiusmodi reformationis eidem de Populeto concessa, nec alteri cuicumque collata. Quamobrem praedictum se reformatorem esse deputatum in partibus eidem de Populeto commissis asserentem, falsarium et mendacem reputat et declarat generale Capitulum, et velut talem puniendum, eidem de Populeto et omnibus aliis et singulis abbatibus Ordinis antedicti praecipiens et iniungens, quatinus si praetactum vel alium quemcumque praeter ipsum de Populeto vel deputatos ab eo in partibus in commissione sua nominatis, durante termino suae commissionis ipsi de Populeto collatae reperiant, ipsum capi faciant et sumptibus Ordinis vinculatum nobis mittant, iuxta qualitatem eius demeriti puniendum ; numquam enim fuit nec est intentionis nostrae, Cisterciensis abbatis aut Capituli commissionem huiusmodi abbati de Populeto concessam revocare, ipsam ratificat, confirmat et innovat dictum Capitulum.

20. Generale Capitulum citat personaliter et peremptorie per hanc diffinitionem abbatem de Ferraria, Calaguritanae dioecesis, ad immediate sequens Capitulum generale, eidem abbati de Ferraria in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae depositionisque poena praecipiens et iniungens districtione qua potest, quatinus in dicto generali Capitulo proxime futuro personaliter compareat, videlicet in secunda die eiusdem Capituli, responsurus in propria persona, si possit, ad ea quae sibi per Ordinis et eiusdem Capituli promotorem coram Diffinitoribus praefati Capituli proponentur et obiicientur, cum intimatione legitima,quod sive compareat sive non, contra eum via iuris et iustitiae procedetur, eius

contumacia non obstante. Praesentem vero diffinitionem eidem de Ferraria intimari per quemcumque nostri Ordinis abbatem requirendum, mandat et praecipit ipsum praesens Capitulum, qui requirendus abbas de et super huiusmodi insinuatione vel intimatione praedicto de Ferraria per ipsum factam, memoratum proxime futurum generale Capitulum debite certificari procuret.

21. Eodem modo citat abbatem de Vetericella.

22. Abbatibus universis nostri Cisterciensis Ordinis conceditur per generale Capitulum usque ad decennium, ut novitios probatos et sufficientes infra vel ante annum probationis recipere valeant ad professionem regularem, dum tamen psalterium reddiderint cordetenus, et residuo anni probationis penitus renuntiaverint, et aliud canonicum non obsistat.

23. Capitulum generale concedit abbati de Lankheim ut cum fratre Ioanne Wochner professo suo, qui sex annis et decem mensibus divina celebrando in apostasia mansit, cum dicto abbati videbitur expediens, et vera ac evidentia signa poenitentiae in dicto fratre apparuerint, super restitutione habitus et missarum celebratione, auctoritate Capituli generalis possit dispensare.

24. Capitulum generale non vult nec declarat de Ebraco et de Langheim monasteriorum abbates, ex eo quod fratrem Conradum Guynen, qui quasi per tres menses, aliquando reiecto habitu, aliquando retento, a monasterio suo apostatavit ad grangiam quamdam monasterii sine privatione habitus regularis locarunt, praesertim cum hoc non fecerint in contemptum Ordinis, sed propter bonum pacis, et ad evitandum multa damna, quae dictus frater cum multis tyrannis sibi adhaerentibus dicto monasterio intulisset, mandat tamen dictum Capitulum eidem abbati de Lankheim, ut si commode fieri potest, dictum fratrem ad monasterium proprium reducat, sibi poenam talibus apostatis debitam infligendo. Permittit tamen et concedit dictum Capitulum, quod ipse abbas cum dicto fratre, si in eo signa poenitentiae apparuerint, super restitutione habitus dumtaxat possit dispensare.

25. Capitulum generale committit de Volkelderode et de Lapide Sancti Michaelis monasteriorum abbatibus, quatinus diligenter inspiciant et fideliter se informent, utrum expedit pro monasterio Valierode quod abbas et conventus eiusdem monasterii ligneta sua prope villam Dalheym satis longe distantia a monas-

teria et minus fructuosa locent civibus oppidi Deffranhenhusen pro annua perpetua pensione, et in futuro Capitulo abbates praedicti fideliter de hiis faciant relationem.

26. Capitulum generale committit de Valle Sanctae Mariae et de Riddagsheshusen monasteriorum abbatibus, quatinus diligenter inquirant et fideliter se informari faciant, utrum expediat quod abbas et conventus monasterii Betzingerode grangiam suam in Bocla cum suis attenentiis a monasterio nimis distantem, minus utilem et infructuosam, vendant et in alia bona utiliora commutent. De quo in futuro Capitulo abbates praedicti fidelem faciant relationem.

27. Capitulum generale committit de Campo Sanctae Mariae et de Betzingerode monasteriorum abbatibus, quatinus diligenter inquirant et diligenter se informari faciant, utrum expediat quod abbas et conventus monasterii in Lucka septem mansos in Mereym sitos cum attenentiis suis, et bona sua in Gilide, monasterio minus fructuosa et utilia, necnon marcam unam cum dimidia puri argenti habitas in bonis salinaribus in Hinneborch alienare et vendere, ad redimenda alia bona monasterio magis fructuosa et monasterio magis propinquiora. De quo in futuro Capitulo fidelem faciant relationem.

28. Abbati de Veteri monte committit et districte praecipit generale Capitulum, quatinus per omnes Ordinis censuras et iuris ac iustitiae vias compellat fratrem Hermannum de Tinea, monasterii de Nepomibus, professum ad restituendum abbati dicti loci de Pennultz *(sic)* libros et quaecumque bona ipsius monasterii penes ipsum vel in eius potestate existentia, viriliter et debite compellat auctoritate Capituli memorati.

29. Cum alias per generale Capitulum dispensatum fuerit cum sorore Elisabeth Freredenbergensi, monasterii Felicis portae professae, quod non obstante quod ex fragilitate humana bina vice de puerperio convicta quondam fuerit, pro quo poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregerit, ut ad omnes actus Ordinis legitimos citra tamen abbatiatum possit promoveri, praesens Capitulum gratiam amplians, audito quod laudabiliter se gerit, sibi concedit quod etiam, si contingat et digna sibi merita suffragentur, ad abbatialem statum praemissis non obstantibus promoveri valeat et assumi.

30. De Villari et de Valle Dei monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum, quatinus de et

super controversia mota vel movenda inter abbatissam de Marchia, ratione vel occasione cuiusdam suae monialis, et nobilem virum Simonem dictum Polen de Ondorpt, ratione uxoris suae super certa hereditate dictarum monialis et uxoris dicti Simonis sororum, se diligenter informent, et vocatis auditisque partibus, et qui de iure vocandi fuerint et audiendi, auctoritate memorati generalis Capituli bonum et breve faciant iustitiae complementum.

31. Capitulum generale praecipiendo mandat abbati de Clara tumba, quod amodo non compellat abbatem de Pelplin ad missionem scolarium ad Cracoviense studium ; et si praefatus de Clara tumba contra dictum de Pelplin occasione praefati studii Cracoviensis qualescumque sententias protulerit, eas relaxat et annullat Capitulum memoratum. Vult siquidem Capitulum generale praedictum abbatem suumque conventum in gratiis sibi alias in Alemannia per Capitulum sive per dominum Cistercii concessis inviolabiliter conservare. Tandem dirigat studentem qui sibi utilius videbitur expedire. Concedit insuper memoratum Capitulum generale abbati de Pelplin, quatinus expirato triennio de solutione contributionum iam datarum, videlicet anno Domini 1415 exclusive, venerabilis abbas de Doberan maneat receptor contributionum monasterii Pelplin, sicuti ab olim extitit observatum.

32. Fratribus Martino et Siptato, qui emendatioris vitae causa recesserunt cum licentia sui superioris de Clarocampo ad monasteria Scolae Dei et ad Sanctum Benedictum in Menterna, ubi iam votum professionis emiserunt, quod non obstante illo voto iam redire valeant ad dictum Clarocampense monasterium, et in eius reformatione fideliter cooperari, petita tamen prius a suis superioribus licentia quamvis non obtenta. Idem Capitulum generale hiis praesentibus gratiose indulget et facta iterato in Clarocampo novo abbati professione, a vinculo professionis prioris absolvit.

33. Domino Cistercii reverenter committit generale Capitulum, quatinus si traditionem cuiusdam loci ad monasterium de Aceyo pertinentis vocati La Place de Corbel, ad censum perpetuum reverendissimo patri domino Theobaldo de Rubeomonte, archiepiscopo Bisuntinensi, praefato monasterio fructuosam invenerit, eam absque ulteriori relatione facienda approbet, et auctoritate praefati Capituli ratificet et confirmet.

34. Attentis oneribus debitorum et guerris quibus gravatur de praesenti monasterium Campanense, a via generalis Capituli et de missione scolaris generale Capitulum de speciali gratia abbatem loci usque ad continuum triennium habet favorabiliter excusatum, dum tamen contribuat in expensis venientium ad Capitulum, et mittat contributiones.

35. Ad serenandum conscientias Capitulum generale abbati de Sancto Benedicto in Menterna partium Frisiae, ut omnes et singulas utriusque personas regulares sibi immediate subiectas, ac abbates Frisiae et praesidentes monasteriis in Yslestein, Sebekelo, Warmont, et in Essen, cum eorum utriusque sexus suppositis semel tantum et unica vice in foro conscientiae ab omnibus peccatis sibi confessis et sententiis Capitulo reservatis absolvere, et super irregularitatis nota, auctoritate Capituli misericorditer dispensare. Et quod ipse in simili eligere valeat sibi confessorem hiis praesentibus gratiose indulget.

36. Translationem Aleydis et Velae, monialium quondam in Dailheim, Leodiensis dioecesis, professis ad Vallem gratiae, Coloniensis dioecesis, Capitulum generale approbat et confirmat, et revera, quia in Valle gratiae praedicta Deo sub debita clausura militatur et vivitur. Mandans idem Capitulum abbatissae de monasterio Dailheim praedicto sub poena suspensionis ab ingressu ecclesiae, ne in perceptione reddituum usufructualium eisdem Aleydi et Velae in Dailheim ad usus et ad vitam concessorum impedire praesumat quovismodo, quod si attentare praesumpserit, per abbatem de Campo, quem ad hoc idem Capitulum deputat, per censuram Ordinis se noverit puniendam.

37. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis de generatione Morimundi in quibuscumque Alemanniae partibus consistentium ac regularium personarum eorumdem cuiuscumque sexus, et in Metensi et Tullensi partibus, cum potestate dispensandi ac etiam absolvendi in casibus generali Capitulo reservatis, ac receptionem contributionis sex millium hoc anno impositae, et neglectorum per eadem monasteria debitarum, cum potestate compellendi debitores earumque per omnes Ordinis censuras et aliquascumque iuris et iustitiae vias ad solvendum, absolvendi solventes et quittandi, praesens Capitulum domino Morimundi committit usque ad idem proximo futurum Capitulum, in quo reddat ipse dominus de omnibus receptis per eum fidelem rationem, et pecunias inde receptas

in ipso generali Capitulo domino Cistercii fideliter consignari procuret. Committit etiam et mandat idem Capitulum praefato domino Morimundi, quatinus dicto durante tempore omnes et singulos praetactorum monasteriorum abbates convocet ad locum quem expedientem et tutum iudicaverit, ad tractandum cum eis de reformandis in praedictis Alemanniae partibus. Omnes etiam abbates, qui ad generalia studia scolares mittere tenentur, auctoritate memorati Capituli compellat ad mittendum cum debitis provisionibus, illis dumtaxat exceptis, qui per ipsum Capitulum vel dominum Cistercii sunt a dicta missione rationabiliter supportati. Vult etiam et concedit ipsum Capitulum praefato domino Morimundi, quod ubi praedicta personaliter exsequi non posset, abbati vel abbatibus, quos ad hoc censuerit idoneos vices suas committere valeat, dum tamen infradictum proxime futurum Capitulum de cunctis per eum et eius deputatos actitatis circa praemissa ipsum certificari procuret, et recipiendas pecunias in eodem Capitulo fideliter consignari.

38. Considerata nimia paupertate monasterii Silvaecanae, generale Capitulum remittit etiam omnes contributionum quotas per ipsum monasterium usque nunc debitas, et etiam pro anno instanti iam impositas.

39. Committit generale Capitulum abbati de Silvacana, quatinus auctoritate ipius Capituli compellat abbatem Mansiadae ad mittendum unum scolarem ad aliquod studium generale, necnon etiam abbatem Camporum bonorum compellat ad providendum in necessariis fratri Estorchio Fabri in Amone studenti, vel ad mittendum alium suum monachum si circa acquisitionem et exercitium scientiae ullum invenerit habiliorem.

40. Cum ampla aedificia grangiae Belliloci dependentis a monasterio Valliscrescentis gravem asseruntur minari ruinam, quia propter paupertatem nimiam abbas illius asserit se sustinere non posse, nisi id extrahat ex venditione multitudinis superfluae lapidum grangiae eiusdem. Committit igitur generale Capitulum abbati de Aquabella, quatinus iuncto sibi aliquo alio abbate nostri Ordinis informet se ad oculum de praedicto, et certificent Capitulum generale proxime futurum sub periculo animarum suarum an ita sit et an id noverit expedire.

41. Committit generale Capitulum abbatibus de Sinaqua et de Vallecrescenti et eorum cuilibet in solidum receptionem informationis eorum, quae de bonis monasterii Silvaecanae fuerit

utile ad longum tempus vel in emphiteosim concedere, de quo vel quibus certificent Capitulum generale.

42. Committit generale Capitulum de Sinaqua, de Vallecrescenti et de Francis vallibus monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum cognitionem et terminationem causarum secundum formam Ordinis, quas frater Antonius abbas Silvaecanae habet et movere intendit contra fratrem Ioannem abbatem Vallismagnae, necnon contra fratrem Ioannem Salcine, monachum et procuratorem assertum eiusdem, ratione aliquorum impedimentorum in negotiationibus sui monasterii eidem fratri Antonio illatorum, ac etiam contra fratrem Ioannem Fardonis monachum et procuratorem assertum monasterii Camporum bonorum, vel contra abbatem eiusdem ratione expensarum unius equi, per eumdem fratrem Antonium diu nutriti et ad medendum traditi. Super quibus etiam committit eisdem, ut citent partes, si opus fuerit, ad Capitulum generale. Committit etiam eisdem et cuilibet in solidum receptionem attestationis reverendis patris domini Ioannis de Vitrolis, decretorum doctoris, prioris et domini de Rometa, super quadam conventione quae facta fuisse dicitur inter dictum fratrem Antonium et abbatem Thoroneti, ex qua cum idem frater Antonius nullam cautelam habeat, suspicatur quod in futurum aliqua controversia suboriri. Quam quidem attestationem et aliorum qui interfuisse reperirentur, concedit et mandat dictum generale Capitulum recipi, partis non obstante absentia cum in remotis existat, ne defectus probationum veritas omnivilescat.

43. Committit generale Capitulum abbati de Silvacana, quatinus inquirendi de contributionibus antiquis et non solutis quoad monasteria infrascripta, videlicet de Lioncello, de Vallecrescenti, de Aquabella, de Sinaqua, de Valle sancta et de Francis vallibus easque et impositas hoc anno sex millium florenorum de florentia cuiuscumque summa recipiendo, solventes quittandi, poenas et sententias, occasione contributionum huiusmodi statutis terminis non solutarum contractas, relaxandi, et cum eis super irregularitatibus eadem occasione contractis dispensandi; rebelles, negligentes et remissos in huiusmodi contributionum solutione per omnes Ordinis censuras et quascumque iuris et iustitiae vias ad solvendum viriliter et debite compellendi, tam abbates quam officiarios, et si opus sit, ad Capitulum generale citandi, invocato ad praemissorum executionem si

et quoties opportunum fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis. Receptas autem contributiones futuro Capitulo fideliter consignari procuret. In quibus quidem monasteriis visitationem, correctionem et reformationem eidem abbati generale Capitulum etiam committit, patrum abbatum non intendens tollere potestatem. Et haec omnia et singula fiant moderatis expensis monasteriorum et locorum supradictorum, quas indilate solvere teneantur praesidentes eorumdem, ad quod si opus sit per eumdem abbatem Silvaecanae viriliter et debite compellantur per quascumque Ordinis censuras. Committit etiam eidem abbati generale Capitulum coercitionem et correctionem quarumcumque personarum Ordinis per partes illas evagantium.

44. Quia assertione fide digna pervenit ad generalis Capituli notitiam quod monasterium Vallis sanctae nostri Ordinis, Aptensis dioecesis ad tantae desolationis ruinam devenit ut monachis penitus destitutum sit, ecclesia, claustra et aliae domus adeo collapsae sunt, quod nullum ibi divinum officium fit nec monasterialiter fieri posse videtur. Ex quo abbas eiusdem loci dissolute ac minus religiose per saeculum inter laicos discurrens, proventus dicti monasterii consumit et indecenter exponit in Ordinis grande praeiudicium dedecus et contemptum suaeque salutis detrimentum, eo praesertim quia iam decursis annis sexdecim vel amplius contemnendo statuta apostolica et ipsius Ordinis ad generalia Capitula venire non curavit, licet ad illa pluries citatus extiterit. Eapropter ipsum generale Capitulum cupiens quantum cum Deo potest circa defectus et abusus huiusmodi providere salubriter, formidandis amplioribus occurrere dispendiis, de Stafarda, de Sinaqua et de Vallecrescenti monasteriorum abbatibus et eorum duobus vel uni in solidum, altero vel aliis nolentibus aut commode nequeuntibus ad praemissa vacare, aliquo tamen alio abbate Ordinis assumpto cum patre abbate, cui non intendit Capitulum in aliquo derogare, committit generale Capitulum, quatinus ad praefatum Vallis sanctae monasterium, et ubi fuerit opportunum personaliter accedentes, de vita, moribus, conversatione abbatis ipsius monasterii Vallis sanctae ac de suo regimine et ipsius monasterii statu diligenter inquirant, et foret expediens dictum monasterium Vallis sanctae monasterio de Silvacana, cui subest immediate, unire vel annectere, et si sic, inducant ipsum de Valle sancta ad sponte cedendum,

et in aliquo alio monasterio residendum. Quod si forte pertinaciter obstiterit, illum citent personaliter et peremptorie ad competentem diem coram domino Cistercii, vices ipsius Capituli gerente, sub depositionis poena compariturum, causas si quas praetendere voluerit ostensurum, et ad ea quae sibi proponentur vel obiicientur in persona responsurum, cum intimatione legitima, quod si non comparuerit, in causa via iuris et iustitiae procedetur, eius absentia vel contumacia non obstante. De praedicta citatione et aliis quibuscumque circa praemissa per eos actitatis opportuno tempore praefatum dominum Cistercii debite certificantes.

45. Quia ex relatu pariter et querela quorumdam coabbatum nostrorum venerabilium de Anglia ad audientiam nostram dictique generalis Capituli aliqualem notitiam plenius est deductum, de et super quibusdam gravaminibus, despoliationibus et iniuriis factis Willelmo Branley, nostro coabbati de Ryevalle in Anglia praedicta, minus debite illatis per quosdam commissarios in visitatione sua, videlicet fratrem Ioannem et Willelmum de Fontibus et de Kirkestall monasteriorum eiusdem Ordinis coabbates supradicti, pro quibus quidem gravaminibus et iniuriis relevandis ex parte dicti fratris Willelmi abbatis interposita erat appellatio debita cum instantia a dicto Capitulo determinanda, nihilominus tamen sine ulteriori notitia partisque adversae alias citatae praesentia contra praemissa gravamina et articulos eorumdem decreverit non procedere dictum generale Capitulum, nec ipsa negotia et ea tangentia in eodem fine debito terminare, quare venerabilibus coabbatibus dicti Ordinis de Bello loco regis et de Thama Angliae memoratae, cum omnimoda potestate et auctoritate sua plenaria, loco nostrum, citandi et inhibendi, monendi, suspendendi cum ceteris censuris quibuscumque necessariis in hac parte contra rebelles quoscumque fulminandi. Necnon facta diligenti inquisitione super praemissis omnibus et singulis, locis et temporibus ipsis magis opportunis, fine debito sententialiter determinandi secundum iustitiae complementum ; diffinit partemque committit idem generale Capitulum vices suas cum suis clausulis necessariis et appenditiis universis in virtute sanctae obedientiae mandamus eisdem praescripta exsequi quantocius cum effectu. Item, diffinit idem generale Capitulum mandatque abbatibus praedictis, ut faciant providere interim, usque ad finalem sententiam latam, dicto fratri Willel-

mo abbati de bonis monasterii praefati Ryevallis necessarias et rationabiles expensas, pro statu suo et causis supradictis finaliter exsequendis.

1425

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimi quinto, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensi Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis et inclitae recordationis dominis quondam nostris dominis Philippo, Ioanne, Carolo ac Carolo regibus Francorum... *etc. ut in anno* 1401.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Pro debitis persolvendis et aliis communibus... *ut in anno praec. n°* 8

7. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum et approbat.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

8. Abbatibus de Monte Sanctae Mariae, de Altacumba, de Alpibus, de Stamedio, de Alto Cristo, de Sancto Sulpitio, de Chassania, de Bonomonte, de Tela, de Altaripa, mandat et praecipit Capitulum in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis et depositionis poena, quatinus infra proximum festum Omnium Sanctorum quilibet eorum mittat ad studium

---

1425. *Fontes* : L^3 : 1-73 ; *M* : 51, 52, 69, 70 ; P^2 : 1, 7, 36, 42, 51, 52, 69, 70 ; *W* : 52, 70 *(abbrev.)*. [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V : P^2.

Parisiense unum scolarem, cum bursa et provisionibus debitis et opportunis.

9. Abbates de Monte Sanctae Mariae et de Bullione citat generale Capitulum ad comparendum personaliter in proximo futuro generali Capitulo, responsuros ad obiicienda eisdem per Ordinis promotorem.

10. Domino Morimundi committit generale Capitulum, quatinus si repererit fore obligatum vel aliqualiter teneri abbatem de Escureyo Henrico de Xaussuris, ad satisfactionem plenariam viriliter coerceat et compellat per censuram Ordinis, auctoritate Capituli memorati.

11. Abbati de Escureyo praecipit et mandat generale Capitulum, quatinus non obstante quod frater Ioannes Martini, monachus suus absque eiusdem licentia ordinem presbyteratus obtinuerit, consensu tamen patris abbatis per ipsum obtento, propter quod praedictus abbas de Escureyo dictum fratrem Ioannem celebrare minime patitur, ipsum fratrem amodo sicut et alios conmonachos missam cantare permittat, nec in aliquo hac de causa impediat seu inquietet.

12. Abbati de Bello loco regis in Anglia, s. th. pr., generale Capitulum committit plenariam potestatem et mandatum reformandi, visitandi et corrigendi studium Oxoniense, Lyncolniensis dioecesis, et compellendi per censuras Ordinis omnes et singulos abbates ad mittendum scolares ad dictum studium, iuxta formam et tenorem statutorum felicis recordationis domini Benedicti Papae XII.

13. Abbatibus de Bello loco regis et de Thama praecipiendo committit Capitulum generale, quatinus inquirant et diligenter se informent, si sit expediens monasterio de Gratiis iuxta turrim Londinensem, quod silvae non caeduae ab ipso monasterio plurimum distantes vendantur, aut quod nativi eiusdem monasterii manumittantur. Et si eis videatur commodum et utile, eidem monasterio de Gratiis huiusmodi venditiones et manumissiones fieri, tunc licentient praedictum abbatem de Gratiis ut silvas huiusmodi vendat, et nativos manumittat auctoritate Capituli generalis, dummodo pecuniae inde provenientes in utilitatem praefati monasterii de Gratiis convertantur.

14. Abbati de Roseriis mandat et praecipit in virtute salutaris obedientiae et sub poena excommunicationis et depositionis Capitulum generale, quatinus fratrem Nicolaum de Alto-

monte, religiosum suum et studentem in collegio Sancti Bernardi Parisius, dispositum ad accessionem sciêntiae salutaris, et gradus in ea recipiendi, et etiam ordinatum ad lecturam ordinariam bibliae in eodem studio anno futuro peragendum, non revocet a dicto studio sine mandato speciali dicti Capituli, quinimo sibi de bursa competenti et necessariis provideat secundum statuta tam felicis memoriae domini Benedicti XII, quam Ordinis et Capituli generalis.

15. Per generale Capitulum alias habilitatus ad omnes status, gradus Ordinis legitimos, abbatiatu dumtaxat excepto, frater Ioannes de Pullencuria, monachus Clarifontis, gratiam ampliando etiam ad abbatialem dignitatem admitti valeat, si sua merita suffragentur, praefatum Capitulum generale permittit.

16. Petitionem abbatis Frigidi fontis annuens Capitulum generale pro fratre Ioanne Cogolli, monacho professo monasterii Populeti nunc existente in dicto monasterio Fontis frigidi, attenta dispensatione eidem facta per reverendissimum patrem dominum cardinalem de Fuxo, legatum domini nostri Papae, audita etiam corporis eius infirmitate ac debilitate, ut remaneat dictus frater in dicto monasterio Fontis frigidi conceditur per dictum Capitulum generale.

17. Dominis de Firmitate, de Claravalle, et de Maceriis et de Clarofonte monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis, quas in quibusdam pecuniarum summis aut rebus aliis repererint obligari monasterio Cistercii, ad satisfaciendum compellant auctoritate memorati Capituli viriliter et debite, in ipsius Capituli et totius Ordinis plenaria potestate.

18. Ad idem pro domino Claraevallis, domino Morimundi et abbati de Theoloco committitur per Capitulum generale.

19. Ad idem pro domino Morimundi, de Bellavalle, de Theoloco et de Clarofonte.

20. Ad idem pro abbate de Bolbona, de Cadunio et de Gimundo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet.

21. Ad idem pro abbate Theoloci, dominis de Claravalle, de Morimundo, et abbatibus de Caroloco et de Clarofonte.

22. Ad idem pro abbate de Dulcivalle, de Caroloco et de Clarofonte monasteriorum abbates et eorum cuilibet.

23. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum

fratre Petro Darpenans, monasterii de Bithania expresse professo, qui per spatium unius anni cum dimidio per saeculum vagando, habitu regulari deposito, damnabiliter apostatavit, et postmodum voluntarie rediens poenitentiam sibi propter hoc iniunctam humiliter et devote peregit, ut hoc non obstante ad omnes actus, gradus, cum honoribus legitimis admittatur, nihilominus abbatiatus honore secluso.

24. Ad idem fiat pro fratre Hymberto de Dombenoy, dicti monasterii de Bithania professo, qui apostatavit ab Ordine bina vice quasi per spatium unius mensis, non tamen habitu regulari derelicto.

25. Domino Morimundi committitur per generale Capitulum, ut quamcitius poterit ad monasterium Lapidis Sancti Michaelis personaliter accedens, inquirat diligenter an venditio facta per abbatem et conventum de quadam grangia vocata Resin, sit ipsi monasterio utilis et fructuosa ; et quidquid super hoc repererit, sequenti anno referat Capitulo generali.

26. Ad supplicationem et requestam abbatis et conventus de Volkerode committitur per generale Capitulum domino Morimundi, quatinus inquirat diligenter, an dicti abbas et conventus possint locare aliqua bona in emphiteosim perpetuam, et super hoc intentionem suam notificet anno futuro Capitulo generali.

27. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum tam virorum quam mulierum Ordinis nostri in regnis Daniae, Sueciae, et Norvegiae, ac receptionem contributionum committit generale Capitulum abbati de Sora per immediate sequentes sex annos. Eidem de Sora praecipiens et iniungens... *etc. ut in forma consueta.*

28. Commissionem reformationis et contributionum receptionis in provincia Viennensi et dioecesi Caminensi, alias concessam fratri Helmano tunc abbatis monasterii Doberanensis, fratri Bernardo nunc abbati eiusdem loci continuat generale Capitulum, et in suo toto tenore durare vult et decernit per sex annos continuo secuturos.

29. Ad idem abbati de Clara tumba pro abbatibus de Polonia et de Slesia.

30. De Puro campo et de Novocampo monasteriorum abbatibus committit Capitulum generale, quatinus se diligenter informent an expediat monasterio Dobrinensi certas villas, eidem monasterio pertinentes in partibus Slaviae situatas, videlicet

Tessenove, Glyn et Czerghelin, transmutari in alia bona eidem monasterio proquinquiora et utiliora, et quidquid repererint, per suas patentes litteras sequenti referant Capitulo generali.

31. Abbati de Bonavalle Ruthenensi mandat et districte praecipit in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena generale Capitulum, quatinus summa 64 librarum turonensium parvorum, quam dicitur de resta receptae per eum factae de subsidio Constantiensi, sicut patet per computationem per eum habitam cum abbate Vallisbenedictae, tradat et solvat indilate abbati de Bolbona. Insuper informet eumdem de Bolbona de solutione contributionum a decem annis citra per idem Capitulum impositarum, et sibi solvat terminis praefigendis per eumdem de Bolbona, quem solum et in solidum huiusmodi contributionum receptorem in illis partibus constituit et ordinat Capitulum memoratum, quidquid per legitimum computum apparebit ipsum de Bonavalle ratione praedictarum contributionum debere.

32. Abbati Bonaecumbae mandat generale Capitulum et praecipit in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus de contributionibus per dictum monasterium Bonaecumbae debitis et soluti a 15 annis citra, et de quota sua subsidii quondam per ipsum Capitulum impositi pro sumptibus ambassiatorum Ordinis ad generale Concilium Constantiense destinatorum, computet gratiose cum abbate de Bolbona, quem ad hoc specialiter deputat et ordinat dictum Capitulum in plenaria potestate, et eidem solvat fideliter quidquid de praedictis reperietur per ipsum monasterium Bonaecumbae deberi.

33. Abbatissae de Nonenca mandat Capitulum generale sibique praecipit in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus indilate solvat abbati de Bolbona vel eius certo mandato summam sibi impositam de subsidio per idem Capitulum ordinato quondam, pro via Concilii Constantiensis.

34. Abbatibus de Silvalata in Biennio et de Orles, Burdegalensis dioecesis, mandat generale Capitulum et praecipit in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus de contributionibus per ipsorum monasteria debitis et solutis a 15 annis citra gratiose computent cum

abbate Pontisalti, et ei solvant quidquid per eorum monasteria de praedictis contributionibus reperietur esse debitum.

35. Capitulum generale ordinat et decernit quod frater Simon de Montigneyo, abbas monasterii Pontis tieffredi, non obstante quadam electione quae dicitur facta fuisse de persona sua ad monasterium de Villerio per eum acceptata, ad dictum monasterium Pontis thieffredi redeat, et administrationem eius exerceat ac ut prius possideat et gubernet.

36. Committitur per generale Capitulum fratri Boygne, abbati de Sancto Benedicto in Menterna, nunc vero electo et confirmato per generale Capitulum in abbatem monasterii de Clarocampo, quatinus absolvat abbatem et monachos monasterii de Walkenrode a sententia excommunicationis quam incurrerunt pro et ex eo quod sacramenta ecclesiastica sine curatorum licentia ministrarunt, in quadam grangia dicti monasterii saecularibus personis, et super irregularitatis nota exinde contracta, misericorditer auctoritate dicti Capituli dispensat per se vel per alium ab eo substituendum.

37. Generale Capitulum committit patri abbati monasterii monialium Keyzerbuchen, Leodiensis dioecesis, quatinus super transitu sororis Elisabeth de Hurne, professae dicti monasterii de Keyzerbuchen, ad monasterium de Burbach, Coloniensis dioecesis, si sibi visum fuerit, dispensat et licentiam conferat, auctoritate dicti Capituli generalis.

39. Abbati de Claritate committit generale Capitulum, quatinus fratrem Philippum monachum suum, super iniectione manuum violenta et sanguinis effusione in quemdam clericum saecularem et in loco sacro, absolvere, parte laesa contentata.

39. Ad idem committitur abbati Cariloci pro fratre Guillelmo de Mosturelle, monacho suo, super iniectione manuum violenta in presbyterum saecularem, citra tamen sanguinis effusionem.

40. Electionem factam de persona fratris Ioannis de Bruxella, s. th. pr., dudum abbatis de Crista ad monasterium Theoloci, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

41. Abbati Veteris montis committitur, quatinus si sibi visum fuerit, licentiam conferat sorori Dorotheae Coelzarche sibi immediate subiectae, ad aliud monasterium paris aut arctioris observantiae transeundi.

42. Conceditur abbati de Lapide Sancti Michaelis, quatinus

omnes et singulas personas suum monasterium in die dedicationis visitantes participes efficiat omnium bonorum spiritualium, quae fiunt in suo monasterio antedicto.

43. Abbatibus de Doberan, de Purocampo, de Novocampo et de Hyddenze concedit generale Capitulum, ut omnes regulares personas eisdem immediate subiectas, in foro conscientiae semel tantum absolvere valeant ab omnibus casibus eidem Capitulo reservatis, et super irregularitatibus cum eis, ut posset idem Capitulum, dispensare. Quod insuper quilibet eorum confessorem idoneum de Ordine possit eligere, qui cum eo semel etiam tantum dispenset et eum absolvat auctoritate memorati Capituli, sicut posset Capitulum antedictum.

44. Ad idem abbatibus de Campo, de Veterimonte, de Heysterbach, de Loco Sanctae Mariae.

45. Abbatibus de Veterimonte et de Loco Sanctae Mariae, Coloniensis dioecesis, committit generale Capitulum, quatinus de et super querela vel discordia mota vel movenda inter abbatissam ad Ortum Sanctae Mariae infra muros, Coloniensis dioecesis, et sororem Dorotheam alias professam in eodem monasterio, nunc autem in monasterio ad Martyres, se diligenter informent, et veritate comperta faciant partibus, auctoritate totius Ordinis, iustitiae complementum.

46. Capitulum generale cum fratribus Waltero Linthacher et Conrado Erelweclz, sacerdotibus et monachis professis monasterii Fontis salutis, de et super contagio carnis convictis, si et in quantum iuxta formam Ordinis emendati fuerint, ut asseritur, super restitutione gradus dispensat et concedit, ut ad omnes actus legitimos, administrationes ac dignitates Ordinis, citra dignitatem abbatialem, promoveri possint et admitti.

47. Ad idem cum sorore Valpulga Gosdofferin, moniali monasterii Felicis portae, quae de puerperio convicta fuit olim semel.

48. Attentis magnis et multiplicibus viarum periculis, excusantur ab accessu ad praesens generale Capitulum omnes et singuli abbates, qui ad praesens Capitulum non fuerunt.

49. Dominis Claraevallis, Mortuimaris, Theoloci et de Bolbona committitur per generale Capitulum, quatinus secundum deliberata per Diffinitores ipsius Capituli circa factum monasterii de Villerio Metensi, diffinitionem ordinent iuxta discretionis suae arbitrium, substantia non mutata.

50. Quia frater Antonius Bonifacii, abbas monasterii Silvae-

canae, Aquensis dioecesis, ipsum monasterium diruptum et desertum repererit et recepit, et ob hoc deficientibus redditibus, tam pro sui sustentatione quam etiam pro negotiorum et causarum ipsius monasterii procuratione et prosecutione, a nonnullis mutuo subventionem recipere oportuit, cuius causa nunc timet verisimiliter a creditoribus vexari ; eapropter generale Capitulum de paupertate ipsius monasterii sufficienter informatum cupiens litium anfractus et expensarum detrimenta eidem monasterio vitare, dicto abbati Silvaecanae super hoc remedium postulanti ordinat et concedit, ut aliqua de bonis ad idem monasterium pertinentibus possit impignorare seu locare, etiam pro futuro tempore usque ad summam 150 librarum, de quibus valeat suis creditoribus satisfacere, sibi et monasterio subvenire.

51. Quoniam monasterium Vallis sanctae, Aptensis dioecesis, propter guerrarum turbines et mortalitatum pestes diruptum, destructum et dehabilitatum dudum cum vacaret, per reverendissimum in Christo patrem dominum Cisterciensem, generalis Capituli Ordinis Cisterciensis plenaria auctoritate fungentem, unitum, annexum et incorporatum extitit monasterio Silvaecanae, Aquensis dioecesis, etiam eisdem causis depaupertato, cui immediate dictum monasterium Vallis sanctae suberat ; eapropter praefatum generale Capitulum, auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae, ex privilegio super hoc sibi concesso, praetactam unionem, annexionem et incorporationem ac executionem per abbatem Sinaquae inde factam approbat, ratificat et confirmat, et si et quantum opus est de novo unit, annectit et incorporat, decernans propter huiusmodi unionem, contributionum quotam monasterium Silvaecanae contingentem augeri non debere, approbansque et confirmans provisionem de ipsis monasteriis fratri Antonio Bonifacii, baccalario in decretis, factam tamquam iustam et condignam.

52. Visis et diligenter examinatis processibus per abbatem Morimundi factis contra fratrem Ioannem de Gibertovillari, abbatem monasterii de Villerio, Metensis dioecesis, et omnibus pro utraque parte productis et exhibitis in praesenti Capitulo, declarat ipsum Capitulum praefatum fratrem Ioannem dicti monasterii Villeriensis abbatem potuisse rationabiliter et debuisse ac posse deponi, et ex verisimilibus coniecturis formidat ipsum Capitulum, ne si dictus frater Ioannes in dicto monasterio maneat abbas, ad extremae desolationis ruinam spiritualem et

temporalem in brevi deveniat ipsum Villeriense monasterium, quod avertat Omnipotens, iam, proh dolor! nimis desolatum, quibus non obstantibus illustrissimo principi domino duci Lotharingiae ac marchioni quantum potest complacere cupiens ipsum Capitulum, ob ipsius contemplationem consentit, quod si omnino placeat eidem principi praefatum fratrem Ioannem manere abbatem dicti Villeriensis monasterii, exonerat tamen dictum Capitulum quoad hoc conscientias suas; si autem gratum sit memorato principi, quod idem frater Ioannes abbatui eiusdem Villeriensis monasterii cedat et renuntiet, attentis periculis imminentibus et merito formidandis, concedit saepedictum Capitulum quod praefatus princeps serenissimus nominet quemcumque monachum vel abbatem nostri Ordinis, quem ad regimen vel abbatiatum supradicti monasterii Villeriensis iudicaverit idoneum, et quod abbas eiusdem Ordinis quicumque per ipsum principem requirendus, vel quem princeps, ad hoc duxerit eligendum, illum quem nominabit ipse princeps auctoritate supradicti Capituli et totius Ordinis instituat abbatem saepius repetiti monasterii Villeriensis, observatis in hoc quantum fieri poterit apostolicis et ipsius Ordinis regularibus institutis. Memoratum vero fratrem Ioannem, ob tanti principis reverentiam, habebit praefatum Capitulum opportunis temporibus et loco gratiosius et favorabilius recommissum, eidem generosissimo principi supplicans humillime praefatum Capitulum, quatinus oratores suos abbatem, conventum et monasterium Morimundi super ista materia dignetur habere benigniter excusatos et in suis necessitatibus commendatos, dictoque abbati Morimundi, cum requiret, audientiam concedere gratiosam.

53. Pro reformatione studii Tolosani, ut statutum felicis recordationis domini Benedicti Papae XII irrefragabiliter observetur, et Ordo ipse deinceps magis polleat et illustretur doctoribus, committit generale Capitulum domino abbati de Bolbona, quatinus omnes et singulos abbates Ordinis, maxime quibus facultas suppetit, et qui iuxta praetactum statutum ad dictum studium mittere tenentur, per omnes poenas et censuras Ordinis et alias quascumque iuris et iustitiae vias compellat ad mittendum ibidem, et quos idem de Bolbona dicto studio aptiores et magis idoneos invenerit, illos cum sufficienti a proprio monasterio provisione illuc per easdem censuras mitti faciat et compellat.

54. Domino Morimundi committit generale Capitulum potestatem et auctoritatem plenariam omnia et singula monasteria suae generationis, tam mediate quam immediate sibi subdita, in quibuscumque regnis et dominiis Allemanniae, Hungariae et Poloniae, ac provinciis earumdem partium et Bisuntina, cuiuscumque sexus existant, per immediate sequens biennium reformandi, abbates et abbatissas eorumdem monasteriorum, si sua requirant demerita durante praedicto termino destituendi et instituendi, corrigendi personas regulares universas in praedictis locis, et earum confessiones audiendi, ipsasque absolvendi ab omnibus casibus Capitulo reservatis ; et generaliter omnia et singula circa praedicta faciendi quae faceret Ordo totus, cum potestate unum vel plures substituendi, et iterum revocandi qui in omnibus et singulis praedictis consimilem habeat seu habeant potestatem. Insuper in dictis locis et monasteriis contributiones recipiendi, et ab aliis per ipsum Capitulum deputatis collectoribus collectas sibi tradi faciendi, durante termino supradicto.

55. Generale Capitulum mandat et praecipit abbatissae Sancti Remigii prope Rochefort, quatinus det seu conferat sorori Mariae de Boyn moniali suae quittantiam professionis et licentiam in alio monasterio eiusdem Ordinis profitendi, dummodo illud aliud subdatur immediate domino Cistercii, alioquin si abbatissa et has quittantiam et licentiam conferre noluerit, generale Capitulum sibi confert easdem.

56. Super petitione abbatis et conventus Caesariensis de licentia vendendi res immobiles usque ad valorem 2000 florenorum, datur per generale Capitulum inspector dominus Morimundi, cui committitur ut de hac materia se diligenter informet, et in futuro proximo generali Capitulo referat quod invenerit.

57. Domino abbati de Populeto committit generale Capitulum, quatinus per omnes censuras Ordinis et alias quascumque iuris et iustitiae vias compellat viriliter de Sanctis Crucibus et de Petra monasteriorum abbates, quod fratres Guillelmum Blanci, in sacra theologia licentiatum, et Petrum Petry de Mora in eadem sacra theologia praesentatum, in studio Tolosano retineant cum provisione sufficienti usque ad magisterium inclusive, praesertim attento quod qui diu laudabiliter in scolastici exercitii currerunt studio, illos ab adeptione bravii prohiberi non congruat, et quod Ordo ipse summe talibus opus habet.

58. Cum fratre Iacobo de Sampiniaco, monacho monasterii

de Gardo, dispensat generale Capitulum super periurio, vult et decernit quatinus sibi hac de causa nil obsistere quominus ad omnes actus legitimos; status, voces et dignitates etiam abbatiali inclusa promoveri valeat et assumi.

59. Accensuationem annuam et perpetuam, seu donationem in emphiteosim cuiusdam domus sitae Lingonis, factam per abbatem et conventum monasterii Theoloci, ipsum generale Capitulum tamquam utilem dicto monasterio approbat et confirmat.

60. Accensuationem seu donationem ad vitam quorumdam molendinorum de Rozeriis super Karum, factam per abbatem et conventum monasterii de Pratea permittit et concedit, secundum statuta Ordinis, ipsum Capitulum generale.

61. Mandat, praecipit in virtute salutaris obedientiae et iniungit generale Capitulum abbati Signiaci, quatinus coabbatem suum Vallis Sancti Lamberti inducat, et si fuerit opus, auctoritate Capituli generalis compellat, ut pecunias quas exponere et expendere deberet, tenendo per annum praesentem et futurum Parisius unum scolarem, fratri Werico dicti monasterii Vallis Sancti Lamberti, religioso in sacra theologia baccalario formato, et de propinquo, annuente Deo, licentiato tradat et deliberet, excusationibus quibuscumque postpositis, medietatem infra proximo futuram Resurrectionis Dominicae solemnitatem, et aliam medietatem per duos menses ante suam aulam, in suarum expensarum aliquale relevamen. Quod si fecerit dictus abbas Vallis Sancti Lamberti, eum et eius monasterium de mittendo scolare ad studium Parisiense duobus dictis annis habemus et habebimus benigniter excusatum.

62. Abbatissae de Lintris mandat et districte praecipit in virtute salutaris obedientiae Capitulum generale, quatinus sororem Beatricem de Beringem alias eiusdem loco professam, nunc vero de Marchia, recipiat ad locum suum pristinum et regularem obedientiam sicut ante.

63. Capitulum generale approbat et ratificat provisionem factam per venerabilem patrem dominum abbatem Claraevallis abbati de Sancto Benedicto in Frisia, de et super abbatia de Clarocampo.

64. Capitulum generale abbatibus provinciae Coloniensis et praecipue abbatibus Frisiae, quatinus omnibus dominicis et diebus in Ordine praedicabilibus solemniter in assistentia saecularium, excommunicent tamquam fugitivum fratrem Aylebar-

dum occupantem per vim et potentiam saecularium abbatiam Clarocampensem, de qua abbati de Sancto Benedicto in Menterna solemniter et iuxta Ordinis instituta per venerabilem patrem dominum Claraevallis est provisum.

65. Capitulum generale concedit abbati de Sancto Benedicto in Menterna fructus, proventus et emolumenta grangiae dictae in Commelo, spectantis ad monasterium Clarocampense, cuius ipse est verus abbas, quamvis propter proterviam et rebellionem fratris cuiusdam Aylebardi, de Ordine sancti Benedicti, sedem dictae abbatialis dignitatis occupantis, realem nondum habere poterit possessionem, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

66. Capitulum generale concedit abbati de Sancto Benedicto in Menterna auctoritatem semel et tantum unica vice audiendi omnium utriusque sexus personarum regularium, tam abbatum quam supradictorum partium Frisiae et trium prioratuum, videlicet Yslesteen, Sibekelo et Vearmonda cum monasteriis sanctimonialium in Yesse et Assen, confessiones auctoritate Capituli generalis, et absolvendi eos etiam in casibus Capitulo reservatis, et super irregularitatis nota dispensandi, et quod idem abbas sibi in consimili forma valeat eligere confessorem de Ordine.

67. Capitulum generale concedit abbati de Sancto Benedicto auctoritatem visitandi, corrigendi et reformandi utriusque sexus monasteria Frisiae et ab eis dependentia, in plenaria Ordinis potestate.

68. Ad supplicationem abbatis de Campo, Coloniensis dioecesis, Capitulum generale concedit abbati de Sancto Benedicto auctoritatem reformandi et sibi cooperandi in reformatione monasterii sanctimonialium in Honope prope Daventriam, ipsi abbati de Campo immediate subiecti, cum ipse abbas Campensis idem monasterium sicut voto gerit propter potentiam consanguineorum et amicorum monialium dicti monasterii, sub quorum manibus curiae et grangiae monasterii Campensis firmatae sunt, sine assistentia et auctoritate Capituli generalis reformare nequit.

69. Capitulum generale revocat diffinitionem anno Domini 1423 editam de et super esu carnium, abbatibus et praesidentibus auctoritatem dispensandi cum monachis et conversis continue in grangiis degentibus tribuente, quia multi vigore illius diffinitionis in scandalum Ordinis metas excedunt.

70. Capitulum generale committit abbatibus de Campo et

de Sancto Benedicto in Menterna, quatinus illa quae non serviunt devotioni priorum et fratrum monasteriorum in Yslesteen, Sibekelo et Warmunda [c] novellae plantationi et Ordini Cisterciensi nuper incorporatae, quae continentur in diffinitionibus et libris Ordinis, et non sunt magni ponderis propter removendum scrupulum, tollent, et si quae magis viderint eorum deservire devotioni quae non sunt contra Ordinem, ea auctoritate Capituli generalis approbent, in quibus Capitulum dictorum abbatum onerat conscientias, et dicta monasteria nondum ad quotas contributionum taxata propter eorum exilitatem et novitatem Capitulum generale quomodolibet taxat ad duos florenos boni auri et iusti ponderis, quolibet anno quantacumque etiam quota fuerit pro contributionibus imposita. Et committitur dictis abbatibus de Campo et de Sancto Benedicto in solidum, ut si fratres monasteriorum in Sibekelo et Yesse aliquas pecias praediorum minus utilium poterint in utilius commutare, quod auctoritate Capituli imponant quibuscumque constitutionibus in contrarium editis non obstantibus.

71. Capitulum generale committit abbatibus de Florido campo et de Sancto Bernardo, partium Frisiae, ut inducant conventuales, moneant caritative et praecipiant auctoritate Capituli generalis, quatinus fratri Wiardo, monacho et sacerdoti ibi professo, quem miserabiliter excaecaverunt, in vitae necessariis sicut alteri monacho, ne in scandalum cleri et opprobrium Ordinis ostiatim invenire *(sic)*, provideant.

72. Capitulum generale dispensat cum fratre Ioanne, converso Scolae Dei, qui in scandalum Ordinis habitum religionis Cisterciensis vagatur per mundum, et non est aliquo modo reducibilis ad suum monasterium propter odium capitale quod concepit adversus suum abbatem, quod licite transire poterit ad aliud monasterium paris vel arctioris observantiae, ubi voluntarios invenerit receptores.

73. Capitulum generale committit priori monasterii in Sibekelo, patri monasterii sanctimonialium in Yesse, quatinus auctoritate Capituli generalis, si alias sibi visum fuerit expediens, dispenset cum sorore Yvocla, conversa dicti sanctimonialium monasterii in Yesse, quod non obstante quod habitum conversae

---

[c] Bearmonda : L^3P^2, Beamunda : *M*.

receperit, si alias poterit addiscere litteras, in sanctimonialem recipiatur.

1426

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Pro debitis persolvendis... *etc. ut in anno* 1424.

7. Editas anno praeterito in generali Capitulo diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

8. Auditis rebellionibus, pertinacia et inobedientia fratris Ioannis de Graveria, monachi monasterii de Miratorio, qui domino Cistercii, Patri abbati dicti monasterii et totius Ordinis reformatori, ingressum dicti monasterii de Miratorio denegavit, et per saecularem potentiam sine quocumque rationabili titulo, contra justitiam, statuta et omnem iuris ordinem, se fecit intrudi et installari in abbatem dicti monasterii de Miratorio, multiplices excommunicationum sententias incurrendo, et sic ligatus in contemptum Ordinis et statutorum, ecclesiasticaeque

---

1426. *Fontes* : L^3 : 1-63 ; *M* : 8, 23, 30, 45, 55, 57, 59 ; P^2 : 1, 7, 8, 23, 24, 25, 30, 45, 55, 57, 59 ; *U* ; 23, 30 ; *W* : 23 *(abbrev.)*, 24 *(abbrev.)*, 30, 45, 55, 59
[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V : P^2.

censurae se divinis pluries immiscuit, bonaque dicti monasterii mobilia pro maiori parte impignoravit et alienavit et multa pro libito suae voluntatis, et sine quacumque voluntate, prout haec omnia coram Diffinitoribus publice recognovit, generale Capitulum dictum fratrem Ioannem de Graveria decernit et declarat in firmis carceribus et vinculis, pane doloris et aqua tristitiae per continuum triennium detineri.

9. Quia abbas de Bolbona commissus anno praeterito ad recipiendum contributiones per abbates in sua commissione nominatos debitas, negligenter in huiusmodi collatione se habuit et habet, prout praesenti Capitulo fuit intimatum, eidem mandat et districte praecipit idem Capitulum, quatinus quotas contributionis sex millium librarum per ipsum praesens Capitulum impositas et praecedentium arreragia requirat diligentius et debitores per omnes censuras Ordinis et alia quaecumque iuris et iustitiae remedia viriliter et debite compellat ad solvendum, rebelles in hoc, si qui fuerint, peremptorie citet ad proximo futurum generale Capitulum, visuros se declarari poenas et sententias in papalibus et Ordinis statutis contra tales fulminatas incurrisse, et ulterius contra eos, iustitia suadente, procedi.

10. Domino Morimundi committit generale Capitulum reformationem et contributionum receptionem in monasteriis suae generationis in dioecesibus Lingonensi, Tullensi et Metensi existentibus, in plenaria ipsius Capituli potestate.

11. Auditis propositis per venerabilem abbatem Theoloci, s. th. pr., contra fratrem Ioannem Bloet Scomakere, monachum monasterii de Bodelo, super quibusdam verbis iniuriose prolatis ab eodem de Bodelo. Auditis etiam eiusdem de Bodelo responsionibus, ipsum generale Capitulum declarat et decernit praefatum abbatem Theoloci bene et sufficienter probasse intentum suum contra praenominatum de Bodelo, ipsumque de Bodelo minus sufficienter respondisse. Eapropter Capitulum generale praenominatum fratrem Ioannem Bloet Scomakere ad infra scripta condemnat. Primum videlicet, quod idem frater Ioannes, monachus de Bodelo, a praedicto abbate Theoloci veniam petet humiliter flexis genibus coram nobis, quod et fecit. Deinde quod verba iniuriosa quae eidem de Theoloco molitus est impingere tanquam veritate carentia, in locis omnibus et coram omnibus ubi, et coram quibus verba protulisse reperitur, quam primum pars laesa aut compulsor per nos deputatus requiret pu-

blice revocabit, quemadmodum iam actu, coram nobis in pleno nostro Diffinitorio publice revocavit. Deinde idem frater Ioannes Bloet Scomakere expensas dicti abbatis hac de causa factas, quarum nobis taxationem reservavimus, eidem abbati Theoloci refundet, et ad hoc de expensis quantitas media die totum generale Capitulum facere per nos aestimabitur dominum Cistercii contentabit *(sic)*. Postremum nos volentes cum eodem fratre Ioanne de Bodelo mite et misericorditer agere, memorato fratri totum monasterium Cistercii pro carceribus deputamus donec et quousque de omnibus expensis praedictis, tam domino Cistercii quam memorato abbati Theoloci, satisfecerit integraliter et complete.

12. Cum generale Capitulum novissime in Cistercio celebratum fratrem Ioannem Bloet Scomakere, monachum monasterii de Bodelo, ad instantiam abbatis Theoloci, s. th. pr., inter cetera ad publicam certorum verborum per eumdem fratrem Ioannem iniuriose prolatorum revocationem diffinitive condemnavit, ipsamque condemnationem velit idem Capitulum efficaciter adimpleri, committit et iniungit Capitulum supradictum abbati de Villari in Brabantia, quatinus ipsum praedictum fratrem Ioannem ad huiusmodi revocationem, iuxta tenorem praetactae diffinitionis super hoc editae quam primum dictus abbas Theoloci requiret, compellat si sit opus per omnes ordinis censuras, in plenaria Ordinis potestate.

13. Ad requestam reverendi in Christo patris domini abbatis et conventus monasterii Cistercii, Cabilonensis dioecesis, generale Capitulum committit districtius iniungendo dominis abbatibus de Firmitate, de Maceriis, Cabilonensis, de Fonteneto Lingonensis dioecesium, et eorum cuilibet in solidum, quatinus omnes et singulas Ordinis nostri Cisterciensis sexus utriusque personas, quas repererint obligatas esse seu teneri dictis domino abbati et conventui monasterii Cistercii in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eidem domino abbati et conventui monasterii Cistercii in dictis pecuniarum summis et rebus aliis per censuram Ordinis, auctoritate dicti Capituli et in eiusdem Capituli plenaria potestate viriliter coerceant et compellant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et etiam brachii saecularis.

14. Ad idem fiat pro monasterio Morimundi, et ponantur

iudices de Bella valle, de Theoloco, s. th. pr., et de Clarofonte monasteriorum abbates.

15. Ad idem fiat pro monasterio de Villerio, et sint iudices de Holmerode et de Sancto Benedicto in Vepria monasteriorum abbates et eorum quilibet.

16. Ad idem fiat pro monasterio de Dulcivalle, et sint iudices de Theoloco, s. th. pr., de Fonteneto, de Caroloco et de Clarofonte monasteriorum abbates et eorum quilibet.

17. Ad idem fiat pro domino Pontigniaci, et sint iudices dominus de Firmitate, de Caroliloco, de Ioyaco, de Quinciaco et de Rigniaco monasteriorum abbates et eorum quilibet.

18. Ad idem fiat pro fratre Goffrido, monacho Morimundi, et magistro Bellifagi, et sit iudex dominus Morimundi.

19. Ad idem fiat pro Domino Claraevallis, et ponantur iudices de Crista et de Theoloco abbates, et eorum quilibet.

20. De Lucela et de Maristella monasteriorum abbatibus coniunctim committit generale Capitulum, quatinus ad monasteriorum de Salem quam citius poterunt accedant, et ibidem se informent diligenter an venditio seu permutatio cuiusdam curiae et etiam cuiusdam vineae modici valoris sit ipsi de Salem proficua seu fructuosa, et quidquid super hoc repererint sequenti anno referant Capitulo generali.

21. Ad supplicationem et requestam abbatis et conventus de Villerio inhibetur per Capitulum generale omnibus personis regularibus Ordinis universi sub poena talionis, nisi probare voluerint, ne quidquam dedecoris quovismodo imputet fratri Nicolao de Waldervinga, cellerario maiori dicti monasterii Villerii.

22. Capitulum generale gratiose annuit et consentit petitioni abbatis et conventus monasterii de Riddagshausen, quod liceat eis quandam grangiam in villa de Vusborch sitam in prioratum et divini servitii augmentum commutare, et quod fratres qui amodo in dicto prioratu erunt, prout in monasterio proprio, carnibus et cibis regularibus temporibus debitis utantur, non obstante concursu saecularium personarum ibidem occurrentium ad divina audienda.

23. Ob honorem omnipotentis Dei et beatae Catharinae virginis et Martyris, et ut ipsa pia virgo et patrona ac interventrix gratiosa suis sacris precibus, culparum remissionem et divinae gratiae infusionem ac felicem consummationem omnibus nostri

Ordinis professis, ipsam pie invocantibus, obtineat a Domino nostri Iesu Christo, Capitulum generale abbati et conventui monasterii Veteris cellae, ad ipsorum devotam instantiam, annuit et concedit ut historiam propriam eiusdem virginis peragere et decantare solemniter valeant in monasterio supradicto.

24. Quia paupertas monasterii Veteris cellae et crini [c] Sanctae Dorotheae virginis et martyris miraculose de coelo sibi misso est dotatum, ad humilem requestam abbatis et conventus dicti monasterii generale Capitulum concedit, ut in vigilia eiusdem virginis commemorationem et in die missam possint et valeant decantare.

25. Domino abbati et conventui Morimundi praesentibus et eorum posteris in perpetuum unionem Pontisthiffridi cum monasterio ipso Morimundi, iam alias bina vice praedictis de Morimundo concessam, generale Capitulum rursus renovat ratificat et confirmat.

26. Abbati de Claroloco corporali debilitate attenta, committit generale Capitulum fratri Simoni, priori eiusdem loci, quod abbati suo praedicto in utroque regimine praestet auxilium, consilium et iuvamen, ad hoc enim concedit generale Capitulum.

27. Priori praedicto plenariam potestatem, et in eius absentia concedit idem Capitulum fratri Iacobo, suppriori, consimilem potestatem, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio illustrissimi dominis ducis Lotharingiae.

28. Visis et auditis titulo et possessione viginti unius rasariorum salis, quae hactenus abbas et conventus de Aceyo, super abbatem et conventum de Roseriis percipere consueverunt, ipsum generale Capitulum condemnat praefatos de Roseriis ad persolvendum deinceps praefatis de Aceyo summam salis supradictam et arreragia de terminis praetermissis.

29. Ad instantiam generosi viri et domicelli Ioannis, comitis de Lignigen et de Rukosingen, cum sororibus Ioanneta dicta de Lignigen et Beatrice monasterii de Bure eiusdem Ordinis professis, ut ad alium Ordinem se transferre valeant, dispensat in quantum potest Capitulum generale.

30. Abbati de Villerio, Metensis dioecesis, annuit et concedit generale Capitulum, ut certis suis monachis et conversis ad alium Ordinem se transferre desiderantibus, si, et quoties per ipsos vel

[c] crinali : *P*[2]*W*.

per aliquem ipsorum requisitus fuerit, licentiam conferre possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

31. Generale Capitulum citat abbatem de Escureyo personaliter ad futurum proximum Capitulum generale, responsurum ad sibi obiicienda per Ordinis promotorem.

32. Reformationem monasterii monialium Lucidaevallis, in quo regulares observantiae, prout generalis Capituli pervenit ad aures, pene penitus ruinantur, in risum populi, Ordinis irreverentiam et scandalum plurimorum, de Lutzela, de Malembrum et de Alba monasteriorum abbatibus et eorum duobus in casu quo tres simul in praesenti negotio vacare non possent, committit idem Capitulum cum omnimoda potestate ipsius Capituli et suis clausulis opportunis et rationabilibus, tam in capite quam in membris requisitis ; inquirant de vita, moribus et conversatione abbatissae et monialum dicti monasterii de Lucidavalle et secundum quod repererint et videatur eis expediens, abbatissam et omnes moniales dicti monasterii monialium emittant, auctoritate ipsius Capituli, ad alia monasteria monialium praedicti Ordinis una cum mobilibus bonis earumdem, et loco earumdem ponant in eodem monasterio monachos ad divinum officium amodo peragendum.

33. Ut promoveatur ad omnes status et honores Ordinis, seclusa dignitate abbatiali, frater Ioannes de Fonteneto, monachus professus de Bellavalle, non obstante apostasia quam incurrit, occasione cuiusdam rixae cum quodam alio fratre sacerdote dicti monasterii, quem enormiter vulneravit usque ad sanguinis effusionem et ob timorem carceris apostatavit ab Ordine per spacium duodecim dierum, non tamen habitu regulari dimisso, nec se divinis immiscendo ; postmodum reversus est ad monasterium correctioni Ordinis omni modo se subiiciendo et poenitentiam sibi propter hoc iniunctam humiliter peregit et dicto laeso satisfecit. Abbati dicti monasterii Bellaevallis generale Capitulum dat potestatem dispensandi cum eodem fratre in plenaria Ordinis potestate.

34. Ad idem committitur per generale Capitulum abbati de Roseriis ut dispenset, auctoritate dicti Capituli, cum fratre Richaldo de Onaris, monacho professo dicti monasterii de Roseriis, citra tamen abbatiatum, quia festo Pentecostes citra exivit septa sui monasterii divina celebrando, super quo penitentiam sibi inunctam humiliter peregit.

35. Ad idem fiat pro fratre Petro de Villanova, monacho professo monasterii de Bullione, qui apostatavit per saeculum evagando quasi per dimidium annum, habitu regulari incaute dimisso, super quo poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit. Et committitur abbati dicti monasterii de Bullione, ut dispenset cum eodem fratre super praemissis, auctoritate dicti Capituli, secluso nihilominus abbatiatu.

36. Citatum nuper ad praesens generale Capitulum eiusque secundam diem per dominum Claraevallis fratrem Petrum Castanae, monachum de Bonomonte, Gebennensis dioecesis, et nullatenus per se vel alium dicto die comparentem, declarat generale Capitulum in hac causa contumacem esse, poenasque tam excommunicationis quam alias iuris et nostri Ordinis poenas, pro huiusmodi contumacia debitas, incurrisse.

37. Abbati de Sancto Sulpicio praecipit generale Capitulum sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra festum Omnium Sanctorum proximo venturum mittat unum scolarem in studio Sancti Bernardi Parisiis cum provisione sufficienti.

38. Ad idem praecipitur abbati de Chassennia.

39. Ad idem praecipitur abbati de Capella, Constantiensis dioecesis, ut mittat infra dictum festum scolarem Parisiis, vel quod contribuat summam decem francorum cum abbate de Albaripa.

40. Attentis viarum discriminibus generale Capitulum omnium abbatum absentiam habet hac vice favorabiliter excusatam, dum tamen non fuerint ad praesens Capitulum citati.

41. Abbati de Belloprato, Tullensis dioecesis, praecipit generale Capitulum, quatinus fratres Gerardum de Amancia, Ioannem de Lunerivilla, Dominicum de Aycerculle et Girardum de Cathonorio, monachos suos, in congregationem suam conventualem recipiat et corrigat, si correctio requiratur, alioquin infra festum Omnium Sanctorum proximum idem abbas personnaliter coram domino Cistercii compareat, allegaturus in oppositum quod sibi videbitur allegandum.

42. Capitulum citat et citari mandat ad proximum generale Capitulum abbatem de Fonte Ioannis, ad obiicienda sibi per promotorem Ordinis, responsurum.

43. Ad idem abbatem de Chezeryaco Gebennensis dioecesis.

44. Ad idem abbatem de Echalleris, querelis et petitionibus domini Cistercii, responsurum.

45. Diffinit, ordinat et praecipit generale Capitulum abbati monasterii de Laude, Tornacensis dioecesis, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus instanter ad collegium Sancti Bernardi Parisiis, omni dilatione postposita, cum provisionibus debitis et opportunis, remittat fratrem Philippum de Fontanis, dicti monasterii de Laude monachum professum, infra proximum festum sancti Dionisii, nec de cetero audeat vel praesumat praefatus abbas eumdem fratrem Philippum, quovis modo seu occasione qualicumque, revocare, nisi super praemissis licentiam obtinuerit a domino Cistercii specialem.

46. Ad requestam abbatis et conventus monasterii de Ellantio, Rhemensis dioecesis, Capitulum generale districtius iniungendo committit abbati monasterio de Igniaco, quatinus omnes et singulas Ordinis nostri Cisterciensis utriusque sexus peronas, quas repererit obligatas esse abbati et conventui monasterii praedicti de Ellantio, seu quovismodo teneri in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eidem abbati et conventui de Ellantio de dictis pecuniarum summis et rebus aliis, per censuram Ordinis, auctoritate dicti Capituli et in eiusdem Capituli plenaria potestate, viriliter coerceat et compellat.

47. Quia generali Capitulo constat, quod meliora et nobiliora monasterii de Villerio metensi iocalia, cum pluribus aliis bonis mobilibus, fuerunt fraudulenter transportata extra praefatum monasterium per nonnullos monachos et conversos dicti monasterii et per eodem in civitate metensi tradita, usque ad summam ducentarum sexaginta librarum metensium, pro quibus redimendis eidem abbati de Villerio concedit et annuit supradictum Capitulum, ut possit libere vendere vel impignorare certos census ad suum monasterium pertinentes, usque ad summam praedictam 260 librarum metensium, quam summam in reemptionem et recuperationem dictorum iocalium et aliorum bonorum decernit idem Capitulum solummodo esse convertendam.

48. Commissionem reformationis et contributionum receptionis tam antiquarum quam novarum nonno Philippo, nuper abbati Clarae tumbae concessam, in provincia Gnesnensi videlicet in Polonia, Slesia et Prussia factam Paulo nunc abbati

eiusdem loci, continuat generale Capitulum et in suo toto tenore durare vult et decernit per sex annos continuo secuturos, iniungens eidem quatinus receptas per praedecessorem suum et per eum recipiendas de contributionibus huiusmodi pecunias deferat vel consignari procuret, quolibet triennio domino Cistercii vel eidem Capitulo generali.

49. Abbati de Menterna Sancti Benedicti committit generale Capitulum quod fratri Alardo, professo monasterii de Scola Dei licentiam conferat ad arctiorem Ordinem, puta Carthusiensem, ubi propitios receptores invenerit, transeundi, statutis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque.

50. Abbati de Sancto Bernardo in Adwert [d] concedit et indulget generale Capitulum, ut omnes et singulas personas Ordinis cuiuscumque sexus sibi immediate subiectas, semel dumtaxat absolvere possit de omnibus casibus memorato Capitulo reservatis.

51. Eidem abbati de Menterna Sancti Benedicti generale Capitulum mandat et praecipit, quod omnes monasterii Campensis professos a diffamatione quam adversus conprofessum eorum fratrem Ioannem Hoth malignari dicuntur, deinceps cohibeat etiam, si sit opus, per censuras Ordinis universas.

52. Committit et iniungit generale Capitulum abbati de Emerode, quod omnes redditus et proventus monachis de Heysterbach particulariter concessos, ad communem bursam ipsius monasterii de Heysterbach revocet et reducat. Reverendissimis in Christo Patribus dominis Constantiensi, Spirensi, Eystetensi et Augustensi episcopis humiliter supplicant frater Ioannes, abbas Cistercii, totusque conventus abbatum Cisterciensis Ordinis hoc anno apud Cistercium generale Capitulum celebrantes, quatinus fratres Iacobum Kienber, Nicolaum Vlinet, Ioannem Oringer, Conradum Sporlin, Ulricum Ottonis, Petrum Sussapfel et Gallum de Sancto Gallo, omnes monasterii de Fonte regis professos, tanquam excommunicatos multiplicibus excommunicationibus, infames et inobedientes, in suis dioecesibus ab omnibus suis subditis faciant cautius evitari; ipsos enim praedictos fratres generale Capitulum harum serie praesentium excommunicatos denuntiat et decernit, supplicans dictis dominis

[d] Adelbert : *L*[3].

episcopis, quod ipsi similiter faciant dictos fratres in suis dioecesibus denuntiari.

53. Abbatibus de Maristella et Sancto Urbano generale Capitulum praecipit et iniungit, quatinus contra praedictos fratres sic, ut praefertur, excommunicatos et apostatas, processus poenales viriliter fulminent et efficaciter exsequantur.

54. Dispersionem conventus, quam fieri postulat abbas monasterii Fontis regis, generale Capitulum committit abbati de Salem, patri abbati monasterii supradicti, si tamen eam iudicaverit opportunam.

55. Placet Capitulo generali, quod abbas et conventus Fontis regis contra quemdam comitem eorum adversarium ceterosque inimicantes seu adversantes eidem, in tuitionem libertatum Ordinis se iuvent et iuvare possint etiam per Carolinam a Sancta Sede Apostolica impetratam, imo et per omnes alios modos convenientes quibus poterunt se tueri.

56. Generale Capitulum statuit et diffinit quod omnes et singuli abbates ipsius nostri Ordinis in regno Poloniae, ad constructionem seu provisionem domus seu collegii pro studio personarum Ordinis in civitate Cracovia conferant, contribuant et cooperentur. Ab hoc etiam vult ipsum Capitulum eos omnes abbates praedictos, per abbatem Andreonensem compelli viriliter et, si opus sit, per omnes censuras Ordinis coerceri.

57. Omnia monasteria Ordinis nostri in Anglia et Wallia, fide digno relatu, visitatione et reformatione plurimum indigere, tam in capitibus quam in membris, ipsum generale Capitulum in plenaria potestate committit domino abbati de Claravalle, de Ursicampo et de Belloloco regis monasteriorum abbatibus, s. th. pr., quatinus ad ea personaliter accedentes ibidem in temporalibus et spiritualibus, in capitibus et in membris corrigant, visitent et reforment, quodque etiam abbates et abbatissas, si casus exigat, destituant, et per electionem canonicam seu provisionem puram instituant, iuxta papalia et Ordinis instituta. Promotiones fratris Thomae Broni abbatis de Regali loco iuxta Oxonias, et fratris Ioannis Boath in abbatem de Gratiis iuxta Londonias, si rite confirmandas repererint, auctoritate Capituli generalis ratificent et confirment, super depositione fratris Roberti Quomundchate [e], dudum abbatis, se diligenter informent et si

[e] Quomundhoste : *M*.

eam iniuste factam repererint eumdem fratrem Robertum in honorem pristinum restituant et reponant. Super casibus generali Capitulo reservatis dispensent in plenaria ipsius Capituli potestate, et in casu quod praenominati de Claravalle, de Ursicampo et Belloloco regis praedicta exercere non possent, aut propter viarum discrimina ad dictas partes infra festum Purificationis Beatae Mariae proximum accedere, omnium et singulorum praedictorum commissionem et auctoritatem plenariam ad praedicta exercenda idem Capitulum committit abbati de Belloloco regis, hoc proviso quod assumet secum abbatem alium eiusdem Ordinis, quem secum duxerit assumendum, praesenti commissione usque ad annum dumtaxat a die datae praesentium continue computandum in suo robore duratura.

58. Domino abbati Morimundi committit generale Capitulum potestatem plenariam metense studium Ordinis, antiquitus ibidem esse solitum, debite reformandi, atque abbates iuxta formam statutorum nostrorum papalium ad mittendum scolares ibidem viriliter compellendi et coercendi.

59. Unionem monasterii de Pomerio faciendam cum monasterio de Novocastro, committit generale Capitulum abbatibus de Molbrunno et de Lucella, in plenaria ipsius Capituli potestate.

60. Capitulum generale ad relationem fide dignam domini Morimundi excusatum habet abbatem de Veteri cella, super accusatione quam de eo fecerat Capitulo abbas de Cenna.

61. Committit generale Capitulum abbati de Villerio, quatinus inquirat an expediat fieri venditionem quartae partis unius carratae vini in monasterio de Sturburne et si sit, auctoritate Capituli concedat idem de Villerio, dum tamen pecuniae exinde percipiendae in utilitatem eiusdem monasterii de Sturburne convertantur.

62. Abbatibus de Porta, Nuemburgensis, de Cymna, Brandenburgensis, de Doberlitz, Misnensis dioecesium generale Capitulum sub poenis suspensionis ab ingressu ecclesiae et excommunicationis iniungit, quod omnes et singulos Magdeburgensis provinciae et vicinarum provinciarum abbates et abbatissas Cisterciensis Ordinis, per poenas excommunicationis et depositionis ad contribuendum cum abbate et conventu Veteris cellae, auctoritate Capituli generalis compellant pro libertatibus, exemptionibus, immunitatibus et privilegiis Ordinis contra episcopum

Misnensem ceterosque tam episcopos quam alios Ordinarios defendendis. Insuper praedictis abbatibus memoratum Capitulum praecipit sub poenis supradictis, ut in futuro generali Capitulo fidelem de praemissis relationem facere non omittant.

63. Abbatibus de Belloloco regis, de Regali loco iuxta Oxoniam et provisori studentium oxoniensium Ordinis nostri et cuilibet eorum, mandat et committit Capitulum generale, quatinus omnes personas regulares Ordinis Cisterciensis in Universitate oxoniensi minus regulariter se habentes, puniant, capiant et corrigant et ad viam regularis vitae reducant iuxta nostri Ordinis instituta.

1427

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Pro debitis... *etc. ut in anno* 1424.

7. Editas anno praeterito in Capitulo generali diffinitiones omnes et singulas ratificat et confirmat praesens Capitulum pariter et approbat.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

8. De Firmitate, de Claravalle, de Morimundo, de Valle

1427. *Fontes* : L^3 : 1-51 ; *M* : 18, 27, 48 *(et stat.* 4 *anni seq.)* ; P^2 : 1, 7 18, 26, 27, 33, 45, 48 *(et stat.* 4, 16 *anni seq.)* ; *W* : 48.

[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V°. : P^2.

Beatae Mariae et de Bella valle monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis, quas in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis repererint obligari monasterio Cistercii, ad satisfaciendum compellant auctoritate memorati Capituli viriliter et debite, et in ipsius Capituli et totius Ordinis plenaria potestate.

9. Ad idem conceditur abbati de Dulcivalle et sint iudices de Caroloco et de Clarofonte monasteriorum abbates.

10. Ad idem conceditur domino Claraevallis et constituuntur iudices de Theoloco, s. th. pr., et de Regalimonte monasteriorum abbates.

11. Fide digno relatu, didicit generale Capitulum Cisterciensis Ordinis quosdam in Anglia et Wallia sui dicti Ordinis professos, quibusdam extra sua monasteria standi licentiis uti non pro agendis monasteriorum eorum sed propriis commodis, quae quidem licentiae ipsi Ordini et institutionibus eiusdem praeiudicant. Eapropter idem Capitulum omnes et singulas huiusmodi licentias, quibuscumque dicti Ordinis professis, concessas revocat et annullat omnibus et singulis dictarum partium, eiusdem Ordinis abbatibus districte et sub depositionis poena mandando, ne deinceps consimiles licentias concedere quoquomodo praesumant.

12. Abbati de Langheim concedit Capitulum generale, ut habeat auctoritatem ipsius Capituli subditos ab irregularitate, sententiis et casibus Capitulo generali reservatis, semel dumtaxat absolvendi et cum eisdem in foro conscientiae dispensandi, confessoremque idoneum de fratribus suis quem decreverit eligendi, qui sibi huiusmodi beneficium absolutionis impendat.

13. Ad idem conceditur abbati de Ebraco.

14. Ut inquirant et diligenter se informent de Langheim et de Fonte Salutis monasteriorum abbates, an venditio bonorum immobilium usque ad valorem duorum millium florenorum quam requirunt per Capitulum licentiari abbatissa et conventus monasterii in Cimmerg, sit ipsi monasterio fructuosa, per generale Capitulum committitur eisdem et referant proximo Capitulo generali de repertis.

15. Capitulum generale committit de Ebraco et de Caesarea monasteriorum abbatibus, quatinus diligenter inspiciant et fideliter se informent, utrum expediat, quod abbas et conventus

de Fonte Salutis quosdam census minutos in oppidis Nuremberg et Ypphosem minus utiles et infructuosos ipsi monasterio vendant, et in alia bona utiliora convertant, de quo in futuro Capitulo abbates praedicti fidelem faciant relationem.

16. Supplicationem abbatis Mulbrunensis de non accedendo amodo ad generale Capitulum, attentis eiusdem senectute et incommodis senectutem consequentibus, aliisque quamplurimis agendis Ordinis personam eius praesentem requirentibus, ipsum generale Capitulum concedit favorabiliter et admittit, dum tamen contributiones annuas monasterium suum concernentes mittere ipsi Capitulo annis singulis non omittat.

17. Attentis gravaminibus multiplicibus monasterii Himerodensis, ipsum generale Capitulum abbatem eiusdem monasterii ipsumque monasterium ab omnibus contributionibus retroacti temporis, arreragiis gratiose quittat quittosque decernit, nec non ab omnibus excommunicationum sententiis aut irregularitatum poenas, si quas in contributionum non plene solutarum occasione ipse abbas aut eius officiarii incurrerint seu incurrerunt, ab, et super eisdem ipsum generale Capitulum absolvit misericorditer et dispensat. Insuper quotam eidem monasterio impositam in registro idem Capitulum hoc anno et duobus immediate sequentibus ad summam quinque florenorum praemissorum, intuitu gravaminum, moderat et reduxit, quibus tribus annis elapsis quotam antiquam idem abbas solvere tenebitur et promisit ob reverentiam et honorem reverendissimi in Christo patris domini archiepiscopi Trevirensis. Ad idem conceditur abbati Loci Sanctae Mariae. Ad idem conceditur abbatibus de Hesterbach et de Veteri monte.

18. Quia monasteria et conventualia loca Cisterciensis Ordinis in regno Angliae et partibus Walliae existentia, fide digno relatu, perpendit generale Capitulum officio debitae reformationis quamplurimum indigere, abbatibus monasteriorum de Bello loco regis, s. th. pr., de Bella landa et de Waverleya aut duobus eorum, quorum tamen unus sit praedictus de Bello loco regis, de quorum idoneitate constat et fidelitate confiditur, ad immediate sequens quinquennium committit et iniungit ipsum generale Capitulum, quatinus ad dicta monasteria et loca conventualia accedant personaliter, ibidemque tam in spiritualibus quam in temporalibus, in capitibus et in membris, corrigant, visitent et reforment quaecumque in eisdem aut in aliquo

eorumdem corrigenda, visitanda, reformanda repererint secundum in Deum et ipsius Ordinis praedicti instituta.

Si vero dicto durante quinquiennio, ab eisdem monasteriis aut eorum aliquo, pastoralis institutio aut destitutio quomodolibet exigatur, eamdem per dictos commissarios idem Capitulum canonice fieri statuit et decernit. Insuper abbates dictorum regni et partium, ad solvendum contributiones annis singulis monasteria sua concernentes per omnes Ordinis censuras compellant in ipsius generalis Capituli plenaria potestate, ipsosque omnes et singulos eadem auctoritate pro factis et necessitatibus Ordinis convocent ubi et quoties dictis commissariis videbitur opportunum. Demum personas ipsius Ordinis regni et partium praedictarum universas et singulas absolvant a casibus ipsi Capitulo reservatis, secumque dispensent prout posset ipsum Capitulum generale.

19. Abbati de Theoloco, s. th. pr., committit generale Capitulum, quatinus de pensionibus annuis duobus fratribus Iacobo de Saleburgo et Gerardo de Belloprato, quondam monasterii de Alta silva abbatibus, per dominum abbatem Morimundi et abbatem dudum Theoloci concessis et sigillatis, se informet diligenter et inquirat, an in huiusmodi pensionum concessionibus a forma statutorum Ordinis et papalium non fuerit aberratum et si sit, easdem pensiones revocet, casset et annullet penitus, auctoritate Capituli generalis.

20. Exposita nobis sororis Catherinae Halfhuys, dudum abbatissae de Aquiria, querulosa petitio formaliter continebat, se de pensione annua eidem ob inimicorum suorum intuitum per patrem abbatem eius Alnensem concessa solvi non potuisse hactenus, neque posse ad praesens, abbatissa sua et conventu paupertatem nimiam praetendentibus. Committit igitur abbati de Villari in Brabantia ipsum Capitulum generale, quatinus de qualitate status temporalium et facultate ipsius monasterii antedicti de Aquiria se ad plenum informet, et si paupertatem ipsam sic praetensam non adeo grandem inveniat, quod solutionem huiusmodi concessae sibi pensionis merito impediri debeat, hoc casu sororem praefatam sua pensione pacifice uti faciat et gaudere, eiusque abbatissam et conventum ad solutionem ipsam per censuras Ordinis coerceat viriliter et compellat.

21. Placet generali Capitulo et de consensu partium ordinat et diffinit, quod dissentio habita inter abbatem de Villerio acto-

rem, et abbatem Pontischiefridi defensorem, super quorumdam iocalium et aliorum rerum petitione per nobilem virum Willermum Cheuresson et discretum virum Ioannem Francisci clericum, cives metenses, fine debito terminetur, qui si terminare non possint, hoc casu reverendissimus pater dominus abbas Vincentii, Ordinis Sancti Benedicti, ad vitandas expensas et partium vexationes, eamdem dissensionem amicabiliter terminet et decidat.

22. Generale Capitulum committit abbati de Bella valle, quatinus se transferat ad monasterium de Lutzela et diligenter a fratribus loci inquirat et oculitus videat utrum, pro dicti monasterii utilitate et aliquarum domorum reparatione, contractus per abbatem et conventum fiendus de rebus reemptibilibus, vel in pensionibus ad vitam, usque ad summam sexcentorum florenorum sit ipsi monasterio necessarius, et referat Capitulo de proximo venienti omnimodam veritatem.

23. Capitulum generale praecipit et iniungit de Bithania et de Lococrescenti monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet, sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus pro supportandis missionibus et expensis scolaris de Bella valle, quilibet eorum infra festum Omnium Sanctorum proximum contribuat in summa quinque francorum, vel mittat quilibet eorumdem unum scolarem Parisius infra terminum antedictum.

24. Attentis oneribus debitorum et guerris, quibus gravatur de praesenti monasterium de Speciosa valle, de via generalis Capituli et de missione scolaris, generale Capitulum de speciali gratia abbatem loci usque ad continuum triennium habet favorabiliter excusatum, dum tamen quolibet anno ipsius triennii mittat contributiones.

25. De Ebraco et de Castro Aquilae monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committitur per generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Hemmerode, quantocius poterunt, accedant et ibidem se diligenter informent an sit utilitas ipsius monasterii vendendi et alienandi quasdam haereditates propter distantiam loci ipsi monasterio minus utiles, et quidquid super hoc repererint Capitulo sequenti faciant relationem.

26. Cum secundum felicis recordationis domini Bonifacii, Papae VIII, privilegium Ordini concessum est, quod de terris quas propriis sumptibus colimus, vel quas tradimus aliis, non

teneamur persolvere decimas cuicumque, inhibet et praecipit dictum Capitulum generale de Monte Sanctae Mariae et de Bullione monasteriorum abbatibus, quod de cetero non inquietent aut molestent abbatem de Roseriis, exigendo decimas aut partem decimarum de vineis eorumdem in villa et territorio de Montigniaco prope Arbosium. Insuper de expensis factis in causa mota propter hoc inter ipsos, idem Capitulum ordinat et iniungit de Bella valle et de Caritate monasteriorum abbatibus, ut super hoc partibus faciant bonum et breve iustitiae complementum, in ipsius Capituli plenaria potestate.

27. Cum multorum fide dignorum, tam venerabilium praelatorum ecclesiasticorum quam etiam illustrium dominorum temporalium regni Angliae, multiplici certificatione necnon notariorum per documenta publica, quemdam fratrem Paschalem Gilot [c], quondam abbatem monasterii de Gratiis prope turrim Londoniensem, eidem monasterio die vigesima tertia mensis martii anno 1422 in manus patris abbatis sui, videlicet abbatis de Bello loco Regis, canonice et conformiter ad instituta et statuta eiusdem Ordinis, sponte propria resignasse, generale Capitulum delatum fuerit, et consequenter post lapsum fere duorum annorum a die resignationis supradictae coram multis viris authenticis testibusque pluribus ex proposito ad hoc vocatis et rogatis in ecclesia Sancti Pauli Londoniensis, palam et publice eumdem agnovisse et confessum fuisse huiusmodi resignationem mere, libere, sponte et voluntarie factam, eidemque resignationi, sicut praefertur, factae eumdem nunquam contrarie seu contravenire, tactu sanctorum evangeliorum adiecto promissise solemniter et jurasse memoratoque monasterio de Gratiis de notabili et idonea persona Ioanne scilicet Pecohe [d] canonice et regulariter per patrem abbatem praefatum iuxta morem Ordinis provisum fuisse, provisionemque ipsam tamquam iuridicam et canonicam per reverendissimum patrem dominum abbatem Cistercii, totius Ordinis auctoritate fungentem, confirmatam et approbatam extitisse, nihilominus tamen nunc noviter 15[a] videlicet die mensis maii ultimate elapsa, absente eodem abbate Iohanne, praenominatum Paschalem, suae salutis et solemnis sui iuramenti praetacti penitus immemorem, absque iuris et Ordinis processu aut amminiculo, rursus in monaste-

[c] Getitpriamvis : *M* ; Gettipriamius : *P*[2]. [d] Pecche : *P*[2].

rium de Gratiis antedictum se intrusisse, idem Capitulum perpendit, et aliquanto tempore violenta et armata manu occupasse atque adhuc dietim et continue ipsum abbatem Ioannem et monasterium molestare non cessantem ; eapopter eisdem exorbitationibus, enormitatibus, abominationibus et inordinationibus scandalosis iuri et Ordini dissonis, idem generale Capitulum obviare satagens committit, et in totius Ordinis auctoritate plenaria diffinitive ordinat et iniungit de Waverleyia et de Quarraria monasteriorum abbatibus, quatinus si rem hanc gestam fuisse perceperint, antedictum fratrem Paschalem tamquam fugitivum et apostatam, sacrilegum furem et conspiratorem et per consequens pluribus excommunicationibus innodatum et irretitum, corporaliter arripiant et eum in firmis et strictis carceribus detineant usque ad nutum dicti Capituli generalis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio ecclesiasticorum iudicum et brachii saecularis. Si vero ipsum non possint apprehendere personaliter, saltem in omnibus locis et capitulis Ordinis regni Angliae et partium Walliae, excommunicatum cum suis fautoribus de Ordine, dicta auctoritate generalis Capituli denuntient et denuntiare faciant atque ad valvas ecclesiarum affigi reverendissimos patres dominos archiepiscopos et episcopos regni et partium earumdem, rogent et deprecentur, quatinus in suis dioecesibus a suis subditis in suffragamen iuris et Ordinis sic excommunicatum cum suis complicibus et fautoribus denuntiari faciant, et ab eisdem suis subditis cautius evitari.

28. Ad petitionem domini abbatis et conventus monasterii Cisterciensis, accensationem seu traditionem domus et pertinentiarum in litteris, quibus affixa est praesens diffinito, nominatorum et expresse specificatorum, ad annuum et perpetuum redditum seu censum per eosdem Cistercienses factam honorabili viro Ioanni de Courberon, mercatori Divione commoranti ac eius consorti et liberis eorumdem, suisque successoribus et eorum causam habituris, iuxta formam et tenorem praetactarum litterarum, generale Capitulum approbat et ex certa scientia ratificat et confirmat.

29. Abbati de Altacumba praecipit et iniungit generale Capitulum, sub poena excommunicationis latae sententiae ac depositionis ab abbatiali dignitate, quatinus infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum mittat et destinet ad studium Parisiense unum scolarem, providens eidem de bursa competendi,

ut consuetum est in Ordine et diffinitionibus eiusdem. Item, praedicto abbati praecipitur per ipsum Capitulum sub eadem et consimili poena, quatinus anno futuro ad dictum Capitulum se praesentet et veniat, ad omnia quae sibi obiicientur responsurus.

30. Dominis de Caduino, decretorum doctori, et de Bolbona monasteriorum abbatibus committit et iniungit generale Capitulum, in virtute salutaris obedientiae, quatinus omnes et singulos Cisterciensis Ordinis Tholosanae, Narbonensis, Auxitanensis provinciarum, necnon Albinensis, Ruthenensis, Castrensis, Vivariensis ac Vabrensis dioecesium abbates, iuxta felicis recordationis Benedicti Papae XII statuta, per omnes poenas et censuras in eisdem statutis contentas, ad mittendum scolarem vel scolares ad Parisiense vel Tholosanum studia, viriliter coerceant et compellent, invocato ad hoc, si sit opus, brachii saecularis auxilio, consilio et favore.

31. Abbati de Campis bonis committit generale Capitulum, quatinus se diligenter informet, an traditio cuiusdam loci, vocati Boria de Ligereto, ad annuum censum per abbatem et conventum Mansiadae facta Pontio de Ulmo, habitatori de Ligereto, sit eidem monasterio Mansiadae fructuosa vel utilis, et si reperiat ita fore, traditionem vel accensationem huiusmodi ratificet et auctoritate praetcati generalis Capituli confirmet in ipsius Ordinis plenaria potestate.

32. Abbati de Bolbona committit et iniungit in virtute salutaris obedientiae Capitulum generale, quatinus abbatem de Bonofonte, Convennarum dioecesis, auctoritate ipsius Capituli et per omnes Ordinis censuras aliasque iuris et iustitiae vias, compellat ad ostendendum sibi qualiter de summa suo monasterio imposita de subsidio pro via generalis concilii Constantiensis ac etiam de quotis contributionum Ordinis a decem annis citra per ipsum Capitulum impositis, per ipsum abbatem Bonifontis vel eius praedecessorem satisfactum extiterit, et ad solvendum quidquid de praedictis subsidio et contributionibus non docuerit esse solutum.

33. Cum non appareat quis immediatus visitator existat monasterii monialium de Rivoneck [a], visitationem, correctionem et paternalem provisionem eiusdem monasterii committit gene-

[a] Reuonede : P^2.

rale Capitulum abbati de Fonte frigido, quousque constet ad quem iure paterno praedicta debeant pertinere.

34. Quia de multis et gravibus ignominiosisque casibus apud generale Capitulum delatus est abbas modernus monasterii de Villalonga, Carcassoniensis dioecesis, de Bolbona et de Candelio, s. th. pr., monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet, committit et iniungit Capitulum generale, quatinus de et super praemissis se diligenter et fideliter informent et praedictum abbatem de Villalonga per depositionem, incarcerationem aut alias iuxta demeritorum suorum exigentiam, praetacti Capituli et totius Ordinis auctoritate, puniant et corrigant ipsiusque monasterii regimen et administrationem committant idoneae personae, donec super hoc aliter ordinaverit supradictum Capitulum.

35. Abbati monasterii Sancti Ioannis Baptistae in Stams concedit benigniter generale Capitulum, ut invitus personas regulares sibi necessarias vel utiles, ad aliquod aliud monasterium per aliquem nullo modo mittere seu destinare cogatur, vel alias quomodocumque compellatur.

36. Ut eligere sibi possit abbas Sancti Ioannis Baptistae in Stams unum confessorem de monachis suis, qui ipsum audire in foro conscientiae et absolvere possit semel dumtaxat atque dispensare de et super casibus Capitulo generali reservatis, et ut ipse abbas monachos sibi subditos semel etiam audiat, absolvat et dispenset de et super casibus consimilibus, eidem abbati Capitulum benigniter concedit facultatem.

37. Abbati de Populeto districtius inhibet et generale Capitulum ne fratres Antonium de Verduno et Ioannem de Roris, monasterii Populeti praedicti olim monachos periuros, contumaces et rebelles in monasterio praefato Populeti seu in domibus, locis et grangiis eiusdem recipiat quovismodo, sine expressa licentia eiusdem generalis Capituli petita et obtenta.

38. In virtute salutaris obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae, generale Capitulum districtius praecipit abbati de Spina eiusdem Ordinis, quatinus infra octo dies a praesentatione praesentium continue numerandos, quos pro primo, secundo et tertio peremptorie eidem assignamus, omnes et quascumque contributiones monasteriorum regni Castellae, quas hactenus recipit usque ad diem praesentationis praesentium, det et restituat abbati de Populeto seu deputato vel deputatis ab eodem fideliter et complete, omni excusatione semota.

39. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum Cisterciensis Ordinis cuiuscumque sexus et generationis, in regnis et quibuscumque dominiis serenissimorum Castellae, Arragoniae, Portugalliae et Navarrae regum constitutorum et personarum eorumdem, per Capitulum generale abbati de Populeto alias concessam, idem generale Capitulum ratificat, innovat et continuat iuxta sui totum tenorem per continuum immediate sequens quadriennium duraturam.

40. Abbatibus regnorum et terrarum regis Arragoniae et regni Navarrae nostri Cisterciensis Ordinis, praecipit et districtius iniungit sub excommunicationis depositionisque poenis generale Capitulum, quatinus quolibet biennio, sumptibus et expensis communibus eorumdem, unum abbatem de ipsis et unum monachum de facto destinent ad ipsum generale Capitulum, qui contributiones aliorum deferant et agenda ipsorum abbatum, tam abbas quam monachus destinandi, per ipsum Capitulum procurent fideliter expedire.

41. Ad idem fiat pro abbatibus regni Castellae.

42. Abbatibus de Hemmenrode et de Werne Villerio committit generale Capitulum ut, quantocius poterint, ad monasterium de Villerio personaliter accedant et ibidem se informant si permutatio curiae eorum, sitae in civitate Trevirensi, cum suis pertinentiis facta cum fratribus de Rivolo Sanctae Mariae, alias Bruch, ordinis Carthusiensium sit fructuosa et utilis eidem monasterio de Villerio, et quidquid inde repererint anno sequenti fideliter per se vel per suas litteras patentes referant Capitulo generali.

43. Omnibus Ordinis nostri abbatibus inhibet generale Capitulum sub poena excommunicationis, ne de cetero fratrem Ioannem Mathei, monachum monasterii de Villerio Metensi, penes se retineant, sed ipsum compellant vel alter ipsorum, cum quo remanet vel remanere posset pro tempore, compellat ut ad suum praefatum Villerii monasterium redeat, ibidem poenitentiam pro delictis per abbatem proprium iniungendam, iuxta consilium et ordinationem Capituli generalis, humiliter peracturus. Quod si renuerit dictus frater reverti ad dictum Villeriense monasterium, quod absit, sententiam excommunicationis latam per dictum Capitulum se noverit incursurum.

44. Abbati de Claroloco et priori eius coadiutori mandat generale Capitulum, quatinus si fratrem Iacobum, suppriorem

eiusdem monasterii convictum repererint de contagione carnis cum publica meretrice, ut fertur, in dicto monasterio publice et inverecunde perpetrata, ipsum sub custodia carceris in dicto monasterio vel alibi teneant, invocato ad hoc, si sit opus, auxilio, consilio et favore domini ducis Lotharingiae, nec ipsum de dicto carcere exire permittant nisi de licentia Capituli generalis vel potestatem ipsius habentis, super hoc petita pariter et obtenta.

45. Abbati de Flarano committit in quantum potest generale Capitulum Cisterciensis Ordinis, quatinus prioratum seu domum monialium eiusdem Ordinis situatam prope civitatem Lectorensem, uniat cum monasterio de Voillanis dicti Ordinis, quae domus dicitur dependere a monasterio monialium de Goiono.

46. Quia relatu fide dignorum percepit generale Capitulum quamplurimos abbates et abbatissas de quotis subsidii nuper pro concilio Pisano eis impositi, et abbati bonae memoriae de Campis bonis, s. th. pr., pro eius et in eodem Concilio sustentationem assignati nundum ad plenum satisfecisse, eapropter abbati de Bolbona ipsum generale Capitulum committit et iniungit, quatinus omnes et singulos huiusmodi abbates et abbatissas, per omnes poenas et censuras Ordinis ad plenam et integram suarum quotarum praedictorum solutionem, compellat auctoritate eiusdem Capituli generalis.

47. Ut eligere sibi possit abbas sancti Ioannis Baptistae in Stamps unum confessorem de monachis suis, qui ipsum audiat et in foro conscientiae et absolvere possit semel dumtaxat, ac etiam dispensare de et super casibus Capitulo generali reservatis, et ut ipse abbas monachos suos sibi subditos in similibus casibus audiat, absolvat et dispenset, eidem abbati generale Capitulum benigniter concedit facultatem.

48. Propter continuos et intolerabiles insultus et incursus perfidorum Hussitarum quibus ducatus Austriae, proh dolor ! incessanter opprimitur, abbatem Sancti Iohannis Baptistae in Stamps a via Capituli generalis, per triennium dumtaxat, habet favorabiliter excusatum praefatum generale Capitulum.

49. Ad aures Capituli generalis pervenit in persona abbatis de Uterina valle quorumdam suorum subditorum quamplurima fore corrigenda. Quamobrem abbati de Villerio, visitatori dicti monasterii de Uterina valle, committit generale Capitulum, in virtute salutaris obedientiae et sub divinae Maiestatis offensa districtius iniungendo, quatinus assumptis secum de Mulbronn,

de Lankheim, de Bebenhusen, de Castro aquilae, de Lutzella et de Wernevillerio monasteriorum abbatibus, ad dictum monasterium de Uterina valle quantocius personaliter accedentes, ibidem visitent, reforment, instituant et destituant, tam in capite quam in membris, quaecumque secundum Deum, rectam rationem, papalia et Ordinis instituta in eodem cognoverint visitanda, reformanda, instituenda et destituenda ac etiam corrigenda, in plenaria Capituli generalis potestate, invocato ad hoc, si sit opus, auxilio virorum ecclesiasticorum ac etiam brachii saecularis.

50. Reformationem monasteriorum de Dalon, de Prato benedicto, de Palatio, de Bono loco et de Bulio, Lemovicensis dioecesis, de Columba et de Albignyaco, Bituricensis dioecesis, omniumque et singulorum monasteriorum utriusque sexus dioecesium praedictarum Lemovicensis et Bituricensis, monasterio Pontigniaci tam immediate quam mediate subditorum, de Fontemorum et de Bono loco monasteriorum abbatibus et cuilibet ipsorum per se et in solidum committit generale Capitulum, iniungens eisdem in virtute salutaris obedientiae, quatinus ad dicta monasteria quantocius personaliter accedentes vel alter ipsorum accedens, in eisdem visitent... *etc. ut in n° praeced.*

51. Quia dominus Cistercii, legitima causa motus, fratrem Petrum Peponis, exigentibus demeritis eius ab officio prioratus, quod tunc in monasterio Miratorii, cuius professus est, exercebat, deponi mandavit, districtius inhibet generale Capitulum abbati dicti monasterii de Miratorio, ne praedictum fratrem Petrum ad huiusmodi prioratus officium restituat, absque illius Capituli generalis licentia speciali.

1428

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1. Abbati et conventui monasterii Colbacensis, suas nihilo-

1428. *Fontes* : L^3 : 1-20 ; *M* : 4 *(sub anno* 1427*)* ; P^2 : 4, 16 *(sub anno* 1427*)*.
[a] *Titulus apud* L^3.

minus onerando conscientias, ut horas Beatae Mariae extra chorum aliasque particulares orationes vel suffragia aliquorum sanctorum sigillatim et particulariter dicere possint, per generale Capitulum benigniter conceditur.

2. De Theoloco, s. th. pr., et de Bella valle monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis, quas in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis repererint efficaciter obligari monasterio Morimundi, ad satisfaciendum eidem compellant auctoritate memorati Capituli viriliter et debite, in totius Ordinis plenaria potestate.

3. Domino Morimundi et abbatibus de Caroloco et de Clarofonte ad idem committitur pro monasterio de Dulcivalle.

4. Omnibus et singulis tam abbatibus quam monachis ac etiam conversis Ordinis universi inhibet generale Capitulum, sub poena depositionis ab eorum officiis et inhabilitate ad officia, ne de cetero per villas et per loca iudicum tam ecclesiasticorum quam saecularium sine cucullis et cappis incedant, quodque birretas praeterquam equitando vel itinerando, tunicas curtas et foedatas atque scissas ante et retro, gipones et cetera indumenta seu etiam calceamenta quae Ordinis honestatem deforment, studeant penitus amovere atque se deferant magis religiose.

5. Generale Capitulum dispensat cum fratre Nicolao de Badinecuria, monacho monasterii de Escureyo, quod non obstantibus aliquibus minutis latrociniis per ipsum commissis, de quibus plena restitutio per ipsum facta est, propter quod incarceratus fuit, et fracto carcere per aliquod et breve tempus apostatavit, de quibus poenitentiam sibi iniunctam humiliter et devote complevit, ad omnes Ordinis actus legitimos etiam abbatiatum admitti valeat et assumi.

6. Abbates de Fusniaco, de Bonofonte in Therascia, de Boheriis, de Bella valle, de Campo, de Salem, de Lutzella, de Paris, generale Capitulum propter guerrarum turbines et viarum discrimina habet ista vice favorabiliter excusatos. Citat tamen ipsos ad instans proximo futurum generale Capitulum ad ea quae sibi obiicientur responsuros.

7. Abbati de Ursicampo, s. th. pr., committit generale Capitulum, quatinus quantocius poterit se diligenter informet, an permutatio cuiusdam domus ad monasterium de Eschalleiis

pertinentis, Parisius situatae nominatim in vico Sancti Severini, utilis sit dicto monasterio de Eschalleiis et si aliqui redditus ad equivalentiam de dicta permutatione inde possint comparari ; et quidquid super hoc repererit per suas patentes litteras anno futuro intimare studeat antedicto Capitulo generali.

8. De Firmitate, de Morimundo, de Theoloco et de Bella valle monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis universi, quas in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis repererint obligari monasterio Cistercii, ad satisfaciendum compellant auctoritate memorati Capituli viriliter et debite, in ipsius Capituli et totius Ordinis plenaria potestate.

9. Ad idem committitur per generale Capitulum antedictum de Theoloco, de Fonteneto et de Ripatorio monasteriorum abbatibus, pro monasterio de Claravalle.

10. Ad idem committitur per ipsum Capitulum domino de Morimundi, de Bella valle et de Maceriis monasteriorum abbatibus, pro monasterio Theoloci.

11. Ad idem committitur per dictum generale Capitulum abbati de Theoloco, s. th. pr., et abbati de Dulci valle, pro abbatissis de Bellomonte et de Curcellis, Lingonensis et Bisuntinae dioecesium.

12. Excambium ac omnia et singula contenta in litteris, quibus haec diffinitio annectitur, quia in profectum et augmentationem bonorum monasterii Beatae Mariae de Chasseneya fore dignoscitur, generale Capitulum ratificat, approbat, ex certa scientia confirmat.

13. Ad instantiam illustrissimi principis domini ducis Brabantiae, committit generale Capitulum abbatibus de Villari et de Sancto Bernardo in Brabantia, quatinus assumptis secum duobus vel tribus Ordinis abbatibus, ad monasterium monialium de Argenton situatum in dicta patria Brabantiae quantocius poterunt personaliter accedentes, ibidem visitent, reforment, instituant et destituant tam in capitibus quam in membris, tam in spiritualibus quam temporalibus, quaecumque secundum rectam conscientiam ac Ordinis instituta in eodem visitanda, reformanda, instituenda vel destituenda repererint, in ipsius Capituli generalis et nostri totius Ordinis plenaria potestate.

14. Abbati Doberanensi concedit generale Capitulum, ut

confessorem idoneum de Ordine, semel dumtaxat in fore conscientiae eligere queat, qui ipsum absolvat de omnibus et singulis casibus Capitulo reservatis. Similemque potestatem concedit dictum Capitulum praedicto abbati, ut omnes et singulos sibi subditos absolvere possit in casibus consimilibus et cum eis dispensare auctoritate memorati generalis Capituli.

15. Abbati de Bello monte ad idem conceditur per generale Capitulum.

16. Fratrem Johannem Utts [b] conversum monasterii Doberanensis, qui suum confratrem manualiter interfecit, Romamque adiit et absolutionem cum rigore Ordinis obtinuit, disciplinatum absolvit et ad suum pristinum gradum et statum restituit, iuxta indultum papale, generale Capitulum.

17. Propter multa gravamina quibus monasterium Campense enormiter opprimitur, eidem conceditur per generale Capitulum ut scolarem ad studium non destinet per sequens continuum triennium.

18. Cum fratribus Tilmanno sacerdote, et Theodorico diacono, monachis expresse professis monasterii de Hesterbaco, qui Tilmannus spacio sex hebdomadarum et Theodoricus per quindenam vagabundi apostataverunt, et postmodum ad monasterium voluntarie regressi pœnitentiam sibi propter hoc iniunctam humiliter et devote peregerunt, misericorditer dispensat generale Capitulum, ut hoc non obstante ad omnes Ordinis actus legitimos gradus, voces, administrationes, dignitates etiam ad abbatialem dignitatem, admitti valeant pariter et assumi.

19. Capitulum generale constituit et ordinat suum et totius Ordinis procuratorem in romana Curia generalem fratrem Guillelmum de Salinis, monachum professum monasterii de Caritate, provisorem collegii Sancti Bernardi Parisiensis, licentiatum in sacra theologia, committens reverendissimo patri domino Cistercii, ut procuratorium eius conficiat in forma debita et consueta.

20. Alias editam per Capitulum diffinitionem, cui praesens affigitur diffinitio, generale Capitulum innovat, ratificat, approbat et confirmat, abbati Grandis silvae praecipiens et iniungens, quatinus eius tenorem executioni debitae fideliter et indissimulate demandet.

---

[b] Utet : P^2.

1429

Capitulum [a] generale anno Domino millesimo quadringentesimo vigesimo nono.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Pro debitis exsolvendis et aliis communibus Ordinis oneribus supportandis, generale Capitulum contributionem novem millium florenorum florensium, vel monetae aequivalentis imponit... *etc.* Dans et concedens... *etc.* Dictis receptoribus... *etc.* Vult etiam dictum Capitulum... *etc.* Potestatem autem... *etc.* Universis igitur... (*etc. cf. ann. **1424**, n° 8*).

[DIFFINITIONES SPECIALES]

7. Ad instantiam abbatis de Altacumba, dispenset Capitulum generale cum fratribus Ioanne Valentis et Ioanne de Condone, dicti monasterii de Altacumba professis, ut non obstante quod per 40 dies apostataverint, ad omnes Ordinis actus legitimos, si sua in posterum suffragentur merita, valeant promoveri.

8. Abbati de Bildehusen annuit et concedit Capitulum generale ut cum suis subditis dispensare possit in casibus Capitulo reservatis, ad immediate sequens biennium, in plenaria ipsius Capituli generalis potestate.

9. De Ebraco et de Bildehusen monasteriorum abbatibus

1429. *Fontes* : L^3 : 1-86 ; *M* : 40, 66, 69, 73 *(abbrev.)* P^2 : *In margina legitur* : Martino 5° papa ; Ioanne 7°, abb. Cistercii 38. *Deinde titulus* : Ex anno 1429, die 13 sept. ; 1, 16, 40, 66, 69, 73 *(abbrev.)* ; *U* : 87 ; *W* : 87.

[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V : P^2.

committit generale Capitulum districtius iniungendo, quatinus ad monasterium de Heiligental quantocius poterunt personaliter accedentes, ibidem visitent et reforment ac omnes et singulos contractus factos per personas dicti loci, qui non sunt per generale Capitulum solemnizati, destruant penitus et annullent. Et quod tales venditiones, bonorumque mobilium et immobilium alienationes et distractiones, quae in dicto monasterio huc usque, proh dolor ! factae sunt, de cetero non fiant, et personas ibidem praesentes et futuras quoad hoc coerceant, in plenaria Capituli generalis potestate.

10. Relatione domini Morimundi percepit generale Capitulum fratrem Ioannem de Salem, religiosum et professum monasterii de Lankeim, poenam carceris diutissime et ultra quam demeruerit sustinuisse patienter. Eapropter dictum Capitulum committit de Bildehusen et de Valle Sancti Georgii monasteriorum abbatibus et districtissime praecipiens, quatinus praetactam poenam eidem fratri Ioanni mitigare studeant et de dicto carcere ipsum indilate educant, auctoritate Capituli memorati.

11. Abbati de Theoloco, s. th. pr., annuit et concedit generale Capitulum, ut cum suis religiosis super irregularitate contracta per celebrationem in excommunicatione, possit et valeat dispensare hac vice in plena dicti generalis Capituli potestate.

12. Relatu veridico didicit Capitulum generale, quosdam religiosos ipsius Ordinis in quampluribus partibus more saecularium sacerdotum tam in castris, villagiis, civitatibus quam parochiis saecularibus, in turpidinem Ordinis et derogationem honestatis eiusdem, sacramenta ecclesiae ministrare. Eapropter idem Capitulum volens huiusmodi insolentiis et exorbitatibus remedia providere, mandat et iniungit ipsum Capitulum omnibus et singulis abbatibus Ordinis universi, quatinus huiusmodi monachos sic per saeculum insolenter more saecularium sacerdotum sacramenta ecclesiae ministrantes et curatorum officia exercentes, quantocius poterunt ab hiis insolentiis retrahant et ad propria loca revocent vel ad alia Ordinis monasteria remittant. Rebelles vero cuiuscumque status sint, ad hoc per excommunicationem seu gravem culpam districtius puniant et compellant, illis dumtaxat exceptis qui desserviunt curis seu aliis beneficiis monasteriis nostri Ordinis per certa privilegia papalia incorporatis et unitis.

13. Abbatibus de Ebraco et de Lankeim committitur per

generale Capitulum quatinus se diligenter informent, an permutatio grangiae monasterii de Bildehusen, sitae in villa Nydewerne, utilis sit eidem monasterio. Et quidquid inde repererint, anno sequenti per suas patentes conscribere studeant Capitulo generali.

14. Attenta lamentabili desolatione monasterii de Bronbach, Capitulum generale abbatem dicti loci a missione studentis et contributionum solutione, per immediate sequens continuum triennium, habet benigniter supportatum. Personas vero regulares sui monasterii absolvendi a quibuscumque casibus Capitulo reservatis, dicto durante triennio, eidem abbati auctoritatem et potestatem concedit idem Capitulum ; ac sibi eligendi unum de suis subditis, qui consimilem potestatem ipsum absolvendi in praedictis casibus habeat, in plenaria potestate Capituli generalis.

15. Placet Capitulo generali ut abbas Maris stellae cum tribus iuvenibus sui monasterii professis, videlicet, Ioanne, dicto Hulli et Ioanne Baubbart, diaconibus, qui per modicum tempus apostataverunt, et cum fratre Henrico Dyessen Hafer, qui irregularitatem in apostasia celebrando contraxit, dispenset et ipsos rehabilitet auctoritate Capituli, si tamen poenitentiam Ordinis debitam humiliter peregerint ; super quo dictum Capitulum onerat conscientiam abbatis supradicti.

16. Ad humilem et devotam abbatis et conventus monasterii de Charitate supplicationem, annuit misericorditer et concedit generale Capitulum ut frater Ioannes de Fretigneyo dudum prior ipsius monasterii de Charitate, qui instigante diabolo quemdam casum miserabilem in personam cuiusdam laici perpetravit, propter quem merito in carcere strictissime detentus fuit, in eisque ab hoc saeculo sine sacramentis ecclesiasticis vitam finivit et in terra profana, ut decet tales, sepultus fuit ; de praedicta terra profana extrahatur et in cimeterio religiosorum sepeliatur.

17. Abbatis de Mullebrune invaletudini compatiens, Capitulum generale, ipsum abbatem a via Capituli usque ad immediate sequens continuum triennium habet favorabiliter supportatum ; dum tamen infra festum Paschae proximum ad studium Parisiense mittat unum scolarem.

18. Capitulum generale committit de Bebenhusen et de Alba monasteriorum abbatibus, quatinus diligenter se informent an

bona quaedam monasterio de Mullebrune pertinentia utpote possessiones quae minus fructuosae dicto monasterio dignoscuntur, locare seu tradere in emphiteosim sive ad hereditariam successionem, sit dicto monasterio utile. Et quidquid inde repererint, anno sequenti referant Capitulo generali.

19. Abbati de Brombach committit generale Capitulum, ut sorori Elisabeth, professae in monasterio Heiligental, non obstante carnis contagio in quo prole attestante deprehensa extitit, habitum restituat et alias cum eadem dispenset, auctoritate Capituli memorati, si tamen poenam Ordinis iniunctam humiliter, devote patienterque, ut fertur, peregerit regularem.

20. Ad notitiam Capituli generalis pervenit, qualiter de cambio sive permutatione cuiusdam grangiae de Brombach pertinentis, sitae in Steynfurt, pro quibusdam aliis bonis generosi domini comitis de Werthen agitur. Et quia huiusmodi cambia sive permutationes monasteriis ut plurimum dispendiosae et periculosae sunt, piaeque voluntates donantium frustrantur ac multi considerantes huiusmodi distractiones tepidiores et minus voluntarii ad pias subventiones et donationes reddantur ; ne ergo quidquam ex hoc scandali vel indignationis sumat occasionem, vult et ordinat Capitulum generale, ut praedictam grangiam in cambio mutatam sibi retineat abbas et conventus monasterii de Brombach antedicti, et dictum dominum comitem et quoscumque alios similia attentantes deprecentur, quos et dictum Capitulum in Domino deprecantur et hortantur quatinus huiusmodi instantiam et proposito, salva pace, desistant et quiescant.

21. Capitulum generale certis et rationabilibus de causis, ipsum ad hoc iuste moventibus, quotas contributionum per abbatem monasterii Vallis Sancti Lamberti debitas et debendas venerabili religioso fratri Werrico, dicti monasterii professo, s. th. pr., in sui status aliquale subsidium assignavit et tenore praesentis diffinitionis assignat, donec ad aliquod notabile beneficium sit promotus.

22. Devotae supplicationi honesti viri prioris de Ortu Christi, Augustanensis dioecesis, qua petit se et conventum suum omnium bonorum spiritualium, quae in Ordine nostro fiunt et Domino concedente in posterum fient, fieri participes, acquiescit Capitulum generale, dum tamen vice versa nos et nostros similes parti-

cipatione faciant bonorum spiritualium quae fiunt ac de cetero fient in Ordine suo.

23. Abbati de Lapide Sancti Michaelis concedit generale Capitulum, ut grangiam dictam Resyn, de sui conventus consilio et assensu in bona magis utilia commutare possit, servata in omnibus forma benedictinae constitutionis, dum tamen sub sigillis suis anno futuro Capitulum generale de commutatione huiusmodi seu etiam venditione certificent competenter.

24. Reformationem ac etiam visitationem monasterii de Lucida valle alias Burel, de Mullebrune et de Alba monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum ad immediate sequens continuum triennium, eis districte iniungens, quatinus dicto monasterio de Lucida valle, dicto durante triennio, reformationis et visitationis beneficium impendant, in plenaria potestate Capituli generalis.

25. Capitulum generale abbati de Novo castro annuit et concedit, ut sibi eliget unum de fratribus suis in confessorem, qui ipsum in foro conscientiae semel absolvat in casibus Capitulo reservatis, et ipse suos absolvere possit, ut praemittitur, absolvi in plenaria Ordinis potestate.

26. Abbati monasterii de Riddagshusen concedit generale Capitulum, ut dispensare possit cum quatuor sui monasterii professis ut, non obstante apostasia, quam per saeculum evagando aliquanto tempore incurrerunt, habitumque eisdem infra annum restituat, si eidem abbati videatur expedire. — Ad idem conceditur abbati de Lancheim pro duobus sibi subditis fratribus.

27. Capitulum generale ad requestam abbatis de Fonte salutis, cum fratre dicto Cremer, qui per aliquod tempus apostatavit, misericorditer dispensat, ut possit ad omnes actus Ordinis legitimos, si sua merita hoc requirant, valeat promoveri.

28. Ad instantiam abbatissae de Felici porta, generale Capitulum dispensat misericorditer cum sorore Elisabeth conversa eiusdem monasterii, ut, non obstante carnis contagio in quo cecidit, puerperio consecuto, habitus sibi restituatur regularis.

29. Ad instantiam abbatis de Ebraco, generale Capitulum dispensat gratiose cum sorore Alahida, moniali de Coeli porta, quae de puerperio convicta extitit, si poenitentiam Ordinis sibi impositam humiliter peregit et continuaverit, per dictum

abbatem de Ebraco quoties sibi videbitur expedire, eamdem ad actus legitimos relevet, auctoritate Capituli generalis.

30. Abbati de Ebraco committit generale Capitulum, ut cum fratre Alberto monacho suo, qui recepta licentia ad certum locum Ordinis, a via recta declinavit per pluries dietas, propter quod poenitentiam Ordinis hucusque sustinuit, dispenset et gradum restituat eidem auctoritate Capituli, quoties expedire sibi videbitur.

31. Domino Morimundi committitur per generale Capitulum, quatinus abbatem de Walkenderode, per se vel per alium, citet ad proximum Capitulum generale futurum.

32. Abbati de Clara tumba concedit generale Capitulum, ut sibi eligere possit unum ex fratribus suis, qui ipsum in casibus Capitulo reservatis absolvat, et ipse suos absolvere possit in praedictis casibus in foro conscientiae, semel dumtaxat, in plenaria potestate antedicti Capituli generalis.

33. Ad idem de Firmitate.

34. Cum ad audientiam Capituli generalis per quosdam Ordinis relatores quaerulose delatum est quod quidam abbates et abbatissae, in infligendis transgressoribus poenas Ordinis, negligentes nimis et remissi existant, si quod subditis suis in carnis contagio praesente repertis, poenitentiam in *Libello diffinitionum* talibus taxatam et decretam minime infligant eisdem, nec habitum aliquanto tempore saltem mutando, nec gradum auferendo, sed super huiusmodi et aliis poenitentiis Ordinis, propria voluntate, remedient et dispensant, propter quod subditi ad talia fore facta et consimilia nimis prompti redduntur et proclivi. Eapropter dictum Capitulum volens huiusmodi abusioni obviare, de Ebraco et de Lankeim monasteriorum abbatibus committit districtius iniungens, quatinus si quos tales abbates et abbatissas cognoverint, qui et quae poenas huiusmodi mutare seu minuere seu etiam super eisdem auctoritate propria dispensare praesumant quovis modo, tales denuntiare studeant Capitulo generali.

35. Capitulum generale mandat et iniungit abbati de Caesarea, quatinus omnes et singulas moniales sibi subditas, quas rebelles et inobedientes in observantiis regularibus et Ordinis statutis repererit, carceribus recludat usque ad nutum Capituli generalis.

36. Abbati de Novo castro committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulos abbates monasteriorum Ordinis, in epis-

copatibus Constantiensi, Spirensi, Argentinensi, Basileensi et Wormatiensi existentium, ad solvendum contributiones et quotas eorumdem eis hactenus impositas non solutas, et imponendas annis singulis usque ad triennium, similiter ad mittendum scolares Parisiis vel alibi iuxta formam et tenorem statutorum nostrorum papalium, et ad veniendum ad generale Capitulum terminis statutis per omnes censuras Ordinis viriliter coerceat et compellat. Una cum hoc rebelles in praemissis vel aliquo praemissorum ad proximum futurum Capitulum generale citet personaliter et peremptorie compariturος, et ibidem allegaturos causam vel causas propter quam seu quas praetendunt se supportandos.

37. Capitulum generale de Bella valle et Lutzella monasteriorum abbatibus committit districtius iniungendo, quatinus ad monasterium de Caesarea quantocius poterunt personaliter accedant, et ibidem de institutione abbatis novi veraciter se informent. Quod si ipsum repererint iuste institutum, electionem de ipso factam laudent et approbent auctoritate dicti Capituli, antiquum vero abbatem, si iuste repererint destitutum, pensionem sibi datam prorsus tollant et ad monasterium proprium redire et bona quae de ipso monasterio abstraxit reportare compellant. Et si opus sit, suis exigentibus demeritis, carceri mancipare studeant, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad hoc auxilio et favore brachii saecularis.

38. Ad humilem abbatis de Ebraco supplicationem, cum sorore Sophia de Hurnehen dispensat misericorditer generale Capitulum, ut non obstante carnis contagio in quo lapsa extitit, diabolo suggerente, puerperio subsecuto, possit et valeat ad omnes gradus Ordinis legitimos promoveri vel ad aliud Ordinis monasterium se transferre.

39. Attenta desolatione monasterii de Bucovia in Polonia, abbatem praedicti loci a missione studentis et a solutione contributionum, usque ad immediate sequens continuum triennium, habet favorabiliter supportatum.

40. Capitulum generale considerans inconvenientia et scandala quae, proh dolor ! per tunicarum nigrarum aliorumque vestium diverso colore tinctarum introductam consuetudinem Ordini proveniunt, et quae ipsius Ordinis conformitatem [c] fere

---

[c] conformationem : *MP*².

destruunt et abolent, super quae dictum Capitulum remediare volens statuit et ordinat ut omnes, tam abbates quam monachi Ordinis universi, tunicas albas iuxta formam a sanctis patribus nobis derelictam habere procurent intra proximo futurum Natale Domini, nec de cetero dictas nigri seu alterius coloris, ut praemittitur, praeterquam albi [d] tunicas seu alios quoscumque habitus inordinatos deferre praesumant. Et si quis contra huiusmodi salubre statutum attentare praesumpserit, tamquam in habitu saeculari repertus puniatur.

41. Ad humilem supplicationem abbatissae de Bona via, Trevirensis dioecesis, placet Capitulo generali de consensu domini Cisterciensis ut soror Elisabeth, novitia conversa, et per abbatem Villerii commissarium ad Ordinem recepta in praefato Bonae viae monasterio, post annum probationis ad professionem per abbatissam modernam vel futuram recipiatur regularem, si tamen idonea et sufficiens extiterit et honeste devoteque se habuerit anno probationis revoluto ; super quae conscientiam abbatissae onerat Capitulum generale memoratum.

42. Generale Capitulum abbati de Ebraco, visitatori monasterii de Valle rosarum, mandat districtius iniungendo, quatinus abbatissam et conventum dicti monasterii Vallis rosarum ad recipiendum sororem Elisabeth de Bingen, monialem dicti loci, per omnes Ordinis censuras coerceat, absque ulla molestia, et compellat. Quod si fore fecerit, quia supplicavit abbas Villerii pro eadem, mitius corrigatur.

43. Abbati de Castro aquilae concedit generale Capitulum, ut possit suos novitios infra decem menses ad professionem recipere, dum tamen habiles reperiantur et sufficientes, super quo dictum Capitulum onerat conscientiam abbatis antedicti.

44. De Fontaneto et de Moris monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum districte iniungendo, quatinus ad monasterium de Quinciaco quantocius personaliter accedentes diligenter se informent, an dominus Pontigniaci informationem, quam fecit circa festum Sancti Remigii anni 1426 suam visitationem ordinariam exsequendo in eodem Quinciaci monasterio, quae abbatis dedecus tangere videbatur, in capitulo ipsius monasterii in praesentia omnium annullaverit et cassaverit, et indulgere dictum abbatem Quinciaci persuaserit duorum fra-

---

[d] abbati : *MP*².

trum suorum culpis qui dictum abbatem Quinciaci, ut asserit ipse abbas, apud dictum dominum Pontigniaci accusaverant. Et quidquid inde repererint domino Cisterciensi referre studeant veraciter, infra festum Annunciationis Beatae et intemeratae Virginis gloriosae.

45. Attenta relatione abbatis de Ebraco, Capitulum generale contractum venditionis quorumdam bonorum monasterii de Castro aquilae in Durkelbil, per abbatem et conventum ipsius monasterii factam cuidam oppidano Frankerfurdensi, nomine Gippelo de Hultzhusen, approbat, ratificat et confirmat.

46. De Ebraco, de Villario et de Wernevillerio monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus diligenter se informent, an opus sit et necesse monasterio de Otterburg aliquas pensiones ad vitam hominis, vel venditiones aliquorum bonorum mobilium vel immobilium ad solvendum debita, quibus, proh dolor ! ad praesens dictum oneratur monasterium, vendere seu aliter alienare. Et quidquid repererint anno sequenti referant per se vel per suas patentes litteras Capitulo generali memorato.

47. Abbatem de Otterburg generale Capitulum a via ipsius Capituli et a missione studentis et solutione contributionum, suae paupertati et monasterii desolationi compatiendo, per continuum sequens triennium gratiose habet supportatum. Dispensat etiam cum eodem abbate idem Capitulum, ut suos subditos absolvere possit in casibus Capituli reservatis, et eligere sibi unum de fratribus suis qui eumdem absolvat in modo et forma, in plenaria potestate Capituli memorati.

48. Abbati de Mullebrun committitur per generale Capitulum, ut cum fratribus Wernhero de Ochingen et Conrado de Wormatia, monachis et professis suis, super apostasia quam incurrerunt dumtaxat per unam diem, dispensat auctoritate dicti Capituli et eisdem habitum restituat regularem.

49. Generale Capitulum concedit et annuit abbati de Mullebrun, ut in foro conscientiae personas regulares sui monasterii subiectorumque sibi monasteriorum monialium, in casibus Capitulo reservatis absolvere, et in consimilibus casibus etiam absolvere et secum dispensare valeat et possit ad annum, in plenaria potestate Capituli generalis.

50. Omnes et singulos Ordinis abbates, qui fuerunt ad praesens Capitulum citati, et qui minime comparuerunt, citat prae-

sens Capitulum ad futurum proximum generale Capitulum sub poena depositionis, abbates vero hic expectatos et alios, qui praesenti Capitulo se praesentare, et excusare minime curaverunt, sub poena viginti librarum citantur ad proxime futurum Capitulum generale, nisi fuerit cum ipsis dispensatum.

51. Abbatem de Gratia Dei, Bisuntinensis dioecesis, quia ad praesens generale Capitulum debite comparare contempsit, et de contagio carnis per testes fide dignos convictus extitit, dictum Capitulum, Christi nomine invocato, ab abbatiali dignitate deponendum decernit ipsumque deponit, iniungens patri abbati ipsius monasterii de Gratia Dei, ut praedictum abbatem depositum quantocius poterit carceri mancipare, et eidem monasterio de novo et idoneo abbate studeat providere.

52. Attenta lamentabili desolatione monasterii de Alta silva, Capitulum generale abbatem dicti loci a solutione contributionum, per immediate sequens continuum biennium a data praesentis diffinitionis computandum, benigne et gratiose instantiaque abbatis de Villeriis, habet favorabiliter supportatum.

53. De Francis vallibus et de Silva cana monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus super articulis contra abbatem Aquae bellae per dominum abbatem Bonae vallis Capitulo generali porrectis, se diligenter informent, informationem ipsam reverendissimo patri domino abbati Cisterciensi referant ; cui idem Capitulum generale reverenter committit, quatinus in eiusdem potestate plenaria faciat breve et bonum justitiae complementum. (Hic in originali deesse videtur folium nonum).

54. Attenta desolatione monasterii monialium de Rosariis, committit generale Capitulum domino Claraevallis, quatinus eidem monasterio, amotis monialibus si quae sint in eodem, provideat de tribus vel quatuor religiosis Ordinis qui ibidem devotius Domino servient, ipsumque monasterium auctoritate Capituli redigat in prioratum.

55. Ad humilem supplicationem et requestam abbatis et conventus monasterii de Fonteneto, conceditur per generale Capitulum, ut diebus quibus una missa dumtaxat in conventu dicitur, a modo post Laudes missa de Beata Virgine alta voce decantetur.

56. Ad supplicationem abbatis monasterii de Clarofonte, cum fratre Bartholomeo de Abbatisvilla, monacho dicti loci, dispensat

generale Capitulum ut non obstante apostasia quam incurrit aliquamdiu apostatando, citra tamen habitus dimissionem, super quo poenitentiam sibi iniunctam benigne implevit, ad omnes actus Ordinis legitimos, voces, gradus, officia et administrationes, etiam ad abbatiatum, si contingat, suorum superiorum beneplacito concurrente, valeat in Ordine promoveri.

57. Committitur per generale Capitulum abbatibus Francarum vallium et Camporum bonorum, ut se diligenter informent super certa gravamina, quae intulit abbas Bonae vallis Viennensis abbati Aquae bellae. Quod si repererint per informationem debitam ipsum abbatem Bonae vallis, occasione dictorum gravaminum, teneri dicto abbati Aquae bellae, ad satisfactionem plenariam coerceat et compellat, etc.

58. Capitulum generale misericorditer annuens petitionem abbatissae et conventus monasterii monialium de Hagha super iniuriis, oppressionibus et vexationibus per quemdam dominum Guidonem de Guistella militem iniuste iniectis et procuratis, ad supportanda onera contra dictum militem usque ad finem litis, de Claromarisco et de Bondelo monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulos abbates et abbatissas nostri Ordinis in provincia Morinensi constitutos, usque ad summam centum francorum ad solutionem plenariam dictae abbatissae pro huiusmodi oneribus supportandis, coerceant et compellant in plenaria Ordinis potestate.

59. De Firmitate, de Morimundo, de Theoloco et de Bella valle monasteriorum abbatibus cuilibet per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis universi, quas in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis repererint obligari monasterio Cistercii, ad satisfactionem compellat auctoritate memorati Capituli viriliter et debite, in ipsius Capituli et totius Ordinis plenaria potestate.

60. Ad idem committitur per generale Capitulum antedictum pro monasterio Claraevallis, et sint iudices de Theoloco, s. th. pr., de Bono portu, de Crista, de Valle Sanctae Mariae et de Rippatorio monasteriorum abbates.

61. Ad idem committitur per generale Capitulum dominis de Cistercio, de Pontigniaco et abbati Maceriarum monasteriorum abbatibus, pro monasterio Firmitatis.

62. Ad idem committitur per idem Capitulum de Caroliloco,

de Valle Sernay et de Eschalleiis, pro monasterio Pontigniaci monasteriorum abbatibus.

63. Ad idem committitur per dictum Capitulum de Theoloco, de Caritate et de Clarofonte monasteriorum abbatibus, pro monasterio Morimundi.

64. Ad idem committitur per ipsum Capitulum de Fonteneto et de Rigniaco monasteriorum abbatibus, pro monasterio Quinciaci.

65. Litterarum seriem quibus haec praesens diffinito annectitur, approbat generale Capitulum, ratificat pariter et confirmat.

66. Ad audientiam generalis Capituli per nonnullos Ordinis zelatores pervenit quamplures monachos et moniales nostri Ordinis, suae salutis immemores, in camerulis commessationes extraordinarias cum saecularibus et aliis personis habere ad libitum et horis quibus prandere et cenare in conventu consuetum est, et hactenus observatum, in dictis camerulis edunt et bibunt ac alia inhonesta in eisdem contra Ordinis instituta non verentur perpetrare, in ipsius Ordinis opprobrium, populi scandalum et detrimentum animarum. Propter quod dictum Capitulum hiis et aliis scandalis obviare cupiens et de remedio providere opportuno, omnibus et singulis monachis et monialibus Ordinis universi praedictas camerulas habentibus mandat idem Capitulum, quatinus se a praedictis commessationibus et potationibus illicitis abstineant sub poena privationis camerularum praedictarum. Abbatibus vero et abbatissis omnibus et singulis ipsius Ordinis praecipit et iniungit idem Capitulum, in virtute sanctae obedientiae et sub gravi divinae Maiestatis et ipsius Capituli generalis offensa, quatinus praedictos monachos et moniales compellant ad comedendum et bibendum in refectorio et in infirmitorio communibus et in eisdem regularibus utantur cibariis et aliis pitantiis, prout in quampluribus et bene regulatis monasteriis utriusque sexus extitit observatum. In monasteriis vero, in quibus refectorium seu domus infirmaria non habeantur, abbatibus et abbatissis mandat idem generale Capitulum, quatinus praedicta infirmaria seu refectoria, quanto commodius fieri poterit, de novo construant et in eisdem comedant insimul, nisi gravis infirmitas hoc impedierit faciendum.

67. Depositionem abbatis de Alta silva factam per dominum Morimundi approbat Capitulum generale ; institutionemque novi

per dictum dominum factam, approbando ratificat et confirmat dictum Capitulum generale.

68. Ad idem de abbatissa de Fristorf fiat.

69. Relatu veridico didicit generale Capitulum, quod in quampluribus monasteriis Ordinis horae matutinales tardius pulsantur et segnius surgitur ad opus Dei perficiendum, quam antiquitus extitit consuetum ; propter quod multi tam religiosi quam populares male aedificantur et indevotiores reddantur et ad alia acta perficienda praepediuntur ; cui morbo de salubri remedio providere cupiens idem Capitulum statuit et ordinat, et edicto perpetuo diffinit observandumque de cetero in omnibus et singulis monasteriis Ordinis per sacristam dictae horae matutinales diebus feriatis secunda hora post mediam noctem, et in aliis diebus solemnibus et dominicis diebus prima hora post mediam noctem pulsentur, ad quas horas omnes pariter conveniant et devote persolvant iuxta consuetudinem sanctorum nobis traditam et hucusque in quampluribus monasteriis bene regulatis et reformatis extitit observatum. Quod si sacrista ad huiusmodi pulsationem remissus et negligens extiterit, pro qualibet vice poenam panis et aquae sustineat, et si assuetus fuerit et protinus emendare noluerit, poenae levis culpae subiaceat ad nutum Capituli generalis.

70. Capitulum generale sufficienter informatum de duritia quorumdam abbatum, qui in administrandis monachis suis victum et vestitum negligentiores et caritate tepidiores se ostendunt, super quo providere volens idem Capitulum statuit, ordinat et diffinit, ut omnes abbates Ordinis de cetero suis subditis in necessitatibus taliter provideant, ut occasionem inde non habeant per saeculum evagandi et proprietarie vivendi, sed quantum facultas cuiuslibet monasterii ferre poterit eisdem ministret quilibet abbas competenter. Et si quis abbatum se in praemissis ostenderit desidiosum, ex nunc pro tunc dictum Capitulum declarat et decernit ipsum propter hoc poenam suspensionis a divinis incursurum.

71. Capitulum generale dispensat cum fratre Ioanne de Lass, monacho de Sitich, ut non obstante quod ad generale Capitulum absque propriis abbatis licentia venerit, aliquam tamen sententiam seu infamiae notam propter hoc non incurrisse, declarat idem Capitulum generale.

72. Omnibus et singulis visitatoribus et reformatoribus Ordi-

nis universi inhibet generale Capitulum, ne de cetero quoscumque contractus in Ordine fieri permittant nisi per modum in statutis papalibus diffinitum. Quod si huiusmodi contractus per dictos visitatores et reformatores reperti fuerint, ipsos auctoritate dicti Capituli generalis revocent penitus et annullent, quos etiam tractatus idem Capitulum revocat omnino et annullat. Et si aliqui contractus per abbates, abbatissas seu alias quascumque Ordinis personas, praedictis papalibus statutis minime observatis, facti fuerint, ipsos idem Capitulum fuisse et esse nullos et invalidos declarat et diffinit, eosdem prorsus cassando et annullando, praedictis visitatoribus et reformatoribus districte praecipiens, ut abbates, abbatissas et conventus eis subditos ad huiusmodi contractuum dissolutionem et revocationem viriliter compellant, ipsosque de tanta temeritate indissimulanter puniant, iuxta praedictorum papalium statutorum et Ordinis diffinitionum sanctiones.

73. Generale Capitulum salubriter providere cupiens, ut collegium Sancti Bernardi Parisiis, quod inter cetera Ordinis collegia flos, decus et ornamentum speciale ipsius Ordinis esse dignoscitur, deinceps magistro regente, baccalariis, idoneisque personis sufficientibus ad honorem Domini Dei et eiusdem Ordinis gloriam et bonam famam continue fulciatur, statuit, ordinat et diffinit quod ex nunc in futurum, quicumque bibliam aut sententias legere voluerint in eodem priusquam ad huiusmodi lecturas ordinentur vel admittantur, iuramentum solemne coram testibus et publico notario praestare teneantur, et instrumentum super huiusmodi praestatione iuramenti publicum dare vel mittere domino Cistercii penes ipsum remanendum, quod nec ante nec post adeptum in dicto studio quemcumque gradum, per se vel per alium, procurabunt vel impetrabunt nec procurari aut impetrari consentient vel acceptabunt, absque licentia domini Cisterciensis, qui nunc est aut fuerit pro tempore, ut promoveantur ad abbatiatum vel alium quemcumque statum antequam regentiae tempus compleverint in eodem studio consuetum ; nisi tamen infra dictum tempus canonice sint electi, vel patrum abbatum auctoritate provecti. Qui vero iam sunt ordinati ad dictas lecturas, seu qui easdem iam perlegerunt, nullatenus praesententur ad licentiam, nec aliquid pro lecturis ab Ordine recipiant, donec coram provisore dicti collegii praedictum iuramentum praestiterint, et super hoc, ut dictum est, domino

Cisterciensi publicum tradiderint instrumentum. Si vero quisquam ex praedictis baccalariis nequissimo ambitionis spiritu seductus, quod absit, vel ductus, contra praestandum ab eo iuramentum quidcumque attentare praesumpserit, eo ipso usque ad nutum Capituli vel domini Cisterciensis carceri mancipetur et tamquam periurus ad quaevis officia deinceps in ipso Ordine obtinenda perpetuo reddatur et efficiatur inhabilis ipso facto.

74. Generale Capitulum lamentabili compatiens desolationi ad quam monasterium de Loco Dei, Ruthenensis dioecesis, per armatorum saevissimos discursus aliosque casus miserabiles, relatione veridica, comperit esse deductum, abbati eiusdem monasterii omnes contributiones, quotas per ipsum pro temporibus praeteritis debitas, benigniter remittit ac eumdem a contributionum solutione per immediatum sequens quinquennium favorabiliter absolvit.

75. Provisori collegii Sancti Bernardi Tholosae per generale Capitulum districte praecipitur et mandatur, quatinus fratrem Guillelmum Ra... de Bonasere, monachum monasterii Populeti, in scandalum et enorme dedecus totius Ordinis, absque sui abbatis licentia per saeculum discurrentem et vagantem, cum omni diligentia studeat carceri mancipare, praedicti monasterii Populeti abbati, iuxta Ordinis statuta quantocius remittendum et tradendum, frivolis appellationibus nonobstantibus quibuscumque, invocato ad praemissa etiam, si necesse fuerit, ecclesiasticorum saeculariumque iudicum auxilio et favore. Nec permittatur idem frater Guillelmus legere vel quemcumque actum scolasticum exercere in scolis Ordinis vel alibi in universitate Tholosana, absque generalis Capituli vel domini Cistercii licentia speciali.

76. Provisori collegii Sancti Bernardi Tholosae per generale Capitulum committitur et mandatur, quatinus si sufficienter et legitime sibi constiterit, abbatem de Bella pertica efficaciter teneri et obligari abbati de Candelio in summa 30 florenorum arragonensium, ipsum per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia ad praedictae summae solutionem eidem de Candelio faciendam viriliter et debite compellant, in plenaria Ordinis potestate.

77. Generale Capitulum scolaribus Ordinis in moribus et scientia proficientibus suos volens semper favores benevoles impertire, committit et mandat provisori collegii sancti Bernardi

Tholosae, quatinus abbatem monasterii de Bonofonte fratri Arnaldo, suo dictique monasterii Bonifontis monacho, per quinquennium licentiam studendi theologiam in universitate Tholosana dederit, ad providendum eidem fratri Arnaldo de bursa et aliis necessitatibus pro studii onere dictoque durante quinquennio supportandis, per censuras Ordinis viriliter et debite compellat.

(Hic videtur in originali deesse folium duodecimum).

78. De Theoloco, s. th. pr., et de Buxeria monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus super diffamatione abbatis de Roseriis infra festum Omnium Sanctorum proximum se diligenter informent, compertam informationem reverendissimo patri domino abbati Cistercii referant, cui domino Cisterciensi una cum uno quatuor primorum, quem secum decernet assumere, potestatem confert idem Capitulum et auctoritatem administrandi iuxta comperta debitae iustitiae complementum ; et quod abbas praedictus de regimine monasterii amodo se ullo modo intromittat.

79. De Rota et de Verola monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum potestatem visitandi et reformandi omnia et singula monasteria in regnis et dominiis omnibus Arragoniae, Navarrae et Portugalliae, et in praedictis locis contributiones levandi, et per censuras Ordinis ad solvendum compellendi, omnesque abbates ad mittendum scolares ad generalia studia coercendum, in plenaria ipsius Ordinis et Capituli generalis potestate, et signanter abbatem Sanctae Fidis, qui, ut non mitteret, litteras a Legato apostolico impetravit ; et ad cantandum Laudes, officium defunctorum et primam missam in dicto monasterio, per censuras Ordinis coercendum ; capucia vero cucullarum et scapularium portandi in posteriori parte usque ad corrigiam dumtaxat et in anteriori parte semipedis in longitudine.

80. Monialibus universis et singulis in regno Castellae constitutis, inhibet generale Capitulum sub poena excommunicationis latae sententiae et carceris, ne de cetero cornua portent, nec ornatum tam in capite quam in membris contra antiquam et approbatam Ordinis consuetudinem.

81. Abbatissae monasterii monialium de Las Huelgas de Burgis inhibet generale Capitulum sub poena excommunicationis, ne de cetero impediat abbatissas et moniales sibi subiec-

tas, quominus obediant visitatoribus ab Ordine deputatis, et litteras quas dicit se habere, quod non posset visitari nisi a domino Cistercii, ipsum Capitulum revocat penitus et annullat ; eidemque abbatissae praecipit dictum Capitulum sub poena praetacta, quatinus de cetero visitatoribus Ordinis obediat humiliter et devote.

82. Priori de Nazareth et fratri Guillelmo Quaralt, monachis monasterii Populeti, committit generale Capitulum, quatinus visis et attentis rebellionibus, alienationibus et impetrationibus contra Ordinis disciplinam ac instituta ipsius Ordinis, per abbatissam monasterii monialium Sanctae Felicis impetratis, quae quidem abbatissa de die in diem nititur a iurisdictione Ordinis se facere alienam, ipsum Capitulum declarat praefatam abbatissam sententiam et poenas contra tales impetrantes incurrisse. Eapropter dictum Capitulum praetactam abbatissam etiam deponendam decernit et privat eam ab honore, dignitate et onere abbatiali.

83. Compellatur abbas Populeti ad tenendum fratrem Ioannem Magdelem, monachum dicti monasterii, in studio generali usque ad magisterii actum, provisionibus sufficientibus et debitis, per abbates de Verola et de Rota per censuram Ordinis omnimodam.

84. Fratri Petro, monacho Fontis frigidi, committit generale Capitulum quatinus abbatem de Iavo dicti Ordinis et fratrem Antonium eiusdem loci monachum, qui manus violentas per suos in dominum Morimundi tempore suae visitationis iniecerant, capiant et in carceribus mancipent, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

85. Abbatibus monasteriorum de Rota et de Verola committit generale Capitulum, quatinus compellant abbatem Populeti ad reddendum rationem de contributionibus Ordinis sibi per Capitulum ad recipiendum commissis in regnis Castellae, Arragoniae, Navarrae, Portugalliae ac dominiis eorum, per censuras Ordinis in ipsius et Capituli generalis plenaria potestate ; quodque pecunias a praedicto abbate de Populeto recipiendas, domino Cistercii mittere non omittant infra Capitulum generale.

86. Cartam visitationis factam per dominum Morimundi tempore suae visitationis in monasterio Populeti, Capitulum generale confirmat, ratifiat et approbat.

87. Laudabilis [e] uniformitas tam in divino servitio quam cere-

moniis hactenus observata semper in Ordine persistat ; generale Capitulum filialem reverentiam matri nostrae Beatae Mariae cupiens iugiter exhibere, praecipit ipsius horas Beatae Mariae Virginis semper devote persolvi iuxta cerimonias, geniculationes et inclinationes in Cistercio consuetas. Similiter cantetur *Regina coeli* secundum Cistercii ritum, nullas notas addendo, diminuendo, vel immutando. Nec vestis nostra talaris diversis coloribus seu variis superstitionibus conspergatur.

1430

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1419.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Pro debitis... *etc.* contributionem sex millium florenorum... Dans et concedens... *etc.* Dictis receptoribus... *etc.* Vult etiam dictum Capitulum... *etc.* Potestatem... *etc.* Universis igitur... *etc.* (*cf. ann.* 1424, *n*o 8).

7. Generale Capitulum nomine et auctoritate totius Ordinis Cisterciensis, in omnibus et singulis generalibus et particularibus ipsius Ordinis, ac abbatum et conventuum monachorum personarumque singularium quarumcumque eiusdem causis, querelis, actionibus et defensionibus quibuslibet, abbatum, con-

---

[c] *Apud U intitulatur* : De uniformitate horarum Beatae Mariae, Regina cœli, et veste talari.

1430. *Fontes* : L^3 : 1-72 ; *M* : 7, 15, 52 ; P^2 : 1, 7, 8, 15, 25, 32, 46, 52 ; *W* : 7. [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Martino V° : P^2.

ventuum, monachorum, personarum et Ordinis totius praedictorum procuratores, nuntios speciales, negotiorum gestores, syndicos, economos, actores et defensores in sacro universalis Ecclesiae concilio in civitate Basileensi, divina favente clementia, proxime celebrando, eligit, nominat, facit et constituit reverendum in Christo patrem dominum Cistercii, venerabiles fratres Guillelmum Claraevallis, Guillelmum Fontis Danielis, Ioannem de Precibus, Ioannem de Vallibus Sernaii, Ioannem de Theoloco, s. th. pr., monasteriorum eiusdem Ordinis abbates, necnon de Buzeyo, de Charitate, de Altacumba, de Stamedio, de Claromarisco, de Belloloco Regis, de Fontibus, de Lutzella [c], de Lankeim [d], de Oliva, de Sancto Benedicto in Menterna, de Fossa nova, de Cherreto, de Caduino, de Candelio, de Populeto, de Berola, de Sacramœnia, de Morerola [e], de Bona valle Ruthenensi, similiter eiusdem Ordinis monasteriorum abbates et eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit eorum alterius conditio deterior... *etc. ut in anno* 1412, *n*° 60.

8. Quia [f] generale Capitulum reverendum patrem dominum Cistercii et quosdam Ordinis alios abbates numero plures deputavit, ordinavit, deputat et ordinat ad eumdem, communibus Ordinis expensis, pro nostro Ordine ad generale universalis Ecclesiae concilium in civitate Basileensi, divina favente clementia, proxime celebrandum, et residendum in eodem usque ad finem et complementum celebrationis eiusdem; ideo pro solvendis eorum stipendiis imponit super universum Ordinem, omnium videlicet monasteriorum utriusque sexus, summam sex millium librarum turonensium eisdem monasteriis per praedictos dominos Cistercii et Clarevallis aut alios ex praedictis abbatibus, quos ad hoc duxerint convocandos, distribuendam et imponendam. Taxa vero seu determinatio pecuniarum, quas quilibet praedictorum abbatum in praedicto concilio existentium et quamdiu in ipso residebunt seu residebit, talis erit : dominus Cistercii pro suis stipendiis quotidie tres francos recipiet ; quilibet vero aliorum abbatum pro eundo ad praedictum concilium iam deputatorum, vel pro eis, si qui forte deficerent vel non continuarent deputandorum, triginta sex solidos parisienses pro quolibet die recipiet. Adiungit etiam idem generale Ca-

[c] Buxelein : *MP*²*W*. [d] Lonken : *MP*². [e] Meroleta : *MP*²*W*. [f] Taxantur monasteria pro stipendiis deputatorum ad concilium Basileense : *P*².

pitulum, quod ubi ultra sex menses in futurum duraret dictum generale concilium, et praedicta summa sex millium imposita pro stipendiis praedictorum mittendorum non sufficeret, licebit praenominatis dominis Cistercii et Claraevallis una cum aliis per eos convocandis abbatibus, ulteriorem summam Ordini rursus simili modo imponere quae pro toto tempore durationis concilii praedicti ad solutionem stipendiorum et sub eadem taxatione praedictis sufficiat deputatis. Si autem praedictis dominis Cistercii et Claraevallis expedire videatur, quod ad praedictum concilium tot abbates non essent quot sunt deputati et ipsis deputatis vel aliis Ordinis abbatibus, si forte iidem deputati vel aliquis ipsorum ire non possent, pro eundo ad idem concilium, quos voluerint poterunt eligere, ac in eodem usque ad ipsius consummationem ad praedicta stipendia retinere. Ceterum praedictis dominis Cistercii et Claraevallis committitur, ut collectores sufficientes et idoneos, prout eis expedire videbitur, et tot quot voluerint in qualibet natione deputent et instituent ad levandum, exigendum et recipiendum ab omnibus et singulis monasteriis Ordinis utriusque sexus, quotas ipsis et cuilibet ipsorum de praedicto subsidio imponendas, omnesque abbates et abbatissas et officiarios seu officiales eorumdem monasteriorum et cuilibet ipsorum, per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia, invocato etiam ad hoc, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium favore et auxilio, ad praedictarum quotarum solutionem viriliter et debite compellendum, in plenaria Ordinis potestate.

9. Cum Ordo noster... *etc.* una cum subsidio ... pro expensis abbatum dicti Ordinis ad universalis Ecclesiae generale concilium... contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1423, *n*° 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

10. Contractum per abbatem Montis Sanctae Mariae non consonanter et conformiter ad statuta papalia et nostri Ordinis instituta factum Othoni Arches burgensi de Salinis, de et super venditione certorum reddituum in salneria de Salinis ad dictum monasterium pertinentium, generale Capitulum revocat, irritat et annullat ; abbatem vero praedictum, quia in praeiudicium sui monasterii et libertatum atque statutorum papalium eiusdem dictum contractum perpetravit et iniit, ipsum ab administra-

tione temporalium suspendit idem Capitulum, nisi infra festum Paschae proximum dictum contractum apud praefatum Othonem, et alios quorum interest, cum effectu procuraverit revocare. In casu vero quod dictus abbas memoratum contractum infra eumdem terminum ex toto non revocaverit, ex nunc prout ex tunc ipsum abbatem tamquam sui monasterii dilapidatorem generale Capitulum ab abbatiatu destituit et deponit.

11. Petitioni abbatissae Vallis bonae concedit generale Capitulum, quod quamdiu in humanis vixerit, nulla sororum suarum a nota infamiae contracta seu incursa per carnis contagium, de cetero relevetur, nisi per Dominum Cistercii vel generale Capitulum.

12. Abbati Sanctae Crucis in Austria concedit generale Capitulum ut suos novitios infra annum probationis possit ad professionem admittere, dummodo in suis servitiis sint sufficienter imbuti.

13. Eidem conceditur, ut grangiam seu grangias suas, sui conventus concurrente assensu, regere possit per laicos et homines saeculares.

14. Ad petitionem abbatis de Novo monte, cum fratre Udalrico Mathemfalt super infamiae nota et inhabilitate, quos apostatando contraxisse dignoscitur, si tamen condignam peregit poenitentiam, per generale Capitulum misericorditer dispensatur, ipsumque fratrem dictum Capitulum relevat ad omnes gradus, status, officia illibatae famae viris debita, pastorali dignitate seclusa.

15. Confessoribus monasterii in Slirbach [g], conceditur per generale Capitulum ut iuxta indultum Benedictinae nostrae carnibus uti possint.

16. Ad supplicationem abbatis et conventus de Sconaugia, cum fratribus de Bistosghey, Ioanne de Cassela, Ioanne de Lebekuchem, Ioanne de Staffelstein et Jodoco de Wachenheym suis et sui monasterii professis, ut ad omnes gradus, status, voces, officia, dignitates, citra tamen abbatialem, promoveri valeant, per generale Capitulum dispensatur, dum tamen, ut dictus abbas asserit, ea sufficienter emendaverint, pro quibus incurrerunt inhabilitatis infamiae notam.

17. De Firmitate, de Theoloco, de Charitate, de Valla clara,

[g] Flioloach : *M.*

de Ursicampo et de Caroliloco monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet et in solidum, committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis universi, quas in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis repererint obligari monasterio Cistercii, ad satisfactionem plenariam compellant auctoritate memorati Capituli viriliter et debite, in ipsius Capituli et totius Ordinis plenaria potestate.

18. Ad idem committitur per generale Capitulum antedictum pro monasterio Morimundi, et sint iudices de Bella valle, de Theoloco et de Clarofonte monasteriorum abbates et eorum quilibet.

19. Ad idem committitur per generale Capitulum domino Morimundi, de Charitate et de Clarofonte monasteriorum abbatibus, pro monasterio Theoloci.

20. Ad idem committitur per generale Capitulum abbati Campensi, Coloniensis dioecesis, pro monasterio de Menterna Sancti Benedicti in Frisia.

21. Ad idem committitur per generale Capitulum de Vallibus Sernaii, de Caroliloco, de Eschalleiis et de Fonte Ioannis monasteriorum abbatibus, pro monasterio Pontigniaci.

22. Ad idem committitur per generale Capitulum de Bonoportu, de Ripatorio et de Crista monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet, pro monasterio Claraevallensi.

23. Ad idem committitur per generale Capitulum de Morimundo et de Clarofonte monasteriorum abbatibus, pro monasterio Dulcis Vallis.

24. Capitulum generale ad requestam abbatis de Bolbona, cum fratre Petro Vigneum, monacho dicti monasterii professo, qui per biennium in mundo demittendo habitum damnabiliter evagavit, misericorditer dispensat, ut possit ad omnes Ordinis actus legitimos, si sua merita hoc requirant, valeat promoveri, citra tamen abbatiatum.

25. Omnes commissiones pro reformatione Ordinis hactenus, quibuscumque aut a quocumque concessas, ipsum generale Capitulum tenore praesentium penitus cassat, revocat et annullat, praeter commissiones quatuor primis abbatibus concessas.

26. Abbati de Sancta Cruce in Austria committit generale Capitulum reformationem studii Viennensis, et ut omnes abbates Ordinis in ducatu Viennensi et partibus circumiacentibus compel-

lat ad mittendum scolares, iuxta facultates uniuscuiusque ad studium memoratum.

27. Ad idem committitur de Bolbona et de Caduino monasteriorum abbatibus et cuilibet eorum in solidum, reformatio studii Tholosani. Similiter ut abbates illarum partium ad mittendum illic scolares viriliter coerceant et compellant. Et quod magister regens eiusdem collegii de receptione contributionum se non intromittat de cetero, sed per manus collectoris a Capitulo deputati sumat stipendia annuatim. Et nihilominus sub excommunicationis sententiae poena dicto magistro praecipit, quod de cetero non recipiat aliquem ad lecturas Bibliae et sententiarum aut ceteros quoscumque scolasticos actus cuiuscumque religionis vel status existat, nisi dumtaxat religiosos de nostro Ordine absque licentia speciali Capituli generalis. Cum idem Capitulum intendat de cetero de lectoribus et personis idoneis ad praedictos actus scolasticos in eodem collegio exercendos diligenter providere, ex nunc pro dicto magistro regenti, sub poena privationis ab omnibus stipendiis et emolumentis, occasione dicti collegii sibi providendis, quod deinceps sicut ceteri magistri facultatis theologiae legat, ceteraque faciat, ex quibus Ordo et collegium praedictum fructum et honorem possint reportare.

28. Cum fratre Raymundo Vosterii, professo monasterii de Fonte frigido, ut ad omnes gradus, status, voces, officia, dignitates, abbatiali seclusa, promoveri possit, dum tamen Ordinis poenitentiam super apostasia peregerit, a generali Capitulo misericorditer dispensatur.

29. Abbatem de Castro aquilae generale Capitulum a via ipsius Capituli et a missione studentis ad studia generalia, suae paupertati et monasterii desolationi compatiendo, per continuum sequens triennium gratiose habet supportatum. Dispensat etiam cum eodem abbate idem Capitulum, ut suos subditos absolvere possit in casibus Capitulo reservatis, et eligere sibi unum de fratribus suis, qui eumdem absolvat modo et forma praedictis infra Pascha proximum, in plenaria potestate Capituli memorati.

30. Committitur abbati de Caduino, quatinus abbatem de Grandisilva compellat ad satisfaciendum abbati et monasterio de Bolbona de omnibus pecuniarum et aliis quibuscumque summis, in quibus praedictum de Grandisilva eisdem de Bolbona et suo monasterio invenerit obligatum, praedictisque partibus auditis eisdem faciat iustitiae complementum.

31. Super venditione grangiae de Broulhac, monasterio de Albis petris pertinentis, committit generale Capitulum informationem fieri per de Fontemorum et de Prato Sancti Benedicti monasteriorum abbates, eisdem et cuilibet eorum in solidum auctoritatem et plenum posse concedens, ut si dictam venditionem in praeiudicium statutorum nostrorum papalium et institutorum Ordinis factam esse repererint, conformiter ad revocationem Summi Pontificis eam etiam irritent et revocent auctoritate Capituli generalis, confirmatione patris abbatis in contrarium edita aut aliis non obstantibus quibuscumque.

32. Litteram visitationis traditam monasterio Castri aquilae a visitatore eiusdem tanquam exorbitantem et observantiis Ordinis dissonam, generale Capitulum revocat et annullat.

33. Abbati de Valle bona in Hispania committit generale Capitulum in ipsius et totius Ordinis auctoritate plenaria, ut omnia monasteria et personas Ordinis per totum regnum Portugalliae visitet et reformet, instituat, destituat tam in capite quam in membris, quaecumque ibidem, visitanda, reformanda, instituenda, destituenda repererit in eisdem. Similiter committitur et iniungitur contributionem recipere usque ad proximum generale Capitulum, in quo rationem reddere tenebitur de receptis.

34. Reformationem omnium monasteriorum et personarum Ordinis in regnis Arragoniae, Navarrae et Valentiae committit generale Capitulum abbati de Populeto, in dicti Capituli et totius Ordinis plenaria potestate. Committit etiam idem Capitulum eidem abbati de Populeto in dictis regnis contributiones recipiendi et compellendi non solventes per censuras Ordinis et alia iuris remedia, et de receptis per eumdem... etc.

35. Misericorditer dispensatur per generale Capitulum cum fratre Ioanne de Fonte romano, monacho professo monasterii de Bella valle, qui apostatans ab Ordine per saeculum evagando, immiscendo se divinis, si super praemissis poenitentiam egerit in statutis latam, valeat ad omnes gradus, officia et dignitates Ordinis promoveri, citra tamen abbatiatum.

36. Attentis viarum discriminibus et aliis inconvenientibus, generale Capitulum omnes abbates, qui ad praesens Capitulum venire praepediti fuerunt, habet favorabiliter hac vice excusatos ; quos tamen citat idem Capitulum ad proximum futurum Capitulum generale.

37. De Sacramenia, de Morerola, de Benevivens et de Montefero monasteriorum abbatibus, committit generale Capitulum auctoritatem et potestatem reformandi omnia et singula monasteria cuiuscumque generationis aut sexus existant, in regnis et dominiis Castellae et Galeciae, secundum tenorem commissionis per dominum Morimundi eisdem anno praeterito traditae. Insuper providendi monasteriis viduatis per depositionem vel suspensionem, absque praeiudicio patrum abbatum in dictis regnis existentium ; proviso tamen quod causas depositionum et suspensionum intimebunt sequenti anno Capitulo generali. Dictis etiam abbatibus committit idem Capitulum vel alteri eorum, alio se excusante, quatinus se diligenter informent de criminibus per abbatem de Spina perpetratis ; et si eum repererint culpabilem, puniant per incarcerationem, depositionem et alias poenas, taliter quod coeteris transeat in terrorem et exemplum, obstaculo appellationis postposito, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

38. Cum fratre Guillelmo, monacho monasterii de Bardonis, dispensatur per generale Capitulum, quod non obstante apostasia, quam per tres menses incurrit, habitu regulari non reiecto, ad omnes actus, gradus, officia et dignitates Ordinis valeat promoveri, citra nihilominus abbatiatum.

39. Abbatis de Runa, senio et imbecillitate attentis, eumdem ab accessu ad generale Capitulum usque ad quinquennium proxime sequens, habet praesens Capitulum favorabiliter excusatum.

40. De Doberan et de Novo Campo monasteriorum abbatibus simul et coniunctim iniungit generale Capitulum specialiter et committit, quatinus monasterium de Stolp accedant personaliter, illic auctoritate Capituli generalis hac vice tantum in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, visitantes et reformantes, instituentes et destituentes quaecumque visitanda, reformanda, instituenda seu destituenda repererint secundum Deum, apostolica et Ordinis instituta.

41. De Runa et de Victoria monasteriorum abbatibus, committit generale Capitulum in ipsius auctoritate plenaria, quatinus super delatione et querimonia qua frater Erasmus, professus monasterii Sitticensis, generali Capitulo delatus est et in pluribus per abbatem de Runa excessibus accusatus, se diligenter informent et si, quod absit, dictum fratrem Erasmum contra

iuris et Ordinis atque superiorum suorum, sicut apud nos accusatur, errasse et deliquisse repererint, praedicta auctoritate corrigant ; omnia et singula facta et conventiones ipsius fratris Erasmi cum dicto abbate suo Sitticensi, in Ordinis praeiudicium et derogationem, inita seu initas retractantes, annullantes penitus et cassantes.

42. Informationem faciendam super querimonia qua abbas Sancti Bernardi extra muros Valentiae in persona, rebus et bonis a fratre Berengario de Vith se laesum et gravatum multipliciter conqueritur, committit generale Capitulum abbatibus de Verola et de Petra eis districtius iniungendo, quatinus comperta per ipsos in hac materia proximo futuro Capitulo fideliter referant ; ipsumque Berengarium ad idem Capitulum citet seu per notarium publicum citari faciant comparriturum in persona ad obiicienda personaliter responsurum.

43. Abbatibus de Claroloco et de Novo castro committitur per generale Capitulum auctoritas et posse plenarium, ut fratrem Nicolaum de Vitis, priorem monasterii Stortzelbrunnensis, certis suis demeritis quibus apud nos fide digno relatu delatus est, capiant seu capi faciant, et strictis mancipari ac tamdiu detineri carceribus, donec per dictum generale Capitulum aliter super hoc fuerit ordinatum, invocato si sit opus ad executionem captionis et detentionis huiusmodi, auxilio iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis, quod quoad praemissa humiliter imploramus.

44. Ad requestam illustris domini marchionis Badensis, rationi utique et religioni nostrae consonam, committit abbati de Novo castro generale Capitulum, et iniungit, ut monasterium monialium Lucidae vallis, sibi immediate subiectum, et personas regulares eiusdem quantocius visitet et reformet, et ubi sua fortassis superioritas ordinaria emergentibus materiis Ordinis reformandis existeret, hoc casu auctoritati plenariae totius nostri praesentis Capituli generalis innitatur, quam quoad hoc sibi confert idem Capitulum per praesentes.

45. Abbatibus de Villerio et Pontistiffridi Metensis committit generale Capitulum, quatinus abbatissam de Fristoft ad deponendum habitus inordinatos et cornua in Ordine interdictos, et ad portandum regularem habitum Ordinis viriliter per censuras Ordinis omnimodas coerceant et compellant.

46. Auditis lamentosis et querulosis expositionibus abbatis

de Caduino, super iniusta et indebita Sancti Sudarii Salvatoris per dominos Capitularii Tolosani detentione, eidem de Caduino abbati committit et tenore praesentium confert idem Capitulum licentiam, auctoritatem et plenum posse, dictum Sudarium per omnes iuris et iustitiae vias requirendi, repetendi et obtinendi, ac in custodiam dicti Caduinensis et Cisterciensis Ordinis, prout esse consuevit et debet, redigendi quantocius reducendi, ad praemissorum exercenda et exsequenda praefato de Caduino praesentat et offert idem Capitulum, si opus fuerit consilium, auxilium et favorem.

47. Destitutionem sororis Guillotae, dudum abbatissae de Insulis prope Antissiodorum, factam auctoritate Capituli per abbates Pontigniaci et Fonteneti ; similiter subsequentem institutionem sororis de Nongeret abbatissae eiusdem loci factam per abbates praedictos, idem Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

48. Abbatibus de Fonte Ioannis et de Eschalleiis committit generale Capitulum, quatinus de vita et de moribus et utroque regimine abbatis Rigniaci satis informent et nihilominus verisimiliter eidem Capitulo delati se diligenter informent et si eumdem Rigniacensem, sicut fertur, defectuosum repererint, auctoritate totius antedicti Capituli faciant, iuxta culparum exigentias, debitae iustitiae complementum.

49. Super gratiosa recommendatione de persona fratris Ioannis Magdelain, religiosi de Populeto, per venerabilem Universitatem Tolosanam hoc anno litteratorie facta, eidem Universitati regratiamur, gratulamurque plurimum et gaudemus. Et licet Dei gratia plures provinciae ad litteras habeamus idoneos, nihilominus ad requestam venerabilis Universitatis praefatae eidem fratri Ioanni Magdelain favorabiliter condescendimus, sibi tenore praesentium annuimus, ut anno praesenti videlicet 30° sententiarum laureae ad honorem Dei et Ordinis insudet et diligenter insistat, eamque iuxta laudabilem dictae Universitatis consuetudinem studeat adimplere, diffinitionibus, constitutionibus, privilegiis, impedimentis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque.

50. De Morimundo et de Bella valle monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus fratres Nicolaum Daudelam et Petrum Darpenam, religiosos et professos sacerdotes monasterii de Bitania ad praesens, instinctu maligni spiritus

apostatas et fugitivos, quam primum poterunt ubicumque aut in quocumque statu vel ordine ipsos repererint, tamquam nostri Ordinis professos capiant et incarcerent, atque usque ad aliam proxime celebrandi Capituli generalis ordinationem in districtis carceribus, ubi eis visum fuerit, absque aliqua retractatione faciant detineri, ad praemissa et quodlibet praemissorum invocato, si sit opus, auxilio brachii saecularis et ecclesiastici.

51. Abbatibus de Gimondo et de Caduino committit generale Capitulum, quatinus de et super electione facta de persona fratris Ioannis de Buxo, monachi de Bolbona in sacra theologia baccalarii, in abbatem Calercii, se diligenter informent et si dictam electionem iuste, rite et canonice iuxta instituta Ordinis factam repererint, tamquam validam observari et effectum sortiri faciant, dictumque electum iuxta instituta Ordinis confirment et instituant, auctoritate Capituli generalis.

52. Diffinitionem anno ultimate elapso de nigris tunicis et aliis quibuscumque dissolutis habitibus in Ordine per quasdam personas non ferendis, generale Capitulum ratificans et confirmans, eidem addit praesens Capitulum, ordinat et diffinit quod de cetero per singula Ordinis dormitoria, ab abbatibus praepositis, ostia camerarum, culcitrae, linteamina, gippones et quaecumque indumenta irregularia tollantur penitus et aboleantur. Contradictores vero tamquam proprietarii per eorum abbates proprios per omnia puniantur.

53. Destitutionem sororis Robertae de Betesy et Nicolae de Liessis a statu abbatiali monasterii monialium de Farvachiis, Noviomensis dioecesis, ac institutionem sororis Margaretae de Beustewent, dudum monialis monasterii, factas seu celebratas virtute commissionis domini Cistercii per abbates de Vaulcellis et de Regali monte, idem Capitulum generale auctoritate sua et totius Ordinis approbat, ratificat et confirmat, praedictis Robertae et Nicolae districtius inhibendo, tenore praesentium, ne dictam Margaretam, occasione vel praetextu praedictae dignitatis abbatialis, quovis modo impetere seu in aliquo turbare praesumant aut impedire.

54. Quia propter longam distantiam abbatis de Stolp, patris abbatis monasteriorum de Valkana et de Padis, idem Pater abbas in dictis sibi subiectis immediate monasteriis annuae visitationis officium iuxta paternum debitum personaliter non potest impendere ; eapropter abbati de Oliva huiusmodi annuae

visitationis officium committit ad quinquennium, dummodo tamen dicti patris abbatis concurrat assensus.

55. Super irregularitate contracta a fratre Ioanne Eley, monacho monasterii de Zibekelo, per celebrationem missae in apostasia et per consequens in excommunicatione, dispensat generale Capitulum, dictumque fratrem Ioannem ad missam restituit et per praesentes habilitat, dummodo iuxta instituta Ordinis fecerit et sustinuerit poenitentiam regularem.

56. Abbati de Bolbona committit generale Capitulum, quatinus super concubinatu publico, de invasione visitatoris et aliis diversis excessibus abbati de Cornao [Florano ?], quibus eidem Capitulo per dominum Morimundi delatus est, se diligenter informet et si in praedictis ipsum culpabilem seu reum repererit, incarceret aut aliter iuxta culparum exigentias puniat, secundum Ordinis instituta.

57. Eidem abbati de Bolbona committitur reformatio monasterii de Fonte frigido et personarum regularium eiusdem, pro hac vice tantum, in plenaria Ordinis potestate.

58. De Campo et de Eystrebach monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum et iniungit districtius, quatinus omnes et singulas personas regulares Ordinis, sine licentia propriorum abbatum, Coloniae vel alibi vagantes, ad monasteria propria remittere quantocius studeant. Contradicentes vero in hoc rebelles seu inobedientes per detentionem in carceribus vel alias poenas, apostatis et fugitivis infligi solitas, puniant auctoritate Capituli memorati, invocato ad hoc, si opus sit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis.

59. Abbati de Bildehusen committitur per generale Capitulum, quatinus de monasterio monialium de Heiligental et eiusdem regimine se diligenter informent, et informationem eiusmodi referat Capitulo generali.

60. Monachis et conversis de Zibekelo, in monasterio monialium de Yesse moram trahentibus, esus carnium in locis Ordinis, in quibus per felicis recordationis Benedicti Papae XII constitutionem nobis indultus est, conceditur et permittitur per Capitulum generale.

61. Priori in Zibekelo et abbati in Arduwert concedit generale Capitulum, ut religiosos suos eis expresse professos ab omnibus casibus, sententiis et irregularitatibus Capitulo reservatis,

dum tamen super excessibus quorum occasione dictas irregularitatum sententias contraxerunt, digne iuxta instituta Ordinis correcti fuerint et egerint poenitentiam regularem, etc.

62. Gratiam de remanentia a generali Capitulo abbati de Menterna Sancti Benedicti in Frisia, per piae memoriae defunctum, olim dominum abbatem Cisterciensem concessam, permittit dictum Capitulum ad immediate sequens biennium a die datae praesentium in suo robore et valore.

63. Abbati de Runa auctoritatem et plenum posse concedit generale Capitulum, ut monachos sibi professos, necnon professos monasterii Sitticensis sibi immediate subditi, ab omnibus casibus, sententiis et irregularitatibus dicto Capitulo reservatis, semel dumtaxat possit absolvere, dummodo sibi constiterit, huiusmodi antedictos professos debitam poenitentiam Ordinis peregisse, omnesque religiosos dictorum sui monasterii ac monasterii Sitticensis sibi immediate subditi professos, qui rehabilitatione indigent, rehabilitare et ad omnes voces, honores, gradus, status, officia, dignitates etiam abbatiales, tam in Ordine quam ubilibet, si alias sua suffragentur merita, promoveri valeant et assumi.

64. Ad idem abbati de Stams potestas conceditur suos quoque professos a similibus casibus, sententiis et irregularitatibus una vice tantum absolvendi, dummodo peregerint poenitentias regulares ; unique suo monacho quemcumque eligendum decreverit eadem potestas conceditur, ipsum abbatem a similibus casibus, sententiis et irregularitatibus absolvendi.

65. Licet frater Galtherus monachus et sacerdos monasterii Pontigniaci ad romanam Curiam illicentiatus accesserit, regulari habitu non reiecto, quia tamen super dicto casu poenitentiam sibi iniunctam peregit humiliter et devote, generale Capitulum intuitu precum domini abbatis sui de Pontigniaco secum dispensat misericorditer, ipsum rehabilitat, ut dicto casu non obstante, ad omnes actus, honores, gradus, status, officia, dignitates etiam abbatialem, si alias mereatur, possit et valeat promoveri.

66. Depositionem fratris Guillelmi Bogarnier ab abbatiali dignitate monasterii de Fonte Ioannis dudum per dominum Pontigniaci factam. Similiter institutionem fratris Ioannis Boërii ad dictum monasterium generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

67. Generale Capitulum ordinat, statuit et diffinit, ut omnes

et singuli promoti seu in posterum promovendi ad bibliae vel sententiarum laureas, praestabunt seu praestare debebunt, antequam dictas aggrediantur laureas, solemniter in manu domini Cisterciensis iuramentum de scolasticis diligenter frequentandis actibus et tam in collegio quam in studio, residentia debita et continuatione iuxta almae facultatis Tolosanae ordinationem et consuetudinem faciendis. Alioquin eos omni iure collegii seu studii privat et privandos censet generale Capitulum, eisque hoc casu districte inhibet, ne ad cuiuscumque gradus apicem accedere aut ipsum adipisci quomodolibet audeant vel praesumant.

68. Frater Petrus Arnauldi, professus de Roseriis, ad omnia rehabilitatur quae sua sunt, in generalis Capituli potestate et per ipsum Capitulum in priorem eiusdem monasterii ordinatur. Frater vero Philibertus dicti monasterii professus ab eodem prioratu destituitur atque ad quaecumque officia honoris in Ordine perpetuo censetur inhabilis et indignus.

69. Reformationem monasterii monialium Lucidae vallis, ad requestam illustris domini marchionis Badensis, committit generale Capitulum abbatibus de Novo castro de Mulebrun et de Bebenhusen, usque ad immediate sequens Capitulum generale.

70. Abbati de Sinaqua committit et iniungit generale Capitulum, ut de Silvacana et de Aqua bella monasteriorum abbates citet seu citari faciat coram domino Cisterciensi in dicto Cistercio ad diem seu festum beati Martini proximum, ad obiicienda per promotorem Ordinis responsuros.

71. Abbas Rigniaci per generale Capitulum a totali regimine et administratione sui monasterii, usque quod per deputatos a Capitulo commissarios de et super eius regiminis informatio fuerit, suspenditur ; interimque procuratori dicti loci ipsum regimen seu administratio temporalium committitur per dictum Capitulum generale.

72. Promotionem factam per abbatem de Bolbona de persona fratris Raymundi de Forkerio ad monasterium de Bonoloco, nunc dicto Maria, dioecesis Burdegalensis, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

1431

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo in Christo patre ac domino domino Eugenio divina providentia Papa IV nunc universalem Ecclesiam gubernante, et pro dominis nostris cardinalibus,... *etc. ut in formula consueta.*

2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.

5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIONES].

6. Cum Ordo noster... *etc.* pro expensis dicti Ordinis ad universalis Ecclesiae generale concilium in civitate Basileensi... *etc.* contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.

7. Quia generale Capitulum reverendissimum patrem dominum Cistercii et quosdam Ordinis alios abbates numero plures deputavit et ordinavit, deputat et ordinat ad eumdem, communibus Ordinis expensis, pro ipso Ordine ad generale universalis Ecclesiae concilium in civitate Basileensi, divina favente clementia, proxime celebrandum et residendum in eodem usque ad finem et complementum celebrationis eiusdem, idcirco pro solvendis eorum stipendiis imponit super universum Ordinem, omnium videlicet monasteriorum utriusque sexus, summam sex millium librarum turonensium eisdem monasteriis per praefatum dominum Cistercii vel alios, quod ad hoc duxerit secum vocandos distribuendam et imponendam. Taxa vero seu determinatio pecuniarum, quam quilibet praedictorum abbatum in praedicto

---

1431. *Fontes* : L^3 : 1-42 ; *M* : 15, 16, 17, 22 ; P^2 : 1, 15, 16, 17, 22 ; *U* : 15, 43, 44 ; *W* : 43, 44. [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Eugenio IV ; Carolo VII rege francorum ; Ioanne VII abbate Cistercii 38° : P^2.

concilio existentium, et quamdiu in ipso residebunt seu residebit, talis erit : Dominus Cistercii pro suis stipendiis quotidie tres francos recipiet ; quilibet vero aliorum abbatum unum francum recipiet. Adiungit etiam idem generale Capitulum, quod ubi ultra sex menses in futurum duraret dictum generale concilium et praedicta summa sex millium imposita pro stipendiis praedictorum mittendorum non sufficeret, licebit praenominatis domino Cistercii una cum aliis per eos convocandis abbatibus ulteriorem summam Ordini rursus simili modo imponere, quae pro toto tempore durationis concilii praedicti, ad solutionem stipendiorum et sub eadem taxatione praedictis sufficiat deputatis. Ceterum praedicto domino Cisterciensi, ceteris abbatibus secum evocatis vel evocandis committitur, ut collectores sufficientes et idoneos, prout eis expedire videbitur, et tot quod voluerint in qualibet natione deputent et instituant ad levandum, exigendum et recipiendum, ab omnibus et singulis monasteriis Ordinis utriusque sexus, quotas ipsis et cuilibet ipsorum de praedicto subsidio imponendas, omnesque abbates et abbatissas et officiarios seu officiarias eorumdem monasteriorum et cuiuslibet ipsorum per censuras Ordinis ac alia iuris et iustitiae remedia, invocato ad hoc, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum auxilio et favore brachii saecularis, ad praedictarum quotarum solutionem viriliter et debite compellendum, in plenaria Ordinis potestate.

8. Temeritatem intolerabilem quorumdam Ordinis abbatum, qui tamquam propriae salutis immemores, et quasi Deum non timeant, aut nullam velint hominibus reverentiam exhibere, apostolica simul et regularia ipsius Ordinis statuta super missione scolarium cum debitis provisionibus ad studia generalia, prorsus observare contemnunt et formidandas excommunicationis aliorumque generum poenas, adversus ipsos in eisdem statutis notorie promulgatas, palam incurrere et in eis non erubescant damnabiliter permanere, generale Capitulum ultra sustinere non valens aut volens provisori collegii Sancti Bernardi Tolosae districte iniungendo praecipit et mandat, quatinus omnes et singulos abbates et officiarios monasteriorum Ordinis in provinciis Tolosana, Burdegalensi, Auxitanensi necnon in regnis, terris et dominiis illustrissimis et serenissimis principibus dominis regibus Castellae, Navarrae et Arragoniae subditis constitutorum, per censuras Ordinis aliaque iuris et iustitiae remedia, invo-

cando ad hoc, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum ac saecularium auxilium et favorem, per se vel per alium, quibuscumque dilationibus et excusationibus postpositis, viriliter compellant ad mittendum ad studium seu alia studia generalia iuxta praedictorum statutorum dispositionem scolares suos, ipsosque cum debitis provisionibus in eisdem studiis deinceps iugiter tenendum, prout praedicta statuta salubriter volunt et decernunt. Vult insuper et ordinat idem Capitulum quod praefatus provisor omnes et singulos praedictos abbates et quemlibet ipsorum, quos sufficienti informatione praehabita invenerit excommunicationis sententias seu poenas alias in praedictis statutis adversus abbates suos scolares ad eadem studia generalia non mittentes legitime promulgatas incurrisse, palam et publice tam in ipsius Ordinis monasteriis, quam in civitatibus et villis et aliis locis, de quibus expedire sibi videbitur, excommunicatos denuntiet ac faciet et procuret diligenter denuntiari; eisdem absolutionis beneficium nullatenus impertiendo, donec in dicto collegio Tolosae seu aliis Ordinis collegiis in studiis generalibus constitutis suos scolares cum debitis provisionibus, iuxta dictorum statutorum dispositionem, ut praemissum est, efficaciter tenuerint et habuerint ac de solvendo duplum expensarum, quas fecissent sui scolares, si eos, ut tenebantur, in dictis generalibus studiis hactenus tenuissent, iuxta ordinationem sequentis Capituli generalis sufficienter dederint, et quilibet eorum dederit cautionem. Ad quod quidem proximum generale Capitulum ipse provisor eosdem abbates et quemlibet ipsorum peremptorie citare non omittat personaliter responsurum vel responsuros ad omnia et singula quae, super praemissis et aliis tunc occurrentibus seu ea tangentibus, per promotorem causarum eiusdem Capituli ipsis et cuilibet ipsorum obiicientur. Si vero praedicti abbates seu aliqui ipsorum animo indurato, quod absit, praefato provisori in praemissis obedire contempserint, et de mittendo ad dictum Tolosanum seu alia studia generalia scolarem vel scolares, quem vel quos ad eadem, secundum praedictorum statutorum dispositionem mittere tenentur, vel tenetur, negligentes fuerint aut remissi seu negligens fuerit aut remissus, de praedictis sententiae excommunicationis et aliis poenis, quibus occasione praemissorum reperti fuerint innodati, temerarie non curando, nisi per eumdem provisorem seu alium vel alios per ipsum deputandum aut deputandos legitime moniti infra tri-

ginta dies post huiusmodi monitionem resipiscant, ad praedictum studium Tolosanum seu alia studia generalia suos, ut praemissum est, miserint scolares, idem provisor seu deputatus vel deputati per ipsum, omnes huiusmodi abbates sic delinquentes et quemlibet ipsorum eo ipso a regimine et administratione spirituali et temporali suorum monasteriorum in plenaria Ordinis potestate penitus suspendantur ab eorumdem monasteriorum regimine, sufficientes ex eisdem monasteriis monachos deputando et ordinando, donec per dominum Cistercii vel praedictum sequens generale Capitulum super ulteriori eorumdem abbatum punitione aliter ordinatum extiterit; prioribus, supprioribus et aliis quibuscumque regularibus et subditis eorumdem monasteriorum personis districtius inhibendo, ne eisdem abbatibus, tam impudenter et voluntarie in sordibus excommunicationis persistentibus, deinceps obediant, vel ab eis ecclesiastica recipiant sacramenta, seu cum eis in aliquo participent, nisi dumtaxat in casibus a iure permissis, quamdiu sic permanserint dictis sententiis et poenis damnabiliter innodati. Si tamen praedicti abbates salubriter ad cor redierint, et praefato provisori humiliter obediendo suos ad praedictum Tolosanum studium seu ad alia studia generalia, ut praemissum est, scolares miserint et tenuerint, generale Capitulum cum eisdem mitius agere volens, eidem provisori auctoritatem demum committit ipsos et quemlibet ipsorum a praedicta excommunicationis sententia misericorditer absolvendi, dispensandique super irregularitate occasione praemissorum per ipsos forte contracta, si sic ligati divinis se immiscendo, dum tamen sic absoluti vel absolvendi de veniendo ad praedictum proximum sequens generale Capitulum sufficientem, ut praemissum est, eidem provisori tradiderint cautionem. Omnibus igitur et singulis prioribus, supprioribus et aliis quibuscumque ipsi Ordini subditis regularibus personis generale Capitulum, sub excommunicationis latae sententiae et inobedientiae poenis, districte praecipit et mandat, quatinus in praemissis et ea tangentibus seu dependentibus ab eisdem praefato provisori diligenter assistant, et eidem in omnibus humiliter pareant et devote. Requirens denique idem Capitulum, cum reverentia qua decet, omnes et singulos iudices ecclesiasticos et saeculares, ceterosque christifideles per praefatum provisorem requirendos, quatinus in subsidium iuris et favorem

ac fomentum studiorum ac religionis, eidem provisori suos dignentur in praemissis favores benevolos liberaliter impertiri.

9. Attenta paupertate monasterii de Insula Barrensi, generale Capitulum eidem compatiens pensionem 40 francorum datam et assignatam per visitatorem et conventum ipsius monasterii de Insula, fratri Ioanni de Londeyo quondam abbati dicti monasterii, reducit idem Capitulum ad summam 10 francorum, cum duplici prebenda consueta, proviso tamen quod dictus frater Ioannes compelli possit ad missas celebrandas et ad alias observantias regulares.

10. Omnibus et singulis Ordinis abbatissis in virtute sanctae obedientiae ac depositionis poena inhibetur per generale Capitulum, ne ad preces cuiuscumque personae cuiuscumque conditionis aut status existat, puellas recipiant, quae non fuerint de legitimo matrimonio, et si quas receperint, quae non professionem praestiterint regularem, indilate expellere non omittant.

11. Generale Capitulum ea districtione qua potest, mandat et iniungit abbatissae Vallis domicellae, ut confessorem iuxta Ordinis statuta habeat, alias abbatem Populeti a provisione confessoris eidem abbatissae facienda, dictum Capitulum ei declarat non obligari.

12. Tractatum habitum inter abbatissam et conventum monasterii monialium de Sancta Horda, et praepositum et canonicos ecclesiae collegiatae Sanctae Crucis Pontis Moncionis, de et super iure patronatus, quod habent dictae moniales in curia Sancti Remigii de Maderiis prope muros dicti Pontis Moncionis, pro annuo censu duodecim librarum cerae vel viginti quatuor grossis praedictis abbatissae et conventui et earum successoribus, per praefatos praepositum et canonicos annis singulis in festo beati Martini hiemalis perpetuo persolvendis, approbat et confirmat Capitulum generale.

13. De Valle Dei et de Follina monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet, altero legitime se excusante, committit generale Capitulum districtissime iniungendo, quatinus quanto celerius poterunt ad monasterium de Sitich personaliter accedentes ibidem visitent et reforment tam in capite quam in membris quaecumque in eodem repererint visitanda et reformanda, et signanter se diligenter informent de institutione fratris Laurentii, qui se gerit pro abbate dicti monasterii de Sitich, et qui, ut fertur, intrusus est, et simonia institutus. Quod si sic repererint, ipsum

fratrem Laurentium sic fore promotum et institutum, ipsum deponent, et alium ad hoc idoneum dicto monasterio praeficiant, in plenaria totius Ordinis potestate.

14. Capitulum generale abbati de Sancto Benedicto committit, quatinus diligenter se informet de et super discordia mota inter abbatem et conventum de Vallibus in Ornesio, et abbatissam de Valle benedicta, et partibus auditis quantum poterit, iustitiae ministret complementum, praedictos abbatem et conventum ad solvendum eidem abbatissae annuum censum, videlicet 30 bicheta frumenti et 60 avenae terminis debitis, compellat. Abbatissae vero inhibeat sub excommunicationis et depositionis poenis, ne de cetero cum praedictis abbate et conventu, occasione solutionis praedicti census, violenter seu propria voluntate agat, aut ipsis aliquam vexationem seu damnum per quoscumque procuret, quod si contra praemissa attentare praesumpserit, praedictas excommunicationis et depositionis sententias se noverit incursuram.

15. Diffinitionem in Capitulo generali dudum salubriter editam, qua praecipitur ut in missis conventualibus, dum sacerdos praefationem pronuntiando dicit *Gratias agamus Domino Deo nostro*, omnes in choro existentes ob reverentiam divinae Maiestatis quam laudant angeli et dominationes tremunt, reverenter se inclinent donec respondeatur *Dignum et iustum est.* Praesens generale Capitulum laudans et approbans et confirmans, singulosque ipsius Ordinis professores ad semper se humiliandum sub potenti manu Dei eiusdemque gloriosae Matris, tanto ferventius satagit inducere, quanto praesentium temporum durante malitia certius ipsos lamentabiliori cognoscit esse subiectos desolationi, statuit, ordinat et diffinit, quod de cetero in memoriam et qualemcumque recognitionem beneficii, per amaram nostri Salvatoris passionem nobis exhibiti, quotiens hymnus *Te Deum laudamus* ab eisdem Ordinis professoribus cantabitur, cum dicetur ille versus *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni quos pretioso sanguine redemisti*, omnes stalla exeuntes capitibus discoopertis reverenter inclinent. Similiter in omnibus hymnis matutinorum, laudum, tertiae, vesperarum et completorii, ac etiam in antiphonis vesperarum omnium solemnitatum Virginis gloriosae, omnes extra stalla erecti usque ad praedictorum hymnorum et antiphonarum finem permaneant, et ad omnes collectas de ipsa Virgine Beatissima capitibus, ut praemissum

est, discoopertis, omnes extra stalla sua permaneant humiliter inclinati.

16. Omnes et singulas diffinitiones, ordinationes et statuta in duobus praecedentibus Capitulis generalibus editas praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, ipsas volens et mandans inviolabiliter observari. Diffinitionibus adversus abbates et monachos, qui tunicas nigras, gippones, camisias lineas, seu alios quoscumque habitus inordinatos portare seu in cameris dormitoriorum Ordinis quaecumque ostia tenere, vel in eisdem cameris culcitras plumeas aut linteamina quovis modo habere, vel in ipsis cameris quoscumque saeculares ad dormiendum vel aliquid aliud inepte faciendum introducere praesumunt, specialiter addendo, quod abbates in praemissis delinquentes, seu qui suos subditos in praedictis culpabiles non corrigant et puniunt, ipso facto suspensionem a divinis per tres menses incurrant, et temporali suorum monasteriorum per sex menses continuos priventur administratione. Monachi vero pro prima vice ultimi omnium aliorum monachorum per sex menses constituantur. Et si denuo recidivaverint, mancipentur carceribus, inde nullatenus exituri absque patrum abbatum eorumdem licentia speciali. Quas poenas tam abbatibus quam monachis sic delinquentibus dominus Cistercii et quatuor primi abbates ac eorumdem commissarii poterunt et tenebuntur infligere, ac easdem poenas, prout ipsis expediens visum fuerit, aggravare.

17. Item, abusum detestabilem quorumdam Ordinis abbatum, qui sub praetextu guerrarum in diversis mundi partibus, proh dolor! vigentium colore sibi quaesito a suis monasteriis se absentant, et tamquam mercenarii creditas eis oves pretioso Christi sanguine redemptas, lupinis morsibus non erubescunt lamentabiliter exponere, non contenti stare in civitatibus, oppidis, castris vel aliis locis tutis suis monasteriis vicinis et propinquis, in quibus securam habere mansionem, et circa regimen eis commissum pro parte magna fructuose possent vacare, generale Capitulum refrenare satagens, statuit, ordinat et diffinit quod de cetero abbates, qui propter quascumque guerras vel occasiones in suis secure non poterunt monasteriis residere, in civitatibus, locis, vel oppidis suis monasteriis propinquioribus et vicinioribus suam faciant residentiam, nec absque suorum patrum abbatum licentia, suorumque conventuum expresso

consensu, cuicumque abbati circa Ordinis facta generalia non occupato liceat aliter extra suum residere monasterium, mandans idem Capitulum et sub excommunicationis sententia praecipiens omnibus abbatibus, extra sua monasteria propter guerras vel alias quascumque causas existentibus, quatinus infra unius mensis spatium a praesentis diffinitionis publicatione computandum, ad eadem sua monasteria vel, ut praemissum est, ad loca tuta eisdem viciniora accedere non omittant, ibidem officium eis commissum de cetero solito diligentius impleturi.

18. Item, cum sicut periclitatio seu subversio naviculae rationabiliter imputatur nautae absenti, et de omnibus bonis in naviculo existentibus et propter suam absentiam perditis, ipsa nauta culpandus est et corripiendus ac si naviculam ipsam destruendo eadem bona in aquam proiecisset, ita desolatio et destructio monasteriorum, quae propter abbatum ab eisdem monasteriis absentiam destruuntur eisdem abbatibus rationabiliter debeat imputari ; sintque merito huiusmodi abbates tamquam suorum monasteriorum dilapidatores acerrime puniendi, statuit, ordinat et diffinit generale Capitulum, quod de cetero abbates, qui se, ut praemissum est, in suis monasteriis vel locis eisdem propinquioribus non residerunt, diligenter vigilaturi circa bonorum eis commissorum custodiam, de bonis omnibus eorumdem monasteriorum quae durante ipsorum absentia eadem monasteria perdiderint, teneantur respondere, et tamquam bonorum suorum monasteriorum dilapidatores indissimulanter puniantur ; frivolis appellationibus aut aliis allegationibus per ipsos forte proponendis non obstantibus quibuscumque.

19. Depositionem et privationem fratris Ioannis Milfur a statu et dignitate abbatiali monasterii de Alta sylva, Ordinis Cisterciensis, Tullensis dioecesis, per abbatem Morimundi factam, praesens generale Capitulum, attentis diligenter quae circa praemissa erant attendenda, ratificat, approbat et confirmat, ipsumque fratrem Ioannem Milfur propter sua demerita excommunicat, excommunicatum per omnes et singulas Ordinis personas super hoc requirendas, et in omnibus locis de quibus huiusmodi personis videbitur expedire, mandat denuntiari.

20. De Firmitate, de Caroliloco, de Maceriis, de Theoloco et de Ursicampo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis universi, quas in quibuscumque

pecuniarum summis aut rebus aliis repererint obligari monasterio Cistercii, ad satisfactionem compellant auctoritate memorati Capituli viriliter et debite, in ipsius Capituli et totius Ordinis plenaria potestate.

21. Institutionem et destitutionem abbatissae per dominum Morimundi in monasterio de Freistorf factas, praesens Capitulum ratificat et confirmat.

22. Abbatissae Sancti Antonii prope Parisius sub poena depositionis... etc. districte iniungit et mandat praesens Capitulum, ut de cetero abstineat a personarum saecularium in suo monasterio receptione, absque domini Cistercii vel Capituli generalis licentia speciali.

23. Provisori collegii Sancti Bernardi Parisiensis committit generale Capitulum, ut omnes abbates Ordinis, qui eidem collegio pecuniarum vel censuum summa tenentur, ad satisfaciendum eidem collegio compellere possit, in plenaria Ordinis potestate.

24. Sufficienter informatum generale Capitulum, quod soror Ioanna Scote nuper secundum Ordinis statuta in abbatissam monasterii monialium Sanctae Mariae de Goiono, Tolosanae dioecesis, electa et per abbatem monasterii Bonifontis fuit confirmata, eiusdem electionem electionisque confirmationem ratificat et approbat, eidem abbatissae quae ferventem zelum ad Ordinis observantias regulares, suique monasterii relevationem in spiritualibus et temporalibus, commendandam habere dignoscitur affectionem, pro speciali gratia concedens, ut moniales honestae conversationis et integrae famae cuiuscumque religionis existant, usque ad numerum duodenarium in dicto monasterio recipere, ac easdem et quamlibet earum ad professionem admittere possit regularem.

25. Abbati monasterii Bonifontis facultatem audiendi confessionis omnium regularium personarum monasterii monialium Sanctae Mariae de Goiono, seu eisdem per immediatum sequens quinquennium dumtaxat, de confessore sufficienti et idoneo providendi committit Capitulum generale.

26. Multiplices et graves sumptus quos sustinere compellitur frater Ioannes Magdale, monachus monasterii Populeti, ad laudem et exaltationem Ordinis, gradum magisterii in theologia in Universitate Tolosana, Domino concedente, in proximo recepturus, generale Capitulum mature considerans ad ipsosque sumptus faciendos et perferendos, dictum fratrem Ioannem ex

se nullatenus esse sufficientem relatione veridica certificatum, ut fortassis ipse frater Ioannes a receptione praedicti gradus, qui suis actibus virtuosis laudabiliter promeruit insigniri, ob defectum modicae pecuniae in iacturam et intolerabilem totius Ordinis ignominiam quovis modo retardetur vel privetur, idem Capitulum abbatem et conventum praedicti monasterii Populeti attente rogat et hortatur, eisdem nihilominus districte praecipiendo quatinus favores benevolos quos hactenus praefato fratri Ioanni liberaliter exhibuerunt benigne continuando pro praedictis sumptibus supportandis, infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum summam centum florenorum Arragoniae realiter et efficaciter sibi non omittant ministrare.

27. Controversiam inter abbatissam monasterii monialium Sanctae Mariae de Goiono ex una, et fratrem Guillelmum de Berges, monachum monasterii de Caduino, parte ex altera, prout ad aures Capituli generalis pervenit eo nuper exortam, quia dictus frater Guillelmus unam casulam et duas dalmaticas sericas contra voluntatem abbatissae et conventus dicti monasterii ab eodem monasterio asportavit et impignoravit, summarie cognoscendam atque terminandam abbati praedicti monasterii de Caduino generale Capitulum eidem abbati districte praecipiens et iniungens, quatinus praedictis partibus diligenter auditis secundum Deum et Ordinis statuta bonum et efficax studeat eisdem iustitiae complementum ministrare.

28. Conceditur per generale Capitulum fratri Ioanni Magdalen, monacho de Populeto, in sacra pagina licentiato, ut tempore quo erit regens in collegio Sancti Bernardi Tolosae stipendia regenti dictum collegium dari consueta secundum apostolica et nostri Ordinis instituta recipiat, videlicet ab abbate de Bolbona; insuper mandat idem Capitulum abbati de Bolbona ut dicto fratri Ioanni tradat de contributionibus Ordinis per ipsum receptis vel recipiendis pro festo suo faciendo viginti florenos.

29. Cum frater Simon, quondam abbas de Roseriis, propter sua demerita ab abbatiali dignitate dicti monasterii per generale Capitulum depositus fuerit, et postmodum vitam suam in melius commutare studuerit, prout veridica relatione dicto Capitulo extitit expositum ; propterea dictum Capitulum eidem fratri Simoni compatiendo ipsum ad omnes actus Ordinis legitimos, gradus et dignitates, etiam ad abbatialem dignitatem

inclusive, habilitat et relevat, si sua in posterum merita suffragentur.

30. Placet Capitulo generali quod litterae eiusdem Capituli, quibus praesentes annectuntur, quam primum in monasterio Locedii abbas pacificus fuerit, suum de verbo ad verbum secundum eius tenorem sortiatur effectum, excepto quod assignationem diei coram nobis ad causam seu causas in contrarium eiusdem tenoris allegandas decernit idem Capitulum non tenendam.

31. Attenta infirmitate abbatis de Bolbona generale Capitulum a via dicti Capituli ipsum de cetero habet favorabiliter excusatum, suam onerans conscientiam quod Domino concedente si in posterum convaluerit dictum Capitulum visitare teneatur, confessoremque qui ipsum in casibus Capitulo reservatis absolvat, et ipse suos monachos absolvere possit semel infra proximum Capitulum, in plenaria Ordinis potestate ; eidemque abbati contributionem anni praesentis ipsum et suum monasterium concernentem in deductionem expensarum quas ipse fecit dictas contributiones colligendo, idem generale Capitulum remittit gratiose.

32. Quia generali Capitulo ad verum constat quod frater Ioannes dictus Gallardon, s. th. pr., dudum abbas monasterii de Vallibus Sernaii electionem de ipso factam per conventum monasterii de Roseriis acceptaverit, et curam ac administrationem ipsius monasterii spiritualem et temporalem susceperit, dictum monasterium per aliquod tempus gubernaverit, regimen dicti monasterii de Vallibus resignando ; qui quidem abbas postea regimen praefati monasterii de Roseriis resignavit, et ad monasterium supradictum de Vallibus accessit, et absque patris abbatis auctoritate seu licentia regimen ipsius monasterii in spiritualibus et temporalibus temerarie suscepit, quam rem ferre non valens dictum Capitulum generale, sed modis omnibus obviare volens et remedium adhibere opportunum, declarat et decernit idem generale praefatum fratrem Ioannem Gallardon abbatem non esse, nec aliquod ius habere in monasteriis antedictis ; eidem fratri sub poena excommunicationis et carceris inhibendo, ne de cetero se intromittere praesumat de regimine monasteriorum praetactorum, omnibusque personis dictorum monasteriorum regularibus prohibet idem generale Capitulum,

ne dicto fratri Ioanni in aliquo obedientes existant, sed ipsum a suis monasteriis, si opus sit, totaliter expellant.

33. Confirmationem electionis seu provisionis factae in monasterio de Vallibus Sernaii per abbatem Mortuimaris, s. th. pr., commissarium in hac parte abbatis Savigniaci, ac etiam institutionem fratris Dominici in abbatem dicti monasterii de Vallibus per dictum de Mortuomari novissime instituti, laudat, confirmat et approbat Capitulum generale, mandans et districte praecipiens omnibus et singulis eiusdem monasterii de Vallibus personis regularibus, quatinus eumdem fratrem Dominicum in suum abbatem recipiant, eidemque de cetero reverentiam exhibeant debitam et devotam, ac de bonis omnibus iuribus et emolumentis ad idem monasterium pertinentibus fidelem et integram reddat rationem, ac de eisdem ipsum faciant et permittant libere uti et gaudere, fratrem Ioannem Gallardon absque generalis Capituli licentia in dicto monasterio seu locis pertinentibus ad ipsum deinceps nullatenus recipiendo, seu quamcumque facere residentiam permittendo.

34. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum in regno Angliae et partibus circumvicinis existentium domino Claraevallis, s. th. pr., cum adiuncto sibi per dominum Cistercii, committit generale Capitulum, ut in forma.

35. Ad idem fiat pro domino Morimundi reformatio in regnis et dominiis totius Castellae, et in tota lingua occitana, et in omnibus dominiis et provinciis dictarum partium.

36. Abbati monasterii de Dobberan annuit et concedit generale Capitulum ut possit eligere unum de fratribus suis in confessorem, qui ipsum a casibus Capitulo reservatis absolvere possit usque ad triennium, et ipse abbas suos monachos consimiliter absolvere possit a praedictis casibus in plenaria dicti Capituli generalis potestate.

37. Quia abbas de Balerna sufficienter et legitime citatus fuerit ad comparendum Capitulo generali ad respondendum ad ea quae sibi obiicientur personaliter responsurus per promotorem causarum ipsius Capituli, non comparuit, per idem Capitulum reputatur contumax, et propter ipsius contumaciam excommunicatur, et per universa Ordinis monasteria, civitates et alia loca decernitur excommunicandus et denuntiandus, quotiescumque videbitur expedire ; et de novo citatur ad comparendum coram domino Cistercii in monasterio Cisterciensi, vel alibi,

ubi pro tunc erit idem dominus Cistercii, ad diem 24 mensis octobris proxime futuri, responsurus personaliter ad ea quae per procuratorem causarum Ordinis sibi pro tunc obiicientur. Omnibus et singulis prioribus, supprioribus, aliisque personis Ordini subiectis mandat et praecipit idem Capitulum praedictum abbatem excommunicatum denuntiare in eorum et dicti monasterii de Balerna capitulis, si et quoties super hoc requisiti fuerint.

38. Quia frater Ioannes Gallardon, s. th. pr., sufficienter et legitime ad secundam diem praesentis generalis Capituli citatus personaliter responsurus ad ea quae sibi per promotorem causarum dicti Capituli obiicientur, minime comparuit, per idem Capitulum contumax reputatur, et propter eius contumaciam excommunicatus decernitur per omnia Ordinis monasteria, civitates et alia loca excommunicandus quoties videbitur expedire, et de novo citatur ad comparendum coram domino Cistercii in monasterio Cistercii, vel alibi, ubi... *etc. ut in n° praeced.*

39. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum in regnis et dominiis totius Castellae et in tota lingua occitana, et in omnibus dominiis et provinciis dictarum partium utriusque sexus consistentium, domino Morimundi, de Fonte Ioannis et de Morerola monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, coniunctim, mandans et iniungens eisdem, quatinus ad dicta monasteria et alia loca conventualia in dictis partibus et dominiis existentia ipsi tres coniunctim, vel duo, altero legitime se excusante, qui duo, tertio eorum legitime impedito, alium abbatem ad hoc idoneum possunt evocare, personaliter accedentes, visitent et reforment, cetera faciant in plenaria Ordinis potestate.

40. De Salem, de Caesarea, et de Maris stella monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Fonte regis quantocius poterunt personaliter accedentes, eidem monasterio nunc vacanti aut non per resignationem fratris Ioannis de Ryndelbach ultimi abbatis dicti monasterii, de persona idonea et sufficienti per electionem canonicam aut alias per provisionem si huiusmodi electio per eligentium discordiam, quod Deus avertat, ad patrem abbatem devolvi contingeret, provideant, in plenaria auctoritate et potestate ipsius Capituli generalis, universis et singulis personis dicti monasterii regularibus mandat idem generale Capitulum, quati-

nus dictis abbatibus commissariis in praemissis et ea tangentibus obediant humiliter, auxiliumque, consilium praebeant et favorem. Si vero dictus frater nondum resignaverit, ut promisit facere domino Claraevallis, prout in commissione dicti domini Claraevallis continetur, ipsum ad huiusmodi resignationem faciendam compellant praedicti abbates in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate. Pensionem vero 20 florenorum rhenensium dicto fratri Ioanni per generale Capitulum assignatam anno quolibet ad dies vitae suae de bonis monasterii praedicti percipiendam, ubicumque fuerit, mandat idem generale Capitulum abbati futuro, ceterisque dicti monasterii officiariis praesentibus et futuris, quatinus illam sibi annuatim persolvant et tradant et illa eadem gaudere et uti faciant absque contradictione quacumque pacifice et quiete commissarii antedicti.

41. Abbatibus de Caduino et de Gimundo et eorum cuilibet per se et in solidum committit generale Capitulum districtius iniungendo, quatinus fratrem Ioannem de Buxo abbatem monasterii de Calercio ad satisfaciendum abbati de Bolbona de summa 24 scutorum auri quos recognovit habere penes se antequam efficiatur abbas dicti monasterii de Calercio, compellant per omnes Ordinis censuras, in plenaria auctoritate antedicti Capituli generalis.

42. Capitulum receptionem contributionum in tota lingua occitana et Vasconia abbati de Bolbona per immediate sequens triennium, committit, ut in forma.

43. Licet pluribus et repetitis diffinitionibus, omnibus et singulis monasteriis monialium et abbatissis prohibitum fuerit conversos aut donatos sine Capituli generalis aut patris abbatis licentia recipere, praesens generale Capitulum neminem volens ignorantiae praetextu in talibus quidquam excusationis amplius in futurum allegare, praecedentes diffinitiones approbando de novo, districte sub poenis et censuris Ordinis prohibet praedictis monialibus, monasteriis et abbatissis, ne in posterum praedictos conversos et donatos sine Capituli generalis aut patris abbatis permissione ad professionem aut quovis modo alias recipiant, neque aliqua alia regularis Ordinis congregatio et persona id in aliorum monasteriorum donatis sine Capituli generalis licentia et eorum, ad quos spectat, provisione attentare praesumat.

44. Quia nonnunquam per imprudentiam confessorum Ordi-

nis suam falcem in alienam messem mittentium gravia dispendia provenire possunt, ideo praesens generale Capitulum eisdem incommodis occurrere volens, inhibet omnibus confessoribus Ordinis in casibus reservatis dispensare, sicut nec pro eisdem beneficium absolutionis cuiquam absque superioris auctoritate praestare possunt. Sic tamen a patribus et commissariis in omnibus monasteriis provideatur tam religiosorum quam monialium, ut nullum ex hoc animarum dispendium oriatur.

1432

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno 1431.*
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno 1424.*
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno 1401.*
4. Pro pace... *etc. ut in anno 1416.*
5. Pro felicis... *etc. ut in anno 1425.*

[DIFFINITIONES].

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno 1411, n*° 7.

7. Generale Capitulum diffinitionem dudum editam ratificans et renovans, qua universis abbatibus Ordinis salubriter inhibetur, ne monachis aut conversis suis licentiam conferant ad aliena monasteria transeundi, aut profitendum in eisdem, nisi prius ipsi transeuntes aut profiteri volentes de abbate, qui ipsos recipere debeat, certificati fuerint et sufficientem suis abbatibus a quibus recedere volunt, possint super hoc certitudinem exhibere. Omnes et singulas licentias taliter transeundi

1432. *Fontes* : L^3 : 1-49 ; *M* : 12, 14, 30, 34, 39, 40, 45 ; P^2: 1, 12, 14, 30, 32, 34, 39, 40, 45 ; R^1 : 7, 9, 10, 12, 13, 14, 17, 34, 39, 40, 45, 51 ; *W* : 50.
[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Eugenio IV° : P^2.

vel profitendi quibuscumque monachis aut conversis datas, irritat, cassat et annullat, mandans et praecipiens omnibus et singulis monachis et conversis Ordinis tales licentias habentibus, quatinus infra unius mensis spatium vel profiteantur, si in Ordine benevolum receptorem invenerint, vel ad propria revetantur monasteria, ibidem Altissimo sua, prout tenentur, vota reddituri, alioquin tamquam fugitivi puniantur et ubique denuntientur excommunicati. Abbates vero suis monachis vel conversis ad aliena monasteria transeundi et ibidem profitendi licentiam concedentes eisdem monachis et conversis ultra spatium trium mensium ad quaerendum et procurandum sibi abbatem, qui eos velit et valeat recipere, nullatenus dare praesumant absque licentia Capituli generalis. Quicumque vero abbas suis monachis vel conversis licentiam transeundi ad alium Ordinem contulerit, cum hoc in praeiudicium et contemptum ipsius Ordinis libertatum et privilegiorum notarie redundat, tamquam periurus et earumdem libertatum seu privilegiorum temerarius impugnator irremissibiliter puniatur.

8. Diffinitiones in Capitulo generali anno proxime praeterito editas, praesens Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

9. Quia parum est iura concedere, nisi de ipsorum adimpletione ii pro quibus conduntur, sint solliciti. Propterea generale Capitulum dolenter considerans, nonnullos Ordinis abbates tanta praesumptione seu verius temeritate plenos esse, ut monachos et conversos, quorum culpas in suis monasteriis iuxta Ordinis statuta sufficienter corrigere possent et emendare, ad aliena transmittere monasteria non formident, sicque in totius Ordinis grave scandalum et dedecus frequenter videntur et inveniuntur monachi Ordinis incomposite per mundum discurrentes, et tamquam girovagi ad monasterium cum habitibus laceratis mendicando transeuntes. Volensque idem Capitulum huiusmodi abusibus per debitae provisionis remedium salubriter occurrere, statuit, ordinat et diffinit, quatinus abbates, monachos vel conversos pro culpis, quae possunt in propriis monasteriis emendari, a suis monasteriis emittentes ab omni administratione temporali suorum monasteriorum, donec sic emissos revocaverint, prorsus suspendantur; et nihilominus viginti libras parvorum turonensium tunc sequenti Capitulo generali sub poenis adversus abbates qui tempore debito impositas sibi et suis monasteriis non solverint contributiones promulgatis, solvere

teneantur, et in communes Ordinis utilitates convertendas.

10. In statutis tam papalibus quam regularibus Ordinis, generale Capitulum considerans sub poenis formidabilibus esse prohibitum, ne in Ordine per quoscumque abbates personae de Ordine Mendicantium recipiantur propter inconvenientia notoria, quae ex huiusmodi receptione in ipso Ordine hactenus contigerunt, peramplius que verisimiliter in posterum possent contingere, omnibus et singulis ipsius Ordinis abbatibus sub inobedientiae poena rursus inhibet, ne de cetero quascumque de praedictis Ordinibus Mendicantium personas recipiant, aut receptas in suis de cetero praesumant monasteriis retinere, nisi super hoc obtenta Sanctae Sedis Apostolicae licentia speciali, de qua priusquam huiusmodi licentiam habentes recipiant, fidem plenariam generali Capitulo facere teneantur.

11. Generale Capitulum abbati de Fonteneto districte praecipit et mandat, quatinus fratrem Theobaldum de Villa Dei, monachum suum, qui tamquam girovagus et apostata per civitates et castella discurrens cum armatis et aliis societatibus inhonestis inhoneste conversari non veretur, multaque dignoscitur perpetrasse scandala, ex quibus Ordinis fama plurimum denigratur, infra unius mensis spatium ad suum revocare monasterium non omittat, eumdem fratrem Theobaldum, casu quo sibi obedire contumaciter noluerit [c], carceribus mancipando inde nullatenus exiturum absque generalis Capituli licentia speciali.

12. Generale Capitulum provide considerans [d], quod licet in nonnullis mundi partibus abbates et monachi Ordinis tam in monasteriis quam extra albis dumtaxat cucullis uti consueverunt, idque hactenus propterea fuerit ab Ordine ipsis permissum, quia monachi sicut in regula scribitur de colore causari non debent, sed iuxta regionum quae inhabitantur exigentiam aliter et aliter ipsos convenit in vestimentis disponere ; quia tamen plerique tam ecclesiastici quam saeculares Ordinis consuetudines et statuta nescientes, et hii praesertim, qui generalibus universalis Ecclesiae intersunt conciliis, frequenter mirantur et interdum scandalizantur, cum personas eiusdem Ordinis habitus diversorum colorum gestare conspiciunt, idcirco idem generale Capitulum vestigiis inhaerendo beatissimi patris nostri

---

[c] praesumpserit : L^3. [d] desiderans : R^1.

Bernardi, cuius prima virtus habitus corporis sui, in quo nil apparebat, quod offendere posset intuentes, fuisse describitur, huiusmodi scandalis variisque oblocutionibus, quae praemissorum occasione adversus Ordinem possent suscitari per debitae provisionis remedium cupiens occurrere, statuit, ordinat et diffinit, quod de cetero omnes et singuli abbates et monachi Ordinis in praedictis sacris generalibus conciliis existentes, seu quovis modo comparentes, eo modo quo dominus Cistercii ac ceteri abbates tam de natione gallicana quam germanica, quibus abbates ceterarum nationum in vestitu et moribus bonis se magis conformare tenentur quam e converso, uti consueverunt, cucullis dumtaxat nigris utantur, et ab omnibus cucullis albis ac dyploidibus [e] seu epythogiis [f], vel habitibus nigris manicas non habentibus, quod loco capparum quidam abbates de Italia gestare praesumunt, penitus abstineant. Si quis autem huius statuti temerarius esse contemptor praesumpserit, quamdiu in sua permanserit obstinatione, eo ipso a divinis suspensus existat, et nisi resipuerit, canonice monitus, sententiam excommunicationis incurrat ipso facto, praemissisque spolietur habitibus, in usus pauperum caritative distribuendis [g].

13. Diffinitionem anno praeterito editam, qua singulis abbatibus et abbatissis Ordinis per generale Capitulum inhibetur, ne de cetero quoscumque contractus seu bonorum immobilium venditiones faciant, nisi per modum in statutis papalibus et Ordinis contentum, confirmans praesens generale Capitulum adiungendo, quod si quis abbas vel abbatissa Ordinis amodo contra praedictum generalis Capituli decretum attentare praesumpserit, praeter poenas quas incurrunt tales transgressores in dictis statutis contentas, poenam 20 librarum turonensium se noverint incursuros, quae summa converti debet in usus Ordinis utiliores [h].

14. Ad notitiam generalis Capituli perventum est quod nonnulli abbates et abbatissae Ordinis, personas ipsius Ordinis ad alia quam Ordinis iudicia contra ipsius Ordinis instituta trahunt et compellunt, iudicium et iustitiam Ordinis vilipendendo; quam rem dictum Capitulum sustinere non valens nec volens, sed pro viribus obviare satagens, atque de remedio salubri

---

[e] dyapladibus : R^1. [f] aytogiis : *M*. [g] distribuantur : R^1. [h] utilitates : R^1,

providere cupiens, statuit, ordinat et diffinit idem Capitulum, ne quisquam abbas aut abbatissa seu etiam alia quaevis Ordinis persona quamcumque personam Ordinis de cetero audeat alibi quam coram Ordinis iudicibus contrahere seu quovis modo praesumat compellere, quod si quis in contrarium attentare praesumserit, summam decem librarum pro emenda se noverit incurrisse ad voluntatem Capituli generalis distribuendam, et tamdiu sit a divinis suspensus donec absolutionem de perpetratis per ipsum obtinuerit a Capitulo memorato.

15. De Bonofonte et de Flarano monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum districte iniungendo, quatinus ad monasterium de Bella pertica quantocius personaliter accedant, ibidemque se diligenter informent de et super processu per dominum Morimundi et eius assessorem abbatem Fontis Ioannis facto adversus fratrem Ioannem quondam abbatem dicti monasterii de Bella pertica per dictos de Morimundo et de Fonte Ioannis, nuper depositum ab abbatiali dignitate ; et si invenerint dictos de Morimundo et de Fonte Ioannis contra dictum depositum iuste processisse, dictum processum approbent et institutum per eosdem in suo iure manuteneant, ac ipsius institutionem auctoritate Capituli confirment. Quod si repererint dictos de Morimundo et de Fonte Ioannis aliter quam ut praemittitur processisse contra dictum depositum, ipsum ad pristinam restituant dignitatem ; proviso tamen quod dictus depositus in omnia promittat se subiicere iurisdictioni Ordinis, et appellationi per ipsum interiectae omnino renuntiet, et audiatur in suis defensionibus sibique ministrent bonum et breve iustitiae complementum.

16. Abbati de Grandisilva per generale Capitulum committitur, ut ad monasterium de Caduino sive ad domum Sancti Sudarii Tolosae, quantocius poterit, personaliter accedat, et ibidem diligentem informationem faciat de bonis sublatis per abbatem Bonifontis olim abbatem dicti monasterii de Caduino, et per abbatem de Nyzorio per fratrem Ioannem Vaquerii, ad quorum bonorum restitutionem praedictos de Bonofonte et de Nizorio monasteriorum abbates et dictum fratrem Vaquerii compellat dicto monasterio de Caduino plenario fiendam prout fuerit rationis, in plenaria Capituli generalis potestate.

17. Generale Capitulum considerans quamplurima scandala Ordini evenire ex praesumptione quorumdam monachorum

ecclesiis parochialibus servientium et dioecesanis se indebite et contra Ordinis formam subiicientium ; quibus scandalis obviare cupiens et de remedio salubri providere satagens, idem Capitulum ordinat et diffinit, quatinus post monitionem talibus transgressoribus factam, nisi resilient ab huiusmodi nefaria transgressione, carceri mancipentur ; et abbates qui talibus consentiunt aut de cetero consenserint, eo facto astricti sint ad solvendum Ordini decem libras ad utiliores usus ipsius Ordinis convertendas, et nihilominus extra stella sua remaneant usque ad nutum Capituli generalis.

18. Quia generali Capitulo veridice constat quod frater Bertrandus, baccalarius in decretis, electus canonice et institutus in abbatem monasterii de Benedictione Dei alias de Nizorio et confirmatus per abbatem Bonifontis, patrem abbatem dicti monasterii de Nizorio, a gravaminibus et sententiis in ipsum per abbatem de Scala Dei, commissarium domini Morimundi, illatis ad dictum Capitulum legitime appellaverit ; ideo dictum Capitulum dictam institutionem ac etiam patris abbatis confirmationem approbat, ratificat et confirmat. Omnes vero et singulas excommunicationis sententias, quas praedictus de Scala Dei in dictum institutum seu religiosos sibi profitentes propter huiusmodi causam promulgavit, dictum generale Capitulum revocat et annullat, ipsos, si sit opus, a praedictis absolvendo.

19. Abbatibus de Gimundo et de Flarano per generale Capitulum committitur, quatinus se informent diligenter super tractatu inter abbatem et conventum Grandissilvae cum syndico Universitatis Tolosae, quibus haec praesens diffinitio annectitur, et quidquid super hoc repererint referant inde Capitulo generali proxime futuro veritatem.

20. De Altacumba et de Stamedio monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum mandando districtius, quatinus quantocius poterunt ad monasterium monialium de Bons personaliter accedant, et diligenter se informent de et super controversia, querelis et gravaminibus per sororem Aymonetam se gerentem pro abbatissa dicti monasterii de Bons in sororem Gaspardam quondam abbatissam dicti monasterii de Bons contra iustitiam, ut fertur, illatis, et partibus hinc inde auditis bonum et breve in plenaria Capituli generalis potestate faciant iustitiae complementum.

21. Ad instantiam domini de Firmitate, dispensat generale

Capitulum cum sorore Ymileta quondam abbatissa monasterii monialium de Bugella, Vercellensis dioecesis, deposita ab abbatiali dignitate, ut non obstante quod de contagio carnis convicta fuerit, prole subsecuta, possit et valeat ad omnes actus Ordinis promoveri, si sua in posterum merita suffragentur.

22. Abbati de Altacumba committitur per generale Capitulum quatinus diligenter se informet de consilio iurisperitorum, si matrimonium inter Franciscum Codureri et Ioannetam relictam Antonii Gaspardi, donatum et donatam monasterii Stamedii, Tarentasiensis dioecesis, sit iuridice contractum, et si sit, ministret iustitiae complementum, in plenaria ipsius Capituli potestate.

23. Attento abbatis Altaecumbae senio, Capitulum generale ipsum abbatem a visitatione ipsius Capituli perpetuo habet favorabiliter excusatum. Ad idem fiat pro abbate de Sancto Benedicto in Vepria. — Ad idem pro abbate de Thela.

24. Generale Capitulum abbates subscriptos, videlicet de Caroloco, de Bithania, de Uterina valle, de Varne Villerio, de Sturzeborn, de Valle lucenti, de Ioyaco, de Charmeriis, de Boheriis, de Fusniaco, de Ygniaco, de Caherio, de Castellariis, de Valentia, de Domo Dei, de Pratea, de Villerio, de Eslancio, de Calercio, de Bonavalle Viennensi, de Gimondo, et de Scala Dei, quia se legitime se excusaverunt, a via praesentis Capituli habet gratiose supportatos.

25. Generale Capitulum committit abbati de Longo vado et priori Claraevallis et eorum cuilibet, quatinus abbatem de Albaripa modernum et suum conventum ad satisfaciendum fratri Theobaldo de Bergeriis dudum abbati dicti monasterii Albaeripae de et super sibi debitis per eosdem, si tamen legitime repererint dictos abbatem vel conventum eidem fratri obligari, coerceant et compellant, in plenaria ipsius Capituli potestate.

26. Quia frater Michael Amyoti, monachus et professus monasterii de Bonavalle, Pictaviensis dioecesis, citatus fuit per dominum Cistercii ad comparendum personaliter in praesenti generali Capitulo responsurus super his quae sibi obiicientur per promotorem causarum, ipsius Capituli non comparuit, nec se excusavit, imo in apostasia damnabiliter remanens ; idcirco idem Capitulum reputat eum contumacem et excommunicatum denuntiat, ac per omnia christianitatis loca personis Ordinis mandat, ipsum

contumacem excommunicatum denuntiari. Universos autem iudices ecclesiasticos ac etiam curatos rogat et requirit idem Capitulum, si super hoc fuerint requisiti per abbatem dicti monasterii Bonaevallis, praedictum fratrem in suis locis et parochialibus ecclesiis modo praedicto denuntient excommunicatum.

27. Cum fratre Ioanne Parreti, professo monasterii Bonae vallis, dispensat misericorditer generale Capitulum, ut non obstante quod tempore suae iuventutis, habitu regulari deposito, per mundum spatium unius mensis vel circiter discurrere non abhorruerit, quia tamen poenitentiam salutarem sibi impositam humiliter peregerit, ipsum Capitulum ad omnes gradus Ordinis et dignitates, citra tamen abbatiatum, dictum fratrem habilitat, si sua merita hoc requirant.

28. Ad idem pro fratre Ioanne Vaquerii, monacho de Caduino.

29. Quia citatus ad praesens Capitulum abbas de Chezeriaco non comparuit, nec se sufficienter excusavit, idcirco idem Capitulum ipsum reputat contumacem, et excommunicatum denuntiat, ac eumdem citat ad immediate sequens generale Capitulum super praemissis et aliis, quae sibi obiiciuntur, responsurum, abbati de Stamedio, ut haec omnia eidem denuntiet, districte iniungendo.

30. Convocationem abbatum Ordinis qui pro et nomine ipsius Ordinis in sacro Basileensi concilio habebunt comparere, necnon ordinationem procuratoris generalis in dicto sacro concilio seu in Curia romana, domino Cistercii, prout et quantum sibi expedire videbitur, reverenter committit Capitulum generale omnibus abbatibus in eodem sacro concilio existentibus aut congregandis, expresse inhibens, ne absque praefati domini Cistercii scitu et consensu de negotiis statum Ordinis concernentitibus clam vel aperte quidquam tractare praesumant.

31. Omnes abbates Ordinis qui secundum papalia et regularia statuta in studiis generalibus scolares non tenent, et in praesenti Capitulo non comparuerunt seu sufficienter se excusaverunt, vel de non veniendo ad ipsum legitimam non habuerunt occasionem, praesens Capitulum poenas in praedictis statutis adversus eosdem notorie promulgatas ipsos incurrisse decernit et declarat, domino Cisterciensi reverenter committens ut per se vel per alium huiusmodi poenas ipsis quantocius infligat, omni postposita dissimulatione.

32. Si pro sumptibus et expensis abbatum in sacro Basileen-

si concilio pro et nomine Ordinis congregatorum vel congregandorum pecuniae de subsidio anno praeterito pro huiusmodi expensis impositae levatae vel levandae non sufficerent, nec eisdem de impositis in praesenti Capitulo contributionibus una cum onerum communium ipsius Ordinis supportatione debita fieri posset satisfactio, ut iidem abbates Ordini serviendo detrimentum non reportent, aut propriis stipendiis contra iustitiam non cogantur militare, vult, statuit et ordinat idem praesens Capitulum in sequenti Capitulo generali modum talem teneri per novi subsidii impositionem, vel alias, quod iidem abbates de praedictis suis stipendiis et expensis plenam, prout iustum est, recipere debeant solutionem.

33. Ad humilem exhortationem abbatis de Mulebrune, praesenti placet generali Capitulo vigilantissima sollicitudine reformationem Ordinis procurari, ut abbates Ordinis tam in natione germanica quam in ceteris quibuscumque nationibus aut regionibus constituti, hoc anno per provincias vel aliter quando et ubi ipsis magis videbitur expedire, simul in unum se congregent, sicque congregati secundum Deum et conscientias ipsorum pariter tractent et advisent omnia et singula quae pro reformatione Ordinis ipsius necessaria vel accommoda ipsis videbuntur; proviso tamen quod super tractandis vel advisandis per ipsos nihil concludant aut determinent, sed omnia per ipsos tractata et advisata sequenti Capitulo generali sufficienter et plene referre tenebuntur, ut tunc ipsum Capitulum super huiusmodi advisatis ad Dei gloriam et totius Ordinis decus et incrementum, communi et matura omnium deliberatione praehabita, fructuosam recipere valeat conclusionem.

34. Generale Capitulum circa promotionem virorum litteratorum in Ordine omnem adhibere volens sollicitudinem, omnes et singulos abbates Ordinis cuiuscumque nationis existant attente monet et hortatur, quatinus magistros in suis monasteriis habeant et teneant, qui iuvenes ipsorum monachos in studiis primitivis valeant erudire, vel saltem inter se taliter conveniant, quod in aliquo monasterio ad hoc magis apto in qualibet regione vel provincia unus magister ad ipsos iuvenes erudiendos idoneus teneatur, ceterique abbates propinqui unum vel duos ex suis iuvenibus monachis ad dictum monasterium destinent. De expensis tamen quas facient iuvenes sic missi, abbati praedicti monasterii in quo praedictus magister morabitur, integraliter et plene,

prout iustum est, satisfacientes. Per hoc tamen ipsum Capitulum praedictos abbates a mittendo suos scolares ad studia generalia quovis modo absolvere nullatenus intendit, sed sub poenis in papalibus et Ordinis regularibus statutis ipsis praecepit et mandat, quatinus iuxta eorumdem statutorum determinationem et tenorem ipsi ac quilibet ipsorum, quibuscumque dilationibus vel excusationibus reiectis, suos scolares ad praedicta studia generalia studeant destinare.

35. Committitur abbatibus de Gimundo et de Flarano per generale Capitulum districtius iniungendo, quatinus ad monasterium de Baldonis personaliter quam citius poterint accedentes, diligentem faciant informationem de persona et regimine abbatis ceterarumque personarum dicti monasterii de Baldonis, taliterque studeant omnia quae ibidem invenerint aut viderint corrigenda seu reformanda, corrigere et reformare, quod dominus cancellarius comitis Armigniaci, qui eum apud Capitulum super multis criminibus detulit et accusat litteratorie, quatinus iustitia per Ordinem ministrata merito super praemissis debeat contentari.

36. Cum fratre Ioanne Mercatoris, monacho de Valle clara, qui illicentiatus de monasterio recessit, ac per spatium decem dierum extra remansit,habitum tamen regularem non dimittendo, ut hoc non obstante possit et valeat ad omnes actus, gradus et dignitates Ordinis promoveri, si sua suffragentur merita, misericorditer dispensat Capitulum generale.

37. De Bolbona et de Gimundo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum, districte praecipiendo quatinus diligenter se informent de controversia habita inter abbates de Grandisilva et de Caduino ex una, et abbates de Flarano et de Caduino *(sic)* parte ex altera, et partibus auditis ministrent iustitiae complementum, in plenaria potestate ipsius Capituli generalis.

38. Capitulum generale abbati de Grandisilva committit, mandans et iniungens eidem ut diligentem informationem faciat, si abbates de Gimundo et de Baldonis, abbati de Caduino in aliquibus obligantur, et partibus hinc inde auditis, in ipsius Capituli generalis potestate bonum et breve faciat iustitiae complementum.

39. Ad aures pervenit generalis Capituli, quod sunt nonnulli monachi Ordinis desidiosi, negligentes et indevoti, quod in princi-

pio vigiliarum nostrae Dominae atque aliarum horarum canonicarum et missarum conventualium, venire contemnunt, alios devotos ipsorum indevotione scandalizando. Eapropter Capitulum generale ipsorum saluti salubriter cupiens providere, statuit, ordinat et diffinit, quatinus universi et singuli Ordinis religiosi ad praefatarum vigiliarum nostrae Dominae et aliarum horarum canonicarum principium, et ipsarum missarum initium simul conveniant et intersint usque in finem, taliter quod opus Dei per ipsos omnes perfici valeat et finiri ad laudem Dei et animarum salutem. Quod si quis hoc facere contempserit, vult generale Capitulum, quod eadem die vino careat et pitantia, et si saepius correctus fuerit et non emendaverit, vapulet in Capitulo, et absque aliqua gratia ipsa die penitus remaneat in pane et aqua.

40. Quoniam prout ex dispositione regulae fieri, potuit ieiunium sextae feriae aestatis tempore olim et a multo tempore citra in plerisque monasteriis Ordinis omissum fuerit propter nimietatem laboris, ut puta messium, vindemiarum et similium, quia vero huiusmodi laboris necessitas monasteriis nostris istis temporibus ut plurimum non incumbit, laici etiam scandalisantur nonnunquam ex fractione ieiunii antedicti. Quapropter generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit, ut praedictum sextarum feriarum ieiunium ab omnibus et singulis Ordinis personis utriusque sexus deinceps inviolabiliter observetur.

41. Confirmationem electionis fratris Aegidii de Morben, s. th. pr., in abbatem monasterii de Grandisilva nuper promoti in litteris, quibus haec praesens diffinitio annectitur, de... *(locus vacuus)* et expresse praesens generale Capitulum... *(locus vacuus)* ratificat, approbat et confirmat, salvo tamen iure alieno.

42. Ad idem fiat pro abbate de Caduino.

43. Ad idem fiat pro abbate de Alta silva.

44. Reformationem collegii Sancti Bernardi Tolosae, per abbates de Morimundo et de Fonte Ioannis auctoritate Capituli generalis novissime factam, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, decernens et similiter diffiniens abbatem et conventum monasterii de Grandisilva, qui praefatum collegium ad ipsum et suum monasteriorum pertinere asserebant, et a praedicta reformatione appellaverunt, indebite et male appellasse eidem ac eorum syndico seu procuratori perpetuum super hoc silentium imponendo.

45. Quamvis sacrorum auctoritas canonum et districtio nostrae regulae esum carnium praecipue in quartis feriis nobis interdicat, nonnulli tamen carnis curam facientes in desideriis, etiam dum sani sunt et robusti corporis eisdem diebus esu carnium vesci non verentur, ex quo inter cetera mala grave saepe sequitur scandalum laicorum. Quapropter generale Capitulum abusum huiusmodi absolvere volens, feriis quartis antedictis omnibus personis Ordinis, dempto necessitatis articulo, esum carnium penitus interdicit, nec cuiquam eadem feria ministrari permittit, mandans patribus abbatibus et visitatoribus universis ut praedicta statuta in seipsis primo et consequenter in omnibus sibi subiectis monasteriis diligenter faciant observari. Si vero abbas aliquis transgressor repertus fuerit horum salubrium statutorum, poenam decem librarum usualium pro singulis vicibus ab eo suus visitator exigere debeat et levare, in pios usus Ordinis iuxta suae discretionis arbitrium convertendas.

46. De Firmitate, de Caroliloco, de Maceriis, de Theoloco et de Ursicampo monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis universi, quas in quibuscumque pecuniarum summis aut rebus aliis repererint obligari monasterio Cisterciensi, ad satisfactionem compellant auctoritate Capituli memorati viriliter et debite, in ipsius Capituli et totius Ordinis plenaria potestate.

47. Ad idem fiat pro monasterio de Valle clara, et sint iudices de Ygniaco, de Boheriis et de Longoponte [monasteriorum abbates].

48. Ad idem fiat pro abbatibus de Gimundo et de Baldonis, et sint iudices abbas de Flarano et prior Sancti Bernardi Tolosae.

49. Quia frater Iacobus se gerens pro abbate monasterii de Vallibus in Ornesio citatus fuit personaliter ad comparendum praesenti generali Capitulo, responsurus ad ea quae sibi obiicientur per procuratorem causarum ipsius Capituli, non se praesentavit nec sufficienter excusavit, idcirco generale Capitulum decernit ipsum fore contumacem et etiam excommunicatum.

50. Capitulum generale concedit abbati de Lapide Sancti Michaelis, ut bona sua in Resin vendat.

51. Generale Capitulum personas Ordinis ad portandum habitus statui suo convenientes ipsasque decentes inducere ac

restringere satagens, statuit, ordinat et diffinit quod omnes abbates et monachi ipsius Ordinis sua monasteria equitando exeuntes in cappis (seu) brunis, conversi vero in griseis incedant ; quod si in aliquibus monasteriis abbates et monachi seu conversi aliter facere consueverint, infra quatuor mensium spatium a sua consuetudine prorsus desistentes praesens salubre statutum inviolabiliter teneantur observare.

1433

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIO GENERALIS]

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

7. Fratrem Stephanum de Ripparia, monachum monasterii Montis Sanctae Mariae, ab irregularitate quam vagabundus per saeculum apostatando spatio decem et octo annorum damnabiliter se divinis immiscendo et missas celebrando contraxit, misericorditer absolvit generale Capitulum, ipsum celebrationi missarum et divinis omnibus benigniter restituendo, hoc tamen

---

1433. *Fontes* : L^3 : 1-51 ; *M* : 1-4, 39, 40, 42 ; P^2 : 1-4, 11, 16, 38-42, 44, 45, 47 ; R^1 : 39-42.

[a] *Titulus apud* L^3 ; *aliter apud* R^1 : Nos, frater Ioannes abbas Cistercii notum facimus universis quod in nostro generali Capituli novissime lapso editae fuerint diffinitiones quarum tenor sequitur.

mediante quod poenitentiam propter hoc condignam eidem iniungendam humiliter et devote, ut decebit, murmure deiecto, perfecerit.

8. Contemplatione nobilis et illustrissimi domini domini Ioannis de Lucemburgo comitis Guisae, et domini de Beauvere, generale Capitulum committit abbatibus de Valle clara, de Vaucellis, de Fusniaco et de Boheriis, quod ad monasterium monialium de Monasteriolo prope Guisiam quantocius commode poterunt personaliter accedant, et si per informationem legitimam per ipsos exactissime fiendam invenerint, quod pro honore Ordinis et conservatione bonorum dicti monasterii, non est honestum et conveniens, quod de cetero in eodem monasterio moniales habitent seu teneantur, super quod idem Capitulum conscientias eorum onerat, de consilio et assensu praefati domini comitis et aliorum eiusdem monasterii fundatorum ipsum monasterium de Monasteriolo erigant in monasterium monachorum, et dispersis monialibus in eodem monasterio pro tunc commorantibus per diversa Ordinis monasteria monialium bene regulata loco huiusmodi monialium ibidem ponant et instituant unum abbatem qui ad minus secum habeat duodecim monachos, qui de omnibus iuribus, emolumentis, redditibus et proventibus quibuscumque ad dictum monasterium pertinentibus deinceps libere et pacifice gaudeant et utantur, quemadmodum de ipsis hactenus gavisae sunt antedictae moniales. Qui quidem abbates praedicti anno futuro et sequenti Capitulo referant omnia quae per ipsos in praemissis peracta fuerint et adimpleta.

9. Abbati de Bella valle, s. th. pr., committit et iniungit generale Capitulum quod quantocius commode poterit ad monasterium de Loco crescenti personaliter se transferat, illic de vita, moribus et utroque regimine abbatis dicti loci et ceterorum religiosorum suorum se diligenter informet, et quod per informationem invenerit reverendissimo patri domino Cistercii sub sigillo suo aut signeto notarii publici referat, per dictum patrem reverendissimum debitae executioni demandandum.

10. Generale Capitulum pluribus fide dignis relatibus informatum, quod frater Ioannes de Ribis, monachus monasterii de Caduino, plurima perpetravit scandala in processu contra eum declarato, districte praecipit et mandat abbati de Bolbona, quod praedicto processu diligenter inspecto, eumdem fratrem Ioannem iuxta suorum exigentiam demeritorum indissi-

mulanter secundum Ordinis statuta puniat et castiget, ipsum videlicet carceribus mancipando, seu ad aliud Ordinis monasterium emittendo.

11. Abbatibus de Grandisylva et de Calercio et eorum cuilibet per generale Capitulum committitur, ut ad monasterium de Caduino sive ad domum Sancti Sudarii Tolosae quantocius poterunt personaliter accedant, et ibidem diligentem informationem faciant de bonis sublatis per abbatem Bonifontis olim abbatem dicti monasterii de Caduino, et per abbatem de Nizorio, et per fratrem Ioannem Vaquerii ad quorum bonorum restitutionem praedictos de Bonofonte et de Nizorio monasteriorum abbates, et dictum fratrem Vaquerii compellant dicto monasterio de Caduino plenarie fieri, prout fuerit iuris et rationis, in plenaria Capituli generalis et Ordinis potestate.

12. Capitulum generale abbatibus de Grandisylva et de Calercio committit mandans et iniungens eisdem, quatinus diligentem informationem faciant, si abbates de Gimundo et de Berdonis, de Borbona et de Nizorio, abbati de Caduino in aliquibus obligantur, et partibus hinc inde auditis, in ipsius Capituli generalis potestatem bonum et breve faciant iustitiae complementum.

13. De Bolbona et de Gimundo monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum districte praecipiendo, quatinus diligenter se informent de controversia habita inter abbates de Grandisylva et de Caduino ex una parte, et abbates de Flarano et de Caduino parte ex altera, et partibus auditis ministrent iustitiae complementum in plenaria potestate ipsius Capituli generalis.

14. Abbati Fontis frigidi metensis et fratri Ioanni de Conflan, monacho monasterii Sancti Benedicti in Vepria concedit generale Capitulum, ut unum confessorem de Ordine eligere possint, qui eos in omnibus et singulis casibus etiam in illis Ordini et Capitulo reservatis semel dumtaxat et cum eis dispensare, in ipsius Ordinis et Capituli plenaria potestate.

15. Abbati de Populeto concedit generale Capitulum licentiam concedendi, sub minori censu quam consueverunt concedi, ad perpetuum terras steriles et minus utiles, necnon census seu redditus vendendi seu alienandi observato tamen, quod ista fiant de consensu seniorum sui monasterii, qui iurent ista dicto monasterio expedire, et quod pecuniae habendae de redditibus

vendendis ad alios non valeant applicari usus, nisi ad redditus utiliores emendum, et quod terra seu census numerum vel valorem non excedant viginti florenorum annualium.

16. Diffinitionem anno praeterito per generale Capitulum factam in qua collegium Sancti Bernardi Tolosae declarabatur ad Ordinem pertinere, et non specialiter ad monasterium Grandissylvae, ratificando, abbati monasterii de Bolbona dat ipsum Capitulum firmiter in mandatis, quatinus visis praesentibus ad dictam civitatem Tolosanam se transferens, dictum collegium, ad manus Ordinis ponat, prout supra diffinitum, auctoritate Capituli generalis coercendo abbatem Grandissylvae seu syndicum sui monasterii et alias quascumque Ordinis personas, ne in praedictis quomodolibet praestent impedimentum aut praestantibus dent auxilium, consilium et favorem.

17. Abbatissae monasterii Sanctae Mariae prope Burgis et omnibus abbatissis eidem immediate subiectis dat generale Capitulum firmiter in mandatis, quatinus de cetero non permittant monasteria sibi subiecta intrare pro quacumque causa vel quovis quaesito colore fratres de Ordinibus Mendicantium.

18. Abbatibus Sancti Andreae, Ianuensis dioecesis, et de Ripalta, Derthonensis dioecesis, committit et iniungit generale Capitulum, quod super contractu facto per abbatissam et conventum monasterii Sancti Stephani de Miluxtino, Albensis dioecesis, de venditionibus possessionum, vinearum, pratorum et terrarum cultarum et incultarum necnon molendinorum ad dictum monasterium spectantium, sit utilis dictis abbatissae et conventui seu earum monasterio, inspiciant et diligenter inquirant, et quod est post inspectionem et inquisitionem diligentem repererint, ore vel scripto proximo Capitulo generali referant.

19. Abbati de Locedio concedit et indulget generale Capitulum quod propter difficultatem reperiendi homines provectae aetatis et adultae, qui relicto saeculo devovere se velint Ordini, recipere possit ad suum monasterium et Ordinem iuvenes infra aetatem legitimam constitutos, institutionibus Ordinis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque.

20. Abbatibus de Ferraria et de Spina generale Capitulum districte praecipit et iniungit quatinus per censuras Ordinis et alias iuris et iustitiae remedia fratrem Martinum se gerentem pro priore prioratus de Monte Syon, Cisterciensis Ordinis, Tole-

tanae dioecesis, ad restituendum eidem Ordini monasterium de Valle bona eiusdem Ordinis, Palentinae dioecesis, quod quidem monasterium, ut fide digno relatu percepit ipsum Capitulum, indebite occupavit et in praesenti occupat in praeiudicium Ordinis antedicti. Insuper eisdem abbatibus praecipit et iniungit praesens Capitulum quod abbatissam monasterii monialium de Olgis Vallisoleti, Ordinis nostri et dioecesis Palentinae compellant ad expellendum Rodericum de Puellis extra dictum suum monasterium et servitium eius, per censuras Ordinis et remedia supradicta. Praedictis etiam abbatibus iniungitur, quatinus fratrem Ioannem abbatem de Saltunovali citent personaliter ad proximum generale Capitulum apud Cistercium celebrandum super sibi obiiciendis per promotorem Capituli responsurum, praefatum Capitulum certificent, ut est moris.

21. De et super insolentiis et defectibus fratris Thomae Mermodi de Yvernudo, monachi monasterii de Thela, Lausannensis dioecesis, ad praesens Capitulum per dominum Claraevallis personaliter citati, non tamen comparentis, ipsum Capitulum sufficienter instructum et informatum abbati suo de Thela districte praecipit et iniungit quatinus praefatum fratrem Thomam professum suum absque quacumque dilatione strictis carceribus mancipet, et post sufficientem carceris mancipationem, idem frater Thomas per patrem abbatem emittatur, non nisi ad nutum dicti Capituli reversurus.

22. Abbati de Bitlesdem iniungit generale Capitulum, quod omnes oblationes, eleemosinas, profectus et salaria fratri Ioanni Eversligue professo suo ex celebratione missarum pro certis defunctis ex devotione quarumdam personarum sibi provenientes seu provenientia, in adornatione altarium et capellarum ecclesiae suae, in libris, vestibus et aliis debito ornatui capellarum et altarium congruis, prout pio zelo dictus celebrans postulat, converti faciat et applicari.

23. Ad relationem venerabilis fratris Ioannis Blonton, monachi Ioraevallis, provisoris collegii Sancti Bernardi Oxoniensis percepit praesens generale Capitulum quod fratres Willermus Bryent, monachus de Fontibus, Willermus Gason, monachus monasterii de Kirkstel, et Petrus Moyvos, monachus monasterii de Melsa, sacerdotes, Eboracensis dioecesis, iam aliquamdiu in studio Oxoniensi tam in profectu morum quam litterarum acquisitione adeo laudabiliter laboraverunt, ut merito de ipsis

spes bona haberi debeat, quod in posterum iuvante Deo per illuminationes illorum nedum dicta sua monasteria, sed et totus Ordo tam trans quam citra maria debeat reflorere. Eapropter eosdem fratres et unumquemque ipsorum in dicto Oxoniensi studio usque ad doctoratum in theologia inclusive retinet ipsum Capitulum generale, suis qui sunt pro praesenti et erunt pro tempore abbatibus sub excommunicationis latae sententiae poena per nullum dicto Capitulo inferiorem tollenda districtius inhibendo, ne dictos suos scolares a studio praefato ante dictum doctoratum revocent aut aliquis eorum revocet, quinimo ipsos in eodem studio teneant et unusquisque eorum teneat cum provisionibus debitis secundum papalia et Ordinis instituta.

24. Licet frater Gerardus, monachus monasterii Bonifontis sacerdos, nuper cum levitate seductus spatio octo mensium, non tamen habitu regulari reiecto, quia tamen ab errore viae suae sponte reversus poenitentiam regularem sibi iniunctam humiliter subiit et peregit, eapropter Capitulum secum dispensat ipsumque rehabilitat ad omnes status, gradus, voces, loca, officia, citra tamen abbatiatum, in plenaria dicti Capituli potestate.

25. Audita per praesens generale Capitulum et, ut decet, cum multiplici gratiarum actione accepta reverendissimi patris domini archiepiscopi Cantuariensis devotione quam gerit ad Ordinem, et in speciali, ut pro scolaribus Ordinis in famosa Universitate Oxoniensi fundetur et construatur collegium, cuius ipse sua benigna gratia se fundatorem fore decernit, ipsius reverendissimi patris devotionem humiliter et laetanter amplectens ipsum Capitulum, necnon favorabiliter annuens petitioni abbatum, committit et iniungit idem Capitulum abbatibus de Strafordia et de Stanleya Cantuariensis provinciae, quod subsidium per abbates praefatae provinciae eorum singulis pro fundatione et constructione collegii imponendum usque ad immediate sequens quinquennium quolibet anno 40 librarum sterlingarum ad minus levent et colligant. Contradicentes et renuentes solvere summas eis rite impositas, per censuras Ordinis et omnes iuris et iustitiae vias coerceant et compellant, in plenaria Ordinis potestate, in constructionem, fundationem praefatas, idipsum per eos levatum subsidium fideliter convertant ; de receptis et de expensis omni anno in suo principali congregatione a Capitulo praesenti ipsis indulta fideliter computando. Non tamen intendit generale Capitulum, quod per huiusmodi subsidium communibus Ordi-

nis contributionibus aliqualiter derogetur aut praeiudicetur.

26. Hoc idem in provincia Eboracensi committit et iniungit praesens generale Capitulum abbatibus de Bella landa et de Salleya.

27. Electionem, installationem, institutionem et promotionem fratris Hugonis de Soncuria in abbatem et pastorem monasterii de Crista, in decreto cui hae praesentes nostrae annectuntur, latius et plenius expressas et contentas, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

28. Similiter electionem fratris Philiberti de Besromonte in abbatem monasterii de Vallibus in Ornesio, Tullensis dioecesis.

29. Ad idem, electionem, institutionem et promotionem fratris Stephani Sirerin, in abbatem monasterii de Colbalz, Caminensis dioecesis.

30. Abbates de Populeto, de Sanctis Crucibus, de Fonte frigido, de Bolbona, de Alna, de Berdonis, de Caritate, de Calercio, et de Uterina valle habet generale Capitulum hac vice tantum ab accessu ad hoc generale Capitulum favorabiliter excusatos.

31. Quia praesens generale Capitulum commissiones certis abbatibus Angliae et Walliae per abbates Claraevallis et Theoloci nuper reformatores dictarum partium per idem Capitulum deputatos concessas, tam super facto studii et studentium Ordinis in Universitate Oxoniensi, quam super certis quibuscumque agendis seu exercendis, necnon et pensiones quatuor personis Ordinis dudum quatuor monasteriorum abbatibus, videlicet de Quarraria, de Buckfestria, de Kirkestal, de Holmcultram, Wittoniensis, Oxoniensis, Eboracensis, et Carleolensis dioecesium, cum a suis dignitatibus abdicatione in manus dictorum reformatorum sponte cesserunt, similiter concessas, fide digno relatu percepit, non fuisse nec esse exorbitantes, sed potius rationabiles et discretas ; eapropter omnes commissiones et pensiones per praefatos reformatores quibuscumque personis in dictis Angliae et Walliae partibus concessas, ipsum Capitulum approbat et ratificat, easque in eadem forma qua per eos concessae sunt, tamquam a praesenti generali Capitulo emanantas validat et confirmat.

32. Ad audientiam, proh dolor ! praesentis Capituli delatum est, quod in nonnullis monasteriis Ordinis detestabile proprietatis vitium, sectiones bonorum, divisiones fructuum, necnon certae pro vestitu pecuniarum summae in damnabilem contemp-

tum professae et voluntariae paupertatis, atque in contemptum statutorum felicis recordationis Benedicti Papae XII, ac etiam in grave praeiudicium animarum damnabiliter ab abbatibus permittuntur et conceduntur. Eapropter dictum Capitulum volens huiusmodi detestabile vitium radicitus abolere, omnibus et singulis abbatibus sub excommunicationis et depositionis poena, prout volunt et ordinant regularia nostra et papalia instituta, districtissime praecipit et iniungit, quatinus statim et immediate hac diffinitione cognita, omnes sectiones, divisiones, portiunculas seu quascumque peculiares possessiones, terras, vineas aut animalia quocumque colore quaesito suis monachis actiones praemissas vel praemissa ad commune indissimulanter et totaliter reducant ; et ut huiusmodi proprietatum occasiones penitus auferantur et tollantur, sub eisdem poenis praecipit idem Capitulum, ordinat, iniungit universis Ordinis abbatibus, quatinus de communi bursa omnibus et singulis suis monachis, de victu, vestitu et ceteris necessariis sufficienter providean, iuxta suorum monasteriorum possibilitatem et facultatem.

33. Capitulum praesens veraciter informatum qualiter abbas Vallis magnae collegium Montispessulani hactenus negligenter et debiliter gubernavit ; eapropter ipsum Capitulum regimen dicti collegii a praefato abbate tollit et aufert, huiusmodi regimen et gubernationem collegii abbati Vallis bonae in eiusdem potestate Capituli ad immediate sequens decennium committendo ; eidem abbati Vallis bonae districtius etiam iniungendo, quatinus reparationi supradicti collegii diligenter intendat.

34. Licet generale Capitulum commendet et approbet ordinationes in monasterio de Fontibus in Anglia per abbates de Claravalle et de Theoloco novissime factas, contemplatione tamen reverendissimi in Christo patris domini archiepiscopi Eboracensis, necnon plurium illustrium comitum et aliorum dominorum, qui per suas gratiosas litteras abbatem praedicti monasterii de Fontibus dignati sunt commendare, super iuramento per eumdem abbatem de Fontibus super sacratissimum corpus solemniter praestito, de observando ordinationes antedictas, misericorditer dispensat, ipsumque relaxat, volens nihilominus easdem ordinationes per praedictum abbatem et alios, quorum intererit, efficaciter et inviolabiliter adimpleri.

35. Generale Capitulum non absque stupore vehementi

perpendens contumaciam summeque detestandam pertinatiam fratris Ioannis Hospitis, abbatis de Cheseriaco, qui dudum citatus ad comparandum in generali Capitulo novissime praeterito contumaciter ad ipsum Capitulum venire recusavit ; propter quod in eodem Capitulo publice fuit excommunicatus, qui rursus postmodum aggravatus et reaggravatus, denuoque citatus, ut praesenti Capitulo personaliter compareat, in sua obstinatione et malitia perseverans, malaque malis accumulare non formidans, ad ipsum praesens Capitulum venire vel mittere contempsit ; ex hoc se ipsum Ordini rebellem et inobedientem notorie committens ac in profundum malorum se demonstrans descendisse ; volensque idem Capitulum eiusdem abbatis temeritatem damnabilem debitae correctionis aculeo taliter refrenare, quod disciplinae rigore in ipsum exercendae praesentes et posteros, ne in huiusmodi rebellionibus atque pertinacibus inobedientiis damnabiliter labantur, cautiores efficiat, praefatum abbatem de Cheseriaco a statu et dignitate abbatiali dicti monasterii deponit, depositumque declarat et denuntiat, committens et mandans in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena abbatibus monasteriorum Altae cumbae et Sancti Sulpitii, ut infra octo dies ab exhibitione praesentium ipsis fienda computandos ad praefatum monasterium de Cheseriaco accedentes eidem monasterio per electionem canonicam de abbate sufficienti et idoneo provideant, praefatum fratrem Ioannem Hospitis, qui per annum et ultra in excommunicatione scienter permanens se reddit in fide vehementer suspectum, carceribus mancipantes, eumdemque sub tuta tenentes custodia, donec de ipso per generale Capitulum aliter fuerit ordinatum.

36. Abbatem de Bonomonte, qui propter quosdam excessus per ipsum perpetratos ad praesens generale Capitulum expresse fuit citatus, et in eodem Capitulo per se vel alium comparere contempsit, contumacen reputat, ipsumque in suae contumaciae detestationem idem Capitulum excommunicatum denuntiat, mandans abbati de Thela, ut praefato abbati de Bonomonte et suo conventui infra 15 dies proxime sequentes hoc intimare non omittat, sequenti Capitulo generali quid super hoc fuerit, debite nuntiando.

37. Cum propter guerras et notoria viarum discrimina, quibus omnes fere christianitatis regiones hiis temporibus malis lamenta-

biliter concutiantur, abbates in regnis Angliae et Scotiae, necnon in terris et dominiis Walliae et Hyberniae existentes ad generale Capitulum iuxta salubria Ordinis statuta, prout tenentur, annuatim accedere non possunt, ex hocque in eisdem monasteriis, prout ad audientiam praesentis Capituli pervenit, multae vitiorum spinae succrescant novitates atque singularitates contra ipsius Ordinis honestatem in cantu, in habitibus et aliis ceremoniis Ordinis introducantur, aliaque quamplurima per eorumdem monasteriorum personas hactenus facta sint, et continue dicantur perpetrari, ex quibus verisimiliter in brevi totaliter rumpetur nervus disciplinae regularis, si quominus praedictorum monasteriorum abbates simul in unum solito frequentius se congregare studerent, et simul congregati donec Domino disponente rebus pacatis ad generale Capitulum poterunt accedere, de suorum ac sibi subditorum reformatione morum efficaciter curare vel pertractare praesens generale Capitulum praefatorum abbatum quorumque subditorum saluti, quantum cum Deo potest, volens salubriter consulere, ac eorumdem necessitatibus misericorditer et efficaciter subvenire desiderans, statuit, ordinat et diffinit, quod per immediate sequens quinquennium anno quolibet omnes et singuli abbates Ordinis infra regnum Angliae et partium Walliae constituti, illis dumtaxat exceptis qui corporali fuerint infirmitate praepediti, in villa de Northentonia in die Sancti Ioannis Baptistae, simul congregentur, congregatique ad minus per tres dies in eadem villa permaneant inter seque diligenter et sollicite tractent de observantia sanctae regulae, correctione vitiorum, reformatione morum, privilegiorum et libertatum Ordinis defensione, necnon de omnibus et singulis quae pro honore Ordinis, salute animarum, ac debito suorum monasteriorum et personarum eorumdem regimine ipsis esse videbuntur accommoda, seu quomodolibet opportuna. Porro quia unitatis et mutuae caritatis vinculum super quo Ordo fundatus esse dignoscitur, et per quod identitas morum et cerimoniarum uniformitas usque ad ista tempora in eodem Ordine laudabiliter viguit, ad irreparabilem ipsius Ordinis iacturam faciliter posset dissolvi, si qualibet provincia volente in suo sensu abundare contingeret, in praedicta congregatione aliqua statui vel ordinari antiquis et regularibus praedictis statutis quovismodo dissona, idcirco idem Capitulum praedictis abbatibus simul congregandis districte praecipit et mandat ut in quibuscumque ordinationibus per ipsos

fiendis omnes semper magistram sequantur regulam, et apostolicis et regularibus Ordinis sanctionibus et institutis per omnia se conforment. Vult insuper idem Capitulum, et praedictis abbatibus expresse praecipit quod quolibet anno durante praedicto quinquennio ex ipsis duos ad minus abbates ad Capitulum generale, communibus aliorum abbatum remanentium sumptibus et expensis, mittant. Qui duo abbates missi ipsum generale Capitulum de omnibus et singulis in praedicta congregatione peractis tenebuntur veraciter informare, et per quos praedictis abbatibus remanentibus deliberationes et ordinationes in generali Capitulo fiendas poterunt renuntiare ; ceterumque praedicti abbates, nisi suas iuxta Ordinis statuta solverint contributiones, notorie sunt excommunicationis vinculo innodati. Idcirco praesens Capitulum sub eadem excommunicationis necnon inobedientiae poenis praefatis abbatibus et cuilibet ipsorum districte praecipit et mandat, quatinus de cetero contributiones ipsis et suis monasteriis per generale Capitulum impositas vel imponendas, per praedictos duos abbates ad generale Capitulum, ut praemittitur, venturos mittere non omittant ; quod si edicto regio vel alio legitimo impedimento ad ipsum generale Capitulum huiusmodi contributiones afferre non possent vel auderent, cum ipsi abbates pro defensione et prosecutione iurium et libertatum monasteriorum suorum libere possint ad Curiam romanam pecunias qui volunt destinare, placet generali Capitulo, ut praedicto contributiones per transportum vel alias ad praedictam romanam Curiam transmittantur, et convertantur in solutionem stipendiorum protectoris, procuratoris et advocati Ordinis et aliorum, qui continue pro defensione, sustentatione et ampliatione privilegiorum et libertatum Ordinis in eadem Curia dignoscuntur laborare.

38. Diuturnam moram quam in sacro Basileensi concilio hactenus fecerunt, per ampliusque sunt verisimiliter facturi, dominus Cistercii ceterique abbates et magistri in eodem sacro concilio, totum ipsum Ordinem ac personas eiusdem representantes et excusantes, praesens generale Capitulum mente sollicita considerans, eisdemque de vitae necessariis, prout iustum est, taliter volens providere, quod in praedicto concilio, in quo de privilegiis et libertatibus Ordinis multa dicuntur et tractantur, egestas nimia ipsos discedere non compellat, statuit, ordinat et diffinit, quod ab omnibus et singulis monasteriis Ordinis utriusque sexus

per deputandum vel deputandos per praefatum dominum Cistercii exigatur et levetur subsidium aequalis valoris et quantitatis cuius fuit subsidium pro huiusmodi abbatibus et magistris anno 1431 per generale Capitulum impositum, in sumptuum et expensarum eorumdem abbatum et magistrorum supportatione convertendum.

39. Sacrosanctae Basileensis synodi vestigia sequi desiderans praesens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit, quod iuxta eiusdem synodi decreta de cetero in electionibus et confirmationibus in ipso Ordine fiendis irrefragabiliter procedatur. Ut autem ab huiusmodi salubribus decretis quominus in Ordine devietur, quocirca ipsorum observantiam maior adhibeatur diligentia, vult ac rursus statuit et mandat idem Capitulum, quod ex nunc in antea omnes et singuli monachi Ordinis in abbates electi et confirmati in generali Capitulo ipsorum electionem et confirmationem immediate sequente personaliter compareant, quatinus per ipsum Capitulum aetas, mores et scientia huiusmodi electorum comprobetur et de processu in ipsorum electione et confirmatione indubitata possit haberi certitudo. Quod si quis in abbatem electus et confirmatus praemissa neglexerit adimplere, illis dumtaxat exceptis, qui legitimo praepediti fuerint impedimento de quo una cum iuribus electionum et confirmationum suarum per proprium et sufficientem nuntium generale Capitulum certificare tenebuntur, ipso facto sit suo privatus abbatiatu, et loco sui alter in monasterio ad quod fuerat electus subrogetur.

Et [b] quoniam tales, ut praedictum est, oportet esse praelatos, hii ad quos ius pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, ut dignam coram Deo et hominibus electionem faciant, exactamque provide [c] apponant sollicitudinem, ut tales eligant qui tanto officio valeant satisfacere. Scientes quod si vel dolose vel negligenter ac timore Dei postposito in re tam gravi se gesserint sicut actores [d] erunt et causa malorum pastorum ,ita participes fient poenarum, quas ipsi mali pastores in districto Dei iudicio patientur. Et cum humanae [e] fragilitatis conatus nihil sine Omnipotentis Dei suffragio queat efficere, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, adveniente die

---

[b] *Quae sequuntur, apud* R^1 *tantum sub titulo* : Sequitur causula decreti electionibus. *Cf.* MANSI. *Sacr. conc. ampl. coll.*, t. XXIX, 62. [c] proinde : MANSI, *op. cit.* [d] auctores : *ibid.* [e] humanus : *ibid.*

electionis, hii ad quos pontificis vel abbatis spectat electio, in ecclesia conveniant, magna cum devotione missam de Spiritu Sancto audituri, quem humiliter exorabunt, ut eos ad dignum eligendum pastorem inspirare dignetur. Et ut eo facilius gratiam hanc obtinere mereantur, quo devotius ad actum electionis accedant, contriti et confessi sacramentum eucharistiae reverenter suscipient. Ad locum vero electionis ingressi pro quocumque praelato, qui per electionem assumitur, iurabunt in manibus eius qui capitulo praesidebit, et ipse praesidens in manibus eum immediate sequentis, sub hac forma : Ego, N. iuro et promitto Omnipotenti Deo et tali sancto vel sanctae, sub cuius vocabulo dedicata est ecclesia, eum eligere quem credam futurum ecclesiae in spiritualibus et temporalibus utiliorem, nec illi vocem dare quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicuius rei temporalis, seu prece per se aut alium interposita, aut alias qualitercumque directe vel indirecte, pro se electionem procurare. Idem iuramentum praestet, confiteatur [f] et communicet, qui constituit procuratorem ad eligendum certam personam. Necnon et procurator generaliter ad eligendum constitutus in casibus, in quibus secundum iuris communis dispositionem in huiusmodi electionis negotio procurator constitui potest. Quod etiam iuramentum praestetur ab his, in quos continget super electione futuri praelati fieri compromissum qui etiam confiteri et communicare teneantur. Quod si praedicta non fecerint, pro illa vice eligendi sint ipso iure potestate privati. Deinde eligant in praefatum praelatum virum legitimae aetatis, moribus gravem, litterarum scientia praeditum, in sacris ordinibus constitutum, et alias idoneum, secundum canonicas sanctiones. Quod si aliter et de alia persona, quam ut praedictum est, aut per simoniacam pravitatem electionem fieri contigerit, electio sit ipso iure irrita et inanis. Et sic simoniace eligentes, praeter alias poenas, perpetuo sint ipso facto iure eligendi privati. Alii vero canonicis poenis subiaceant. Simoniace autem electi, et qui huiusmodi simoniacae electionis participes fuerint, taliterque eligentes et confirmati, in horrorem tanti criminis poenam ipso facto excommunicationis incurrant, nec a tali reatu et excommunicatione electi et confirmati absolvi possint, nisi ecclesias et dignitates, ad quas turpiter assumpti sunt, libere resignaverint, et ad eas obtinendas,

---

[f] confiteaturque : *ibid.*

quas nefario ingressu adepti sunt, perpetuo reddantur inhabiles. Ad tollendam autem omnem ambitionis radicem, obsecrat per viscera misericordiae Iesu Christi haec sancta synodus Basileensis [g] ac instantissime reges exhortatur [h] et principes, communitates, et alios cuiuscumque gradus et dignitatis existant, ecclesiasticae vel mundanae, ne electoribus litteras scribant, aut preces porrigant pro eo qui per se vel per alium tales preces seu litteras procurabit, multoque minus comminationes, impressiones, aut aliud faciant, quominus libere ad electionem procedatur. Similiter in virtute sanctae obedientiae ipsis electoribus praecipitur, ne ad huiusmodi litteras, vel preces, comminationes vel impressiones, ut praemittitur, quemquam eligere praesumant.

40. Diffinitionem in generali Capitulo dudum salubriter editam, qua praecipitur ut omnes et singuli abbates et monachi ac aliae quaecumque Ordinis personae a gestatione camisearum linearum, gipponum, tunicarum nigrarum, diploidorum, epitogiorum, aut aliorum quorumcumque habituum inordinatorum prorsus abstineant et in habitibus continue incedant regularibus et religiosis, praesens generale Capitulum ratificans et confirmans ad conservandum et declarandum humilitatem qua plus ceteris debemus abundare, rursus statuit et diffinit, quod deinceps, iuxta doctrinam evangelicam, nulla Ordinis persona cuiuscumque gradus, conditionis vel sexus existat, in suis zonis aut vaginis cultellorum aurum, argentum, aes, vel auricalcum gestare praesumat. Harum vero tam salubrium ordinationum transgressores praedictis habitibus, zonis vel cultellis perpetuo priventur, et nihilominus puniantur tamquam in habitu saeculari deprehensi.

41. Ad abolendam prorsus ab Ordine cuiuslibet immunditiae carnalis fœditatem, a qua servos Dei maxime decet esse incontaminatos, praesens generale Capitulum sacrosanctae Basileensis synodi ordinationibus saluberrimis inhaerens, statuit, ordinat et diffinit, quod omnes abbates et abbatissae Ordinis de carnis contagio convicti vel convictae, ipso facto a statu et dignitate abbatiali sint privati et privatae ; et nihilominus per annum integrum carceribus mancipentur in pane et aqua ibidem sua facinora deploraturi ; monachi vero seu conversi et moniales de praedicto carnis contagio convicti omnibus officiis, si quae habeant, totaliter priventur, et deinceps ad quaecumque beneficia vel

[g] Basileensis : *deest apud* MANSI. [h] exhortatur reges : *ibid.*

officia in Ordine obtinenda omnino maneant inhabiles, neque cum ipsis dumtaxat in Capitulo generali possit quovismodo dispensari. Qua poena primo posita indissimulanter plectantur omnes et singuli Ordinis abbates et monachi qui in suis domibus aut aliis quibuscumque locis concubinas seu quascumque mulieres suspectas tenere vel frequentare praesumpserint, nisi per suorum monasteriorum patres abbates aut reformatores moniti et confestim easdem concubinas seu mulieres suspectas prorsus abiecerint et expulerint, nullatenus ipsas deinceps quacumque occasione recepturos vel frequentaturos.

42. Gravia dispendia quae frequenter hactenus ex eo provenerunt in Ordine, quia patres abbates circa visitationem monasteriorum ipsis subditorum negligentes existunt, generale Capitulum solerter considerans, et quatinus de cetero visitationis officium in Ordine diligenter exerceatur, specialiter volens curam adhibere, statuit, ordinat et diffinit, quod deinceps in singulis provinciis, prout domino Cistercii ac aliis Ordinis abbatibus per ipsum ad hoc vocandis expedire videbitur convocandis, unus abbas Ordinis de huiusmodi provinciis notabilioribus abbatibus instituatur ad supplendum defectus et negligentias visitatorum in huiusmodi provincia, atque corrigendum et ad debitum statum reducendum omnia quae quovismodo in monasteriis et personis Ordinis in ipsa provincia constitutis a rectitudine exorbitarent, referendumque quolibet anno Capitulo generali statutum et regimen omnium et singulorum eiusdem provinciae monasteriorum ac personarum eorumdem.

43. Abbati Mortuimaris, s. th. pr., praecipit et iniungit Capitulum generale, quatinus omnes et singulos Ordinis abbates Normanniae, Britanniae, Pictaviae, Andegaviae, Turoniae, Bituriae, Borboniae, Picardiae, et generaliter totius regni Franciae per se vel per alium seu alios viriliter per censuras Ordinis compellat et coerceat, ut omnes abbates dictarum partium scolares suos Parisius et ad alia privilegiata studia cum provisionibus debitis mittant et teneant iuxta papalia et Ordinis instituta, eorumdem abbatum sumptibus et expensis.

44. Diffinitiones anno novissime praeterito factas Capitulum approbat et ratificat.

45. Supplicationem abbatum Angliae praesenti generali Capitulo porrectam, illam domino Cistercii remittit idem generale Capitulum.

46. Abbates de Signiaco et de Bonofonte habet praesens generale Capitulum hac vice dumtaxat ab accessu ad hoc generale Capitulum favorabiliter excusatos.

47. Approbationem electionis et confirmationem abbatis monasterii de Ripatorio remittit praesens Capitulum generale dominis abbatibus de Cistercio et de Claravalle.

48. Abbati Sancti Bernardi in Frisia committit et iniungit generale Capitulum, quod super simonia ab aliquibus religiosis suis contracta, auctoritate praedicti Capituli hac vice eosdem plenarie absolvat.

49. Dispensatur misericorditer per praesens generale Capitulum cum fratre Andrea Hervei, clerico monasterii de Oratorio expresse professo, qui animi levitate motus per aliquod temporis spatium, habitu regulari deposito, damnabiliter apostatavit ; nihilominus ad Ordinem humillime rediens poenitentiam sibi propter hoc iniunctam devote peregit, ut hoc non obstante ad omnes actus, gradus et status Ordinis, dignitate abbatiali seclusa, admittatur, ad singularem requestam domini abbatis Fontis Danielis.

50. Sororem Claudiam dudum monasterii de Courcellis abbatissam et propter suos excessus depositam, ad praesens generale Capitulum quamdam interiecit appellationem, quam in eodem Capitulo defendendam per se vel procuratorem idoneum neglexit et minime comparuit, contumacem reputat, ipsamque in suae contumaciae detestationem, idem Capitulum excommunicatam denuntiat, mandans abbati de Roseriis, ut praefatae sorori Claudiae infra quindecim dies proxime sequentes hoc intimare non omittat, sequenti Capitulo generali quid super hoc fecerit, debite mandando.

51. Nomina abbatum : de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Crista, de Buxeria, de Caritate, de Fonte Ioannis, de Eschalleriis, de Quinciaco, de Bethania, de Roseriis, de Maceriis, de Monte Sanctae Mariae, de Loco crescenti, de Rigniaco, de Longovado, de Moris, de Chezeriaco, de Ripatorio, de Recluso, de Miratorio, de Theoloco.

1434

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quarto.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut un anno* 1431.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, n° 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

7. Ad instantem supplicationem abbatis Sancti Benedicti in Menterna, qui Capitulo generali fecit exponi, quod per insolentias et scandalosas dissolutiones scolarium Ordinis in studio Coloniensi residentium, fama Ordinis apud omnes status tam ecclesiasticos quam saeculares nimis, proh dolor ! denigratur, praesens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod de cetero donec in eodem studio erit collegium Ordinis debite ordinatum, nulli abbates vel monachi occasione scolaritatis in dicto studio, subexcommunicationis latae sententiae poena, praesumant residere. Omnibus et singulis abbatibus provinciae Coloniensis, sub poenis in statutis promulgatis praecipitur, quatinus suos scolares, iuxta papalia et nostri Ordinis statuta ad studium Parisiense mittant, et praecipue praefato abbati de Sancto Benedicto ac etiam de Campo, ut aliis praebeant exemplum et formam debitum suum exsequendo idem Capitulum sub praedictis excom-

1434. *Fontes* : L^3 : 1-65 ; *M* : 38 ; P^2: 1, 38, *deinde iterum transcribit n°* 45 *et* 50 *anni praeced. et notam quamdam addit de electionibus infra citatis. Nota etiam quod codex* L^3 *repetit sub hoc anno statuta* 45-50 *anni* 1433, *et in hoc anno* 1434 *transcribit semel et iterum statuta* 7-17. [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Eugenio IV, Philippo duce Burgundiae : P^2.

municationis latae sententiae poenis praecipit et mandat, quatinus infra festum Paschae proxime futurum, unum scolarem cum debitis provisionibus ad studium Parisiense vel Heydelbergense mittere non omittant.

8. Ad requestam domini Pontigniaci generale Capitulum committit districtius iniungendo abbatibus de Prulliaco, de Ioyaco, de Fonte Ioannis, et de Eschalleis, et eorum cuilibet in solidum, quatinus omnes et singulas nostri Ordinis Cisterciensis sexus utriusque personas, quas repererint legitime teneri eidem domino Pontigniaci et suo monasterio in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, ad satisfaciendum eisdem per censuras Ordinis, auctoritate dicti Capituli et in ipsius plenaria potestate, viriliter coerceant et debite compellant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et etiam brachii saecularis.

9. Ad idem committitur abbatibus de Maceriis et de Buxeria, pro domini Firmitatis et eius monasterio.

10. Omnes Ordinis abbates qui Capitulo generali praesenti propter guerrarum turbines minime interfuerunt, idem Capitulum hac vice habet favorabiliter excusatos.

11. Omnes diffinitiones factas in Capitulo generali anni praeteriti, idem Capitulum laudat, confirmat, ratificat pariter et approbat.

12. Causam abbatis de Escureyo remittit praesens generale Capitulum domino Cisterciensi per dominum Claraevallensem per amplius informaturo, eo quod nihil de suo processu alias facto repertum est.

13. Quaestionem nuper ortam inter dominum abbatem de Balerna et magistrum Petrum Marescalli eius professum, praesens generale Capitulum remittit terminandam dictis abbatibus Cisterciensi et Claraevallis, et eorum cuilibet per se et in solidum.

14. Eidem domino Cisterciensi praesens generale Capitulum remittit causas abbatum et monasteriorum de Chezeriaco et de Lococrescenti diffiniendas atque penitus decidendas.

15. Excusationes dominorum abbatum de Bella valle, de Aceyo, de Clarofonte, de Fonteneto, de Caroloco, de Bello prato, de Villerio, de Dulci valle, de Bello loco Lingonensi, de Bullione et de Gratia Dei, praesens generale Capitulum admittit, eosque multis et rationabilibus causis hac vice habet favorabiliter excusatos a via praesentis Capituli generalis.

16. Compellatur abbas de Escureyo sub poena excommunicationis latae sententiae, et eius conventus sub poena suspensionis a divinis, quatinus infra 30 dies a notificatione diffinitionis praesentis, redimant crucem argenteam deauratam, quam frater Ioannes Martiant impignoravit cum calice et thuribulo argenteis ; detineaturque praefatus frater Ioannes in carceribus usque ad proximum festum Omnium Sanctorum ; demum emittatur ad aliquod remotum monasterium inde non reversurus absque generalis Capituli licentia speciali.

17. Attentis gravitate et senio abbatis Sancti Bernardi in Frisia, praesens generale Capitulum eidem favorabiliter annuit et indulget, quod quamdiu vixerit maneat absolutus a via generalis Capituli, quem ex nunc hac vice pro excusato recipit, dummodo per idoneum nuntium de biennio in biennium praelibato generali Capitulo suas fideliter mittat contributiones.

18. Cum ad notitiam generalis Capituli pervenerit quod abbas de Populeto occupet seu occupare nitatur iniuste et indebite certos redditus pertinentes monasterio de Sanctis Crucibus in civitate Ilerdensi, ipsum Capitulum committit abbatibus de Benifassano et de Verola, quod se super hoc informent et auditis partibus ministrent eisdem iustitiam, in plenaria Ordinis potestate.

19. Contributionis quotam monasterio Albaeripae pro annis moderno et immediate sequenti impositam vel imponendam, praesens generale Capitulum, attenta bonorum dicti monasterii tenuitate, moderatur ad medietatem et reducit.

20. Ad idem pro monasterio de Vallibus in Ornesio.

21. Ad petitionem abbatis Albaeripae, cum fratre Pariseto de Lingonis, monacho et sacerdote sui monasterii, misericorditer, dispensatur ut non obstante apostasia quam semel per tres aut quatuor menses apostatando per saeculum, habitu regulari dimisso, noscitur incurrisse, super quo iniunctam sibi poenitentiam humiliter peregit, ad omnes dicti Ordinis actus legitimos, inclusa etiam abbatiali dignitate, promoveri valeat et admitti.

22. Abbatibus de Novali Sanctae Mariae et de Lapide Michaelis per generale Capitulum committitur visitatio, provisio et gubernatio monasterii monialium Sanctae Catharinae in Ysenato, Maguntinae dioecesis, et quod a dicto monasterio expellant quemdam sacerdotem saecularem, qui se dicit praepositum illius monasterii, quodque restituant abbatissam, si iniuste fuerit deposita, in plenaria Ordinis potestate.

23. Abbati de Maceriis, s. th. pr., sub gravissimis poenis praecipit Capitulum generale, quia a pluribus annis citra monasterium de Sturzelbrunne sibi immediate subiectum minime fuerit visitatum, quatinus ipsum monasterium quantocius fieri poterit, per se vel per alium visitet aut visitari faciat.

24. Praecipitur abbatibus de Valkenrede et de Valkenrode per generale Capitulum, quatinus privent abbatem seniorem de Amelungsborne a pensione quam recipit annuatim in praefato monasterio de Amelungsborne, in plenaria Ordinis potestate.

25. Praecipitur domino de Claravalle, s. th. pr., quatinus monasteria in Dania et Suevia sibi subdita per se vel per alium quantocius fieri poterit, visitet aut visitari faciat.

26. Quia quidam frater Balthazar, olim abbas in Czenna, est rebellis et inobediens Ordini, ac etiam per dominum Morimundi, s. th. pr., propter sua demerita excommunicatus extitit, Capitulum generale ipsum excommunicatum denuntiat, et ab omnibus personis praecipit evitari, seu cum eodem quoquomodo conversari.

27. Ad instantiam inclitorum principum dominorum comitum de Wirtemberg conceditur per generale Capitulum, quatinus monasterium monialium Vallis Sanctae Mariae, alias Frauwenzimmer cognominatum, transmutetur ad monasterium de Quilbach, alias Ordinis sancti Benedicti, nunc autem Ordini nostro per eosdem principes emptum ac eidem incorporatum, quodque ibidem moniales praedicti loci collocentur sub eisdem observantiis sub quibus nunc in praedicto monasterio vivunt; ita tamen quod in ipso monasterio deputetur aliquis sacerdos de Ordine divina ibidem celebraturus. Conceditur insuper, quod praefati principes aliqua bona mobilia extra sua dominia constituta commutare et permutare, alienare vel vendere, ac in alia bona praefato monasterio magis utilia permutare valeant. Super quibus omnibus dantur inspectores domini abbates de Salem et de Fonte regis.

28. Ad supplicationem abbatis de Bona requie, attenta sui corporis invaletudine, et quod iam ultra quinquaginta annos rexit laudabiliter suum monasterium, Capitulum generale licentiam sibi confert in manus sui patris abbatis ipsum monasterium suum resignare.

29. Generale Capitulum diffinit quod ad videndum processum abbatum de Grandisilva et de Fonte frigido dentur deputati,

dominus videlicet de Claravalle, abbates de Maceriis, de Valle Nostrae Dominae, s. th. pr., ac de Caritate, qui visis et auditis partibus, referant ad ipsum Capitulum id quod repererint in dicto processu. Et quod interim ipsi de Grandisilva et de Fonte frigido inter se nihil innovent, aut alter alterum quovis modo vituperet.

30. Quoad citationem factam contra fratrem Ioannem de Lanis, ad instantiam abbatis de Caduino, committitur per generale Capitulum domino de Firmitate, et abbati de Balerna, s. th. pr., ac de Mulbruno, quatinus audiant ipsas partes contendentes, et referant ad ipsum Capitulum.

31. Processus de Laude et de Biloka anno praeterito in Capitulo generali ventilatus, committitur domino de Morimundo, s. th. pr., et abbati de Caritate, ad audiendum et referendum ad praesens Capitulum.

32. Praecipitur abbati de Fonte frigido per generale Capitulum, quod compellat abbatem de Populeto sub censuris Ordinis ad mittendum duos scolares ad studium Parisiense infra festum sancti Remigii proximo futurum cum debitis provisionibus, et si, quod absit, neglexerit, compellat eum ad solvendum expensas quas ipsi scolares fecissent, in dicto studio per annum stando. Cum hoc etiam moneatur idem de Populeto ad tradendum praefato de Fonte frigido certa privilegia, quae habet contra privilegia Ordinis communia, praesentanda postmodum generali Capitulo ; quod si non fecerit, citetur ad ipsum Capitulum visurus et auditurus, quid per praefatum Capitulum contra ipsum concludetur.

33. Mandatur per Capitulum generale abbati de Ponte Oltrani, ut abbates de Moroliis, de Castellariis, de Gratia Dei in Britannia, de Fontemorum, de Sancto Albino, de Ré et de Pratea, et quemlibet ipsorum compellat ad mittendum scolares ad studium Parisiense cum debitis provisionibus hinc ad festum sancti Remigii proximum sub censuris Ordinis et poena solutionis expensarum in duplo, quas ipsi scolares fecissent in ipso studio per annum stando, citetque praefatum abbatem de Sancto Albino ad proximum generale Capitulum.

34. Venditiones certi molendini et quarumdam decimarum per abbatem de Populeto novissime factas Capitulum generale revocat et annullat.

35. Generale Capitulum cum fratre Nicolao de Cireyovilla,

monacho de Theoloco, dispensat benigniter, ut non ostante quod apostatavit per undecim annos vel circiter, habitu regulari neglecto, per saeculum vagabundus, ad omnes legitimos actus Ordinisque dignitates, quia tamen poenitentiam iniunctam sibi super hoc humiliter peregit, hiis non obstantibus, promoveatur et restituatur, abbatiali dignitate seclusa.

36. Capitulum generale committit domino Morimundi et de Berola ac cuilibet eorum in solidum, quatinus se informent de sententia lata per abbatem de Populeto contra fratrem Berengarium Vich pro abbate Vallis dignae se gerentem, ipso tamen audito, et ipsam confirmet aut infirment secundum quod repererint fiendum.

37. Domino Pontigniaci per generale Capitulum committitur, ut renuntiationem fratris Ioannis Deucre, novissimi abbatis monasterii Fontis Ioannis, in manus patris eiusdem monasterii factam et provisionem de persona fratris Ioannis Clarini pro nunc abbatis eiusdem monasterii factam et concessam ratificet, approbet et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

38. Abbatibus de Grandisilva et de Fonte frigido et eorum cuilibet praecipit generale Capitulum, quatinus de Sanctis Crucibus, de Populeto, de Valle digna, de Sancta Fide, de Petra, de Sancto Bernardo, et alios in illis partibus abbates compellant per censuram Ordinis omnimodam ad portandum scapulare nigrum, ceteris nostri Ordinis se conformando in habitu monachis.

39. Committitur domino de Morimundo reformatio omnium et singulorum monasteriorum et personarum Ordinis utriusque sexus per totam nationem Hispanicam et per nonnullas dioeceses postmodum declaratas, continuando etiam commissiones alio anno sibi commissas.

40. Inhibetur omnibus et singulis abbatibus et personis Ordinis sub poena excommunicationis, ne de cetero quemdam fratrem Henricum Hervei recipiant, seu in monasteriis et locis Ordinis vel alibi secum quovis modo conversetur.

41. Electionem, installationem, confirmationem et translationem die prima mensis ianuarii anno Domini 14... [c] de per-

---

[c] *Hic et infra, n.* 42, 55, 56, 57, 58, *codicis* L^3 *transcriptio manet incerta, et ad hoc referri videtur nota codicis* P^2: Hic confirmatur electio quae dicetur facta anno 1443, ex errore in numero annorum, ut videtur prima fronte, sed observandum est potius has quaterniones fuisse translatas.

sona fratris Francisci Rois nuper abbatis monasterii de Lareal [de Regali] nostri Cisterciensis Ordinis, in abbatem monasterii Sancti Bernardi extra muros Valentinos eiusdem Ordinis canonice factas et celebratas, ut in decreto cui nostra praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

42. Electionem, installationem et confirmationem die vigesima sexta mensis aprilis anno Domini 14... de persona fratris Ioannis Lemego, in abbatem de Campo Sanctae Mariae... *etc. ut supra.*

43. Praecipitur abbati de Prulliaco, patri visitatori monasterii de Valle lucenti, quatinus castiget et corrigat iuxta Ordinis statuta fratrem Petrum Bellemonstre, monachum praefati monasterii, pro eo quod certas iniurias intulit domino Pontigniaci.

44. Confirmantur per hoc generale Capitulum omnes diffinitiones anno praeterito in Capitulo generali editae, praeterquam illam quae concernit processum abbatum de Grandisilva et de Fonte frigido quoad poenas in eumdem de Grandisilva inflictas in eadem contentas.

45. Supplicationem per dominum de Firmitate praesenti Capitulo factam per quam supplicavit, quatinus homines commorantes in villa Sancti Ambrosii, qui sunt servilis conditionis, monasterio de Firmitate, efficerentur liberi et affranchissarentur ipsum Capitulum non admittit, sed omnino reiicit.

46. Praecipit Capitulum generale fratri Ioanni de Crepicordio, quatinus domum pertinentem monasterio de Vaucellis, sitam in oppido de Crepicordio, in qua consueverunt bona monasterii praedicti reponi, dum tamen altera sibi assignetur infra dictum oppidum, eidem monasterio restituat, reddatque computationes suae administrationis, et debita declaret pro tempore quo abbatizavit. Si vero secus fecerit, de pensione sibi per suum patrem abbatem facta nihil recipiat. Committitur abbati de Boheriis, quatinus praesentem diffinitionem eidem fratri Ioanni intimet et ostendat.

47. Committitur abbati de Grandisilva, s. th. pr., quatinus compellat sub censuris Ordinis ad mittendum scolares ad studium Tolosanum abbates videlicet de Bolbona, duos ; de Gummerer [Gimundo] unum ; de Bardonis, unum, hinc ad festum sancti Remigii proximum, cum debitis provisionibus.

48. Citentur per abbatem de Fonte frigido ad futurum gene-

rale Capitulum abbates de Populeto, de Sanctis Crucibus, de Valle digna,... ad respondendum ad omnia et singula quae eis obiicientur per promotorem causarum praefati Capituli.

49. Committitur domino de Pontigniaco in plenaria Ordinis potestate, quatinus fratrem Iacobum de Lanis mittat ad aliquod monasterium Ordinis causa commorandi, usque ad futurum generale Capitulum, in quo possit vivere religiose et honeste.

50. Iniungitur per praesens generale Capitulum domino de Firmitate, s. th. pr., patri visitatori monasterii de Maceriis, ut abbati praefati monasterii, s. th. pr., sub censuris Ordinis inhibeat, ne aliquibus ecclesiasticis aut saecularibus personis grossa ligna nemorum eiusdem monasterii ad construendum torcularia vendat aut concedere praesumat.

51. Praecipit Capitulum generale abbati de Dunis sub censuris Ordinis ut mittat fratrem Gerardum... religiosum praefati monasterii ad collegium Sancti Bernardi Parisius, cum debitis provisionibus, infra festum sancti Remigii proximum, illuc studeat ac in moribus et scientia proficiat. Quia vero ipsum Capitulum eumdem fratrem Gerardum sic habet propter sua merita recommissum, quod vult eum in praedicto studio retinere, de cetero in eodem studio ipsum retinet, in plenaria Ordinis potestate.

52. Electionem, installationem et confirmationem die vigesima tertia mensis martii anno Domini 1430 de persona fratris Iacobi de Meldis, in abbatem monasterii Longipontis nostri Cisterciensis Ordinis canonice factas et celebratas, ut in decreto, cui nostra praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

53. Ad supplicationem domini de Claravalle, s. th. pr., petentis quod monasterium monialium de Lizinis convertatur in monasterium monachorum, quodque frater Thomas de Rothomago monachus Claraevallis efficiatur abbas praefati monasterii de Lizinis, Capitulum generale vult quod si possit ibidem esse conventus monachorum, confirmetur provisio facta de persona eiusdem fratris Thomae.

54. Appunctamentum inter abbatem et conventum monasterii de Laude ac abbatissam et conventum monasterii monialium de Biloka factum, committitur, domino Cistercii confirmandum in plenaria Ordinis potestate.

55. Electionem, installationem et confirmationem diebus

vigesima mensis ianuarii et vigesima tertia mensis martii anno Domini 1433 de persona fratris Guillelmi Guerini in abbatem monasterii Vallis lucentis, nostri Ordinis Cisterciensis, canonice factas et celebratas, ut in decreto... *etc. ut supra, n*° 52.

56. Electionem, installationem et confirmationem sexto kalendas ianuarii anno Domini 1433 de persona fratris Ioannis de Hirsberg, in abbatem monasterii de Cella Sanctae Mariae... *etc. ut supra.*

57. Electionem, installationem et confirmationem die undecima mensis februarii anno Domini 1434 de persona fratris Vincentii in abbatem monasterii de Aurora... *etc. ut supra.*

58. Electionem, installationem et confirmationem die tertia mensis ianuarii anno Domini 1433 de persona fratris Petri de Sancto Secano in abbatem monasterii de Quinciaco... *etc. ut supra.*

59. Fratres Ioannes Boëri et Iacobus de Lanis contendentes super abbatiatu monasterii de Caduino occasione processus agitati inter ipsos, ratione contentionis praedicti abbatiatus, submiserunt se Ordini, et quod coram alio iudice non litigabunt occasione praedicta quam coram deputatis ipsius Ordinis, ad quae audienda et postmodum ad proximum generale Capitulum referenda sunt deputati dominus de Firmitate et abbas de Maceriis, s. th. pr.

60. Committitur domino de Morimundo, s. th. pr., quod cum transierit per partes Arragoniae, informet se, si abbas de Vallebona fuerit iuste aut iniuste per abbatem Fontis frigidi depositus. Si vero iuste remaneat depositus ; sin autem restituatur per praefatum dominum ad monasterium antedictum, auctoritate generalis Capituli.

61. Processibus quos abbates de Grandisilva et de Fonte frigido inter se habebant coram dominis Diffinitoribus omnino renuntiaverunt iidem abbates ac remanserunt concordes et pacifici ; idcirco praesens generale Capitulum hanc concordiam ratificat et approbat, inhibendo eisdem et cuilibet ipsorum sub censuris Ordinis ne ipsi de cetero super praemissis aut ex eisdem quovismodo dependentibus molestare, iniuriare vel inquietare alterutrum praesumant.

62. Abbatibus de Walkenrede et de Walkenrode per generale Capitulum committitur, ut si iurisdictionem et alia pertinentia monasterio de Heyna in villa de Waldenstorf expediens fuerit

secundum statuta Ordinis vendere, cambire et alienare, et in alios bonos usus seu bonorum magis utilium emptionem commutare, facultatem et licentiam concedant, in plenaria Ordinis potestate.

63. Abbas monasterii de Heyna, propter nimiam sui monasterii paupertatem, a via generalis Capituli usque ad quinquennium per generale Capitulum supportatur.

64. Pensionem seniori abbati monasterii de Heyna alias assignatam, tamquam excessivam praesens generale Capitulum ad summam decem florenorum reducit, eidem seniori sub poena excommunicationis latae sententiae inhibendo, ne idem senior maiorem summam ab ipso abbate de Heyna amodo exigere praesumat. Eidem abbati de Heyna committens idem Capitulum, ut omnes et singulos Ordinis apostatas circa suum monasterium evagantes excommunicare, incarcerare et punire possit, invocando etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

65. Generale Capitulum plenissime informatum, quod in monasteriis de Sanctis Crucibus, de Populeto, de Valle digna, de Sancta Fide, de Petra et aliis plurimis in dominio illustrissimi regis Arragoniae constitutis, abbates, monachi et conversi, contra morem et statuta Ordinis, albis utantur scapularibus, eisdem abbatibus, monachis et conversis, sub excommunicationis latae sententiae poena praecipit et mandat idem generale Capitulum, quatinus infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum, dimissis eisdem scapularibus albis, nigra deferant, decernens ex nunc pro tunc et ex tunc pro nunc, excommunicatas omnes et singulas Ordinis personas, quae in praemissis per se vel per alium, directe vel indirecte, praestabunt impedimentum, mandando de Grandisilva et de Fonte frigido abbatibus et eorum cuilibet in solidum, quatinus praesentem diffinitionem praefatis abbatibus intiment et significent, et ad observandum viriliter compellant, in plenaria Ordinis potestate.

1435

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto.

1435. *Fontes :* L^3 : 1-33 ; *M* : 8 ; P^2 : 1, 8, 29, 30. [a] *Titulus apud* L^3.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n°* 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

7. Abbatem de Obazina, qui in animae suae detrimentum et scandalum Ordinis praeter et contra voluntatem generalis Capituli retinet magnas pecuniarum summas, quas ex contributionibus Ordinis a diversis abbatibus et monasteriis recepit; qui etiam pluries citatus ad generale Capitulum contumaciter venire contempsit, praesens generale Capitulum excommunicat, excommunicatumque per omnes Ordinis personas super hoc per abbates de Valentia et de Bonavalle Pictaviensi requirendas, in omnibus locis de quibus ipsis videbitur expedire, districte praecipit et mandat publice denuntiari. Et nihilominus quia idem abbas excommunicationis sententiae innodatus se praesumpsit divinis damnabiliter immiscere, irregularitatis notam ex hoc notorie incurrendo, idem Capitulum ipsum a statu et dignitate abbatiali deponit, praedictisque de Valentia et de Bonavalle abbatibus districte praecipit et mandat, ut praefato monasterio de Obazina de abbate sufficienti et idoneo secundum Ordinis statuta quantocius providere non omittent, invocato ad praemissa, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum aut saecularium auxilio et favore.

8. Abbatibus de Gimundo et de Bardonis committit et mandat generale Capitulum, quod se informent si contractus, quem abbas de Nizorio [c] facere intendit cum illustri comite Fuxi super permutatione quartae partis villae Bononiae [d], dicto monasterio de

---

[b] Sub Eugenio IV : *P*². [c] Nisortio : *MP*². [d] Banoniae : *MP*².

Nizorio pertinentis, pro quadam alia terra seu terris quam seu quas a praefato domino comite dictus abbas de Nizorio in recumpensationem dictae quartae recipere intendit, sit ipsi monasterio de Nizorio utilis et expediens, et quod super hiis compererint, referant proximo futuro Capitulo generali.

9. Quia constat generali Capitulo tum ex processu facto per abbatem de Gimundo virtute commissionis domini Morimundi visitatoris et superioris immediati monasterii Bardonarum, Auxitanensis dioecesis, tum etiam ex depositionibus fratris Bertrandi de Artiguhenta, prioris et fratris Ioannis de Gasena, monachorum dicti monasterii, procuratorum et nuntiorum ad hoc specialiter destinatorum, prout de eorum sufficienti potestate constet instrumento publico per eosdem exhibito, quod persona fratris Arnaldi abbatis monasterii de Scala Dei, Tarbiensis dioecesis, est ipsi monasterio de Bardonis pastoris solatio destituto valde expediens, utilis et necessaria. Eapropter electionem seu vocationem de dicto fratre Arnaldo ad regimen dicti monasterii de Bardonis unanimi voto et consensu conventus eiusdem factam praefatum generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, committens et mandans praescripto abbati de Gimundo, quatinus auctoritate et in plena memorati generalis Capituli potestate regimen et administrationem, et realem ac corporalem possessionem saepedicti monasterii de Bardonis et pertinentium suorum, in spiritualibus et temporalibus, praenominato fratri Arnaldo consignet et tradat, et cuncta alia exerceat et expediat, quae circa huiusmodi promotionem fuerint opportuna, praefatum abbatem citans ad proximum futurum Capitulum generale.

10. Abbatibus de Grandisilva, de Flarano ac magistro regenti collegii Tolosani, et duobus ex eis, altero impedito, committit et mandat Capitulum generale quod compellant per censuras Ordinis et omnes iuris et iustitiae vias, invocato etiam si opus fuerit, auxilio iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis, quoscumque abbates occitanae linguae,Vasconiae et aliarum partium, de quibus mittendi sunt scolares ad dictum collegium, quod eos illuc mittere non omittant cum bursis in Ordine solitis, infra festum proximum Omnium Sanctorum, et quod scolares contribuant in reparatione capellae ipsius collegii.

11. Committitur abbati de Fontemorum, quod compellat abbatem de Barzella ad tradendum et solvendum fratri Ioanni

Bouchin, monacho dicti monasterii de Barzella, summam 12 francorum et etiam bladi quantitatem, quas eidem annuatim solvere promisit ad sustentandum necessitates suas, durante gravissima infirmitate leprae qua detinetur ; et etiam citetur idem abbas ad comparendum in proximo futuro Capitulo generali, petitionibus ei fiendis Ordinis ex parte ibidem responsurus.

12. Domino Pontigniaci et abbati Quinciaci, et cuilibet eorum in solidum committit Capitulum generale, quatinus inquirant si tractatus in certis litteris sigillatis sigillis abbatis et conventus monasterii de Fontaneto contentis, inter dictos de Fontaneto et Hugonem de Dampetra sit utilis pro dicto monasterio de Fontaneto, super quo oneratur conscientia ipsorum, et quod inde repererint vel fecerint, referant Capitulo generali.

13. Abbatibus de Grandisilva et de Gimundo committit generale Capitulum quod se informent, si concessio cuiusdam grangiae, quam fecerunt abbas et conventus de Bolbona cuidam nobili Arnaldo Guillelmi per modum feudi, sit monasterio de Bolbona expediens et utilis, et quod... etc. *ut supra.*

14. De Fontaneto, de Quinciaco, de Rigniaco, et de Escarleis monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas regulares utriusque sexus, quas repererint obligatas vel legitime teneri domino Pontigniaci et suo conventui, in aliquibus pecuniarum summis vel rebus aliis... *etc. ut in forma consueta.*

15. Cum fratre Ioanne Pardi, monacho expresse professo monasterii de Gimundo, qui per mundum apostatando certo tempore damnabiliter vagabundus extitit, generale Capitulum misericorditer dispensat, dum tamen poenitentiam super hoc condignam humiliter peregerit, iuxta discretionem abbatis sui, ut ad omnes Ordinis actus legitimos, praeter abbatiatum, voces, gradus et administrationes restituatur et admittatur.

16. Domino Morimundi generale Capitulum committit, quatinus compellat per censuram Ordinis abbatem de Escureyo ad habendum monachos sufficientes ad divinum servitium decenter persolvendum, et providendum eisdem in victu et vestitu et aliis sibi necessariis. Ad reparandum insuper monasterium suum per omnia penitus desolatum ; et cum hiis etiam persolvendum expensas, quas frater Ioannes Mercuri fecit in carcere in castro domini Vadimontis in loco de monasterio Sursaul. Et quod dictus abbas per idem generale Capitulum citatus ad Capitulum

anno 1434 celebratum nec praesens Capitulum se praesentavit ut debebat, ipsum Capitulum declarat eum contumacem et periurum, ac etiam excommunicatum, ipsumque dominus Morimundi faciat excommunicatum publicari.

17. Omnes quidem gratias quascumque per abbatem Clariloci, commissarium in hac parte domini Cisterciensis, factas sorori Ermengardi[c] moniali monasterii monialium de Fristorff, quae sunt contra honestatem, statum, formam et observationes regulalares nostri Cisterciensis Ordinis et quae in dedecus ipsius Ordinis possunt verti, generale Capitulum cassat, annullat et penitus revocat. Insuper ipsum Capitulum inhibet abbatissae dicti monasterii de Fristorff sub poena excommunicationis, ne quovis modo absolvat dictam sororem Ermengardem si, quod absit, aliquas sententias excommunicationis commiserit, nec etiam praesumat dispensare cum eadem.

18. Abbati de Berdonis, Auxitanensis dioecesis, districte praecipitur per generale Capitulum, quatinus fratrem Alexandrum de Cenato, monachum dicti monasterii de Berdonis expresse professum, si tamen sua merita hoc requirant aut suffragentur, iuxta arbitrium conventus dicti monasterii vel saltem maioris et sanioris partis ipsius monasterii, ad generale studium Tolosanum continuo quinquennio ibidem remansurum, infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum, cum bursa et expensis decentibus destinet, universis quibuscumque excusationibus postpositis.

19. Attento senio abbatis de Uterina valle ipsum per totam vitam a via ipsius Capituli, dum tamen contributiones sibi et suo monasterio impositas vel imponendas mittere non differat anno quolibet per certum et fidelem nuntium, ad praefatum generale Capitulum.

20. Abbatibus monasteriorum de Silvacana et de Vallecrescenti committit generale Capitulum, quatinus se informent quantocius commode poterunt, si unionem monasteriorum monialium videlicet Beatae Mariae de Molegesio, Arelatensis dioecesis, et de Sancta Cruce, civitatis Aptensis, fieri expediat ; et quod inde repererint, fideliter referant anno futuro Capitulo generali.

21. Generale Capitulum cum fratre Odone Godeti, monacho

---

[c] Pomergardi : *L*[3].

expresse professo monasterii de Pratea, fide digno relatu ad plenum informatum, quod poenitentiam sibi iniunctam propter apostasiam, quam per saeculum vagabundus discurrens habitu regulari dimisso evagavit, humiliter cum effectu adimplevit, misericorditer dispensat ut hiis non obstantibus, omnes Ordinis voces, administrationes, etiam abbatiatum, si contingat, valeat adipisci.

22. Abbati et conventui de Ardorello conceditur per generale Capitulum, quatinus per tres continuos annos solvere non teneantur contributionem, nisi dumtaxat anno quolibet dictis tribus annis durantibus, dimidium florenorum pro quolibet milliari impositarum seu imponendarum contributionum, dum tamen quotas praedictarum contributionum totius elapsi temporis usque nunc eos concernentes, secundum gratiam per dominum Cistercii ultimo defunctum eisdem factam integre persolverint.

23. Abbati et conventui de Boillanis concedit generale Capitulum, quatinus anno quolibet usque ad triennium solummodo de et pro contributionibus Ordinis solvant unum florenum, dum tamen in fine dicti triennii anno videlicet currente 1438 se praesentet et sit in eodem Capitulo generali Cistercii celebrando.

24. De Silvacana et de Vallecrescenti monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum, quatinus ad plenum se informent, si expediat monasterio Aquaebellae confirmationem fieri concessionis grangiae de Frayssineto, et quod super id repererint referant futuro Capitulo generali.

25. Per generale Capitulum committitur domino Morimundi, quatinus moniales monasterii de Fristorff eidem immediate subiecti, habilitatione indigentes habilitet, dum sibi videbitur expedire, easque, si opus sit, super irregularitate dispenset, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

26. Electionem et confirmationem abbatis de Regali monte noviter factas per abbatem de Karoliloco, commissarium in hac parte domini Cistercii, patris abbatis dicti monasterii Regalis montis, ut in decreto super hoc confecto per praedictum de Karoliloco plenius continetur, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

27. Super apostasia quam fratres infrascripti monachi expresse professi monasterii de Pratea damnabiliter discurrendo vagabundi per saeculum incurrerunt, Philippus videlicet Renul-

phi per annum integrum, Odetus Godeti per semi annum, Petrus Camen per mensem, Ioannes Protin per sex hebdomadas, Ioannes Barrat per tres septimanas, et Ioannes Morandi per septem dies, generale Capitulum misericorditer, ac etiam super irregularitate, si quam contraxerunt, aut alter contraxit se divinis immiscendo, dispensat, quatinus ad omnes gradus Ordinis, officia, voces et administrationes, abbatiali dignitate seclusa, restitui valeant pariter et assumi.

28. Abbates de Palatio Sanctae Mariae, et de Albigniaco, qui per abbatem de Fontemorum auctoritate Ordinis ad praesens generale Capitulum citati, minime comparuerunt in eodem, idem Capitulum ipsos et quemlibet ipsorum contumaces reputat, ipsosque excommunicat, ac in suis et aliis Ordinis monasteriis, necnon aliis locis de quibus expedire videbitur, mandat excommunicatos per quascumque Ordinis personas super hoc requirendas denuntiari. Praedictos abbates et quemlibet ipsorum ad immediate generale Capitulum peremptorie citet visuros et audituros per dictum Capitulum contra ipsos procedi, prout fuerit iuris et rationis.

29. Generale Capitulum constituit melioribus modo et forma quibus fieri potest procuratores Ordinis durante sacro Basileensi concilio, in omnibus et singulis querelis ac negotiis quibuscumque motis et movendis, ipsum Ordinem et personas eiusdem ad ipsorum quaecumque agenda concernentibus, de Claravalle, de Fossa nova, de Bonavalle Ruthenensi et de Cherreto monasteriorum ipsius Ordinis abbates, necnon fratres Nicolaum priorem de Fonte salutis, Ioannem de Bragella eiusdem Ordinis monachos, ac etiam venerabiles discretos viros magistros Robertum de Bardella, Ioannem Leodegarii, Iacobum de Albigniaco, cum potestate substituendi, prout in forma cum clausulis opportunis.

30. Generale Capitulum considerans diuturnam durationem concilii Basileensis, volensque illis qui pro dicto Ordine sunt in dicto concilio de expensis providere, committit domino Cistercii, quod imponat super Ordinis monasteria utriusque sexus unum subsidium pro huiusmodi expensis supportandis, similis valoris et quantitatis quorum fuit ultimum subsidium pro huiusmodi expensis novissime impositum, districte mandans omnibus et singulis abbatibus et abbatissis Ordinis, quatinus quotas eisdem de dicto subsidio imponendas indilate satisfacere non omittant illi vel illis, qui ad ipsas recipiendas per ipsum erunt deputati.

31. Cum sorore Maria de Camera moniali monasterii Bituminis, quae quidem de contagione carnis quondam extitit convicta propter quod a novem mensibus citra retruditur carceri, generale Capitulum pietate motum misericorditer dispendat, abbatissae dicti monasterii de Bitumine mandans districte praecipiens, quatinus dictam sororem Mariam de carcere removeat aut removeri faciat et extrahi, et ad Ordinis actus legitimos atque gradus, seclusa tamen abbatiali dignitate, restituatur pariter et admittatur.

32. Monasteriorum de Firmitate, de Buxeria et de Maceriis abbatibus committendo mandat generale Capitulum, quatinus singulas nostri Cisterciensis Ordinis utriusque sexus regulares personas, quas reperient obligatas seu legitime teneri domino Cistercii et suo conventui in aliquibus pecuniarum summis vel rebus... *etc. ut in forma consueta.*

33. Generale Capitulum cum fratre Francisco Bertini, monacho expresse professo monasterii Sancti Sulpitii, qui quidem per fere quatuor menses apostatando vagabundus extitit per saeculum, misericorditer dispensat ut hoc non obstante, quia propter hoc iniunctam poenitentiam humiliter relatu proprii sui abbatis devote peregit, ad decentes Ordinis actus, administrationes et gradus, abbatiatu dumtaxat secluso, admitti valeat et assumi.

1436

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro serenissimo ... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace ... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis ... *etc. ut in anno* 1425.

1436. *Fontes* : L^3 : 1-32 ; P^2, 1, 30.
[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Eugenio IV, Philippo duce Burgundiae : P^2.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster ... *etc. ut in anno* 1411, nº 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

7. De Fonteneto et de Moris monasteriorum abbatibus committit generale Capitulum, quatinus abbates de Valle lucenti et de Escureyo et omnes et singulas nostri Ordinis personas regulares utriusque sexus, quas repererint obligatas seu legitime teneri in aliquibus pecuniarum summis vel rebus aliis domino abbati de Claravalle et suo conventui, ad satisfaciendum... *etc. ut in forma consueta.*

8. Electionem et confirmationem abbatis de Prulliaco factas anno Domini 1434, die 17 mensis decembris per abbates monasteriorum de Valle lucenti et de Sigilleriis, commissarios in hac parte domini Cistercii, patris abbatis dicti monasterii de Prulliaco, ut in decreto super hoc confecto per praedictos abbates de Valle lucenti et de Sigilleriis plenius annotatur, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

9. De Fonteneto, de Quinciaco, de Rigniaco et de Eschalleiis monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas utriusque sexus, quas legitime obligatas domino Pontigniaci repererint, et suo conventui... *etc. ut in forma consueta.*

10. Domino de Firmitate et de Pontigniaco, ac etiam de Fonteneto et de Maceriis monasteriorum abbatibus committitur ad idem pro monasterio de Quinciaco.

11. Contentum in certis litteris monasterium de Fonteneto tangentibus, super quodam tractatu habitu dudum inter praedictos de Fonteneto ex una parte, et Humbeletum Roiffaux et Melinam uxorem suam pro se et suis haeredibus, parte ex altera, de et pro redditu annuo 20 solidorum turonensium a praedictis Humbeleto, Melina et suis haeredibus perpetuo eisdem de Fonteneto annuatim debitorum, generale Capitulum approbando ratificat et confirmat.

12. Cum fratre Symone de Castelleto, monacho de Barbello, qui, prout relatione fide digna didicit generale Capitulum, iniunctas sibi poenitentias pro pluribus delictis vel scandalis, tam in dicto monasterio quam extra per ipsum hactenus commissis

et perpetratis, humiliter et devote peregit, misericorditer dispensatur per idem Capitulum ut infamia quacumque, quam praedictorum occasione delictorum contraxit, non obstante, ad omne Ordinis actus legitimos, voces, dignitates, etiam abbatiatum promoveri valeat pariter et assumi.

13. De Prulliaco et de Valle lucenti monasteriorum abbatibus committitur per generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Ioyaco quantocius personaliter accedentes percunctentur diligenter et inquirant, utrum utile fuerit praefato Ioyaci monasterio, tradere in perpetuum domino nostro regi quoddam molendinum eisdem pertinens, vocatum molendinum novum, situatum prope Pruvinum, grandi onere, videlicet quatuor modiorum frumenti oneratum annuatim ; et si utile hoc fore repererint, traditionem ratificando perficiant, et vice auctoritate praedicti Capituli generalis approbent et confirment.

14. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum Ioanne Cognati, monacho expresse professo monasterii de Valle clara, qui vagabundus per saeculum spatio sex mensium apostatavit; attamen poenitentiam sibi iniunctam propter hoc humiliter et devote peregit. Quapropter ad omnes Ordinis actus voces, administrationes, dignitates etiam abbatialem, si contingat, idem Capitulum praedictum fratrem restituit et admittit.

15. Domino de Pontigniaco committit generale Capitulum, quatinus omnes personas regulares Cisterciensis Ordinis quas reperire poterit obligatas aut alias teneri legitime abbati et conventui de Ioyaco et suo monasterio... *etc. ut in forma consueta.*

16. Ad idem committitur pro domino Morimundi et suo monasterio abbatibus et Bella valle, s. th. pr., de Theoloco et de Bello prato, et eorum cuilibet in solidum.

17. Abbatibus de Theoloco, de Caritate et de Roseriis committitur ad idem pro abbate et monasterio de Bella valle.

18. Generale Capitulum cum fratre Ioanne de Eduo, monacho monasterii Beatae Mariae de Prulliaco, qui dudum, sunt fere decem anni, suae salutis immemor, deprehensus fuit in contagio carnis, deinde habitu regulari dimisso apostatavit per saeculum spatio sex hebdomadarum vel circiter, dispensat misericorditer, si tamen poenitentiam pro hiis delictis peregerit humiliter, ut praedictis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, administrationes et dignitates, abbatiali dignitate dumtaxat exclusa, promoveatur et admittatur.

19. Quoniam abbas monasterii de Bellobecco, pater abbas monasterii de Lanneyo, guerris impedientibus, minime ut sibi incumbit iure superioritatis venire potest ad visitandum idem monasterium de Lanneyo sibi immediate subiectum, committitur per generale Capitulum abbatibus de Ursicampo et de Valle Beatae Mariae, quatinus ad ipsum monasterium de Lanneyo quantocius poterunt personaliter accedentes ibidem visitent, corrigant, instituant et destituant, in capitibus et in membris, quaecumque secundum Deum, rectam conscientiam et Ordinis instituta visitanda, corrigenda, instituenda vel destituenda reperient in eodem, in praedicti Capituli generalis ac totius Ordinis plenaria potestate, invocato si opus sit auxilio brachii saecularis. Si vero guerris obstantibus ad praefatum monasterium ire commode nequiverint, abbatem loci et omnes de praedicto monasterio quorum interest citari faciant personaliter comparere coram ipsis ad qualemcumque locum seu villam, quem tutiorem decreverint et aptiorem elegerint dicti commissarii, nihilominus totum fiat sumptibus et expensis praedicti de Lanneyo monasterii.

20. Abbati de Bonavalle Pictaviensis dioecesis committitur et praecipitur per Capitulum generale, quatinus abbatem de Castellariis, patrem abbatem monasterii de Bouchaux, ad providendum de abbate idoneo et sufficienti in dicto monasterio de Bouchaux sibi immediate subiecto cogat, et auctoritate praedicti Capituli debite compellat. Quod si minime reperire poterit aliquem monachum idoneum et sufficientem, qui dictum monasterium de Bouchaux acceptare velit vel ibidem abbatizare, proventus omnes ac redditus et emolumenta ad dictum monasterium spectantes et pertinentes, faciat per praedictum abbatem de Castellariis recolligi et levari, qui proventus, redditus et emolumenta recollecti et levati per dictum abbatem de Castellariis, patrem abbatem ipsius monasterii de Bouchaux, consignentur et reponantur in loco tuto et determinato ad utilitatem et proficuum praedicti monasterii de Bouchaux.

21. Cum fratre Petro Gastinelli, monacho expresse professo monasterii Bonaevallis, Pictaviensis dioecesis, qui maligno spiritu imbutus et in aetate iuvenili constitutus a dicto monasterio de Bonavalle bina vice illicentiatus recessit, et per quindecim dies mansit in saeculo, dispensat generale Capitulum, ut ad omnes... *etc.* et abbatiatum... *etc. ut in forma consueta.*

22. De Caroliloco et de Vallibus Sernay monasteriorum abba-

tibus committit generale Capitulum, quatinus diligenter inquirant, utrum abbas de Valle Beatae Mariae et suum monasterium legitime teneantur in summa 30 scutorum auri provisori Sancti Bernardi Parisiensis vel non ; et si ipsos obligatos repererint eidem provisori, ad satisfaciendum... *etc.*

23. Domino Pontigniaci et abbati de Fontemorum, et cuilibet ipsorum in solidum committit generale Capitulum, quatinus quantocius commode monasterium de Barzella adire poterunt, vel alter eorum poterit, ibidem accedentes, vel unus eorum accedens, fideliter perquirant et diligenter percunctentur, aut alter ipsorum perquirat, utrum traditio cuiusdam domus vocatae domus de Turigny valde ruinosae et pene dissolutae, posset esse profutura vel utilis pro eodem monasterio de Barzella, concedi et tradi per abbatem et conventum praefati monasterii Barzellae, cuidam nobili scutifero vocato Iaquini Agard et Gilletae uxori suae, ad vitam ipsorum amborum dumtaxat, considerato quod dictus promittit bona fide ipsam domum tam ruinosam et pene dissolutam, ut notatur supra, reparare taliter et in brevi ad profectum monasterii praelibati, quod dictus prior et abbas et conventus ipsius monasterii merito contentabuntur ; et si istud profuturum et utile fore repererint, eidem Barzellae monasterio, vel alter eorum repererit, traditionem huiusmodi pure et libere sub annuali et decenti pensione sive redditu praefato armigero et uxori suae tradant benigniter, in totius Capituli generalis plenaria potestate.

24. Domino Morimundi et suo monasterio conceditur per generale Capitulum, quatinus vineam suam sitam in finagio de Leneneuria, quam propriis sumptibus propter ipsius vineae magnitudinem, attenta etiam tenuitate reddituum praefati Morimundi monasterii laborare non valent, ipsam dare possint hominibus dictae villae habitatoribus, recipiendo a dictis hominibus sextam partem fructuum ipsius vineae anno quolibet, per modum census, vindemiarum tempore.

25. Electionem anni Domini 1436 in monasterio Longivadi de persona fratris Symonis, monachi monasterii de Fontaneto celebratam, et per dominum Claraevallis, patrem immediatum confirmatam, tamquam decentem et idoneam, prout in processu super hiis latius continetur, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

26. Electionem anno Domini 1434 de persona fratris Laurentii

de Castelleto, monachi monasterii Sacri portus, alias de Barbello, ad abbatialem dignitatem eiusdem monasterii celebratam, et per abbatem Prulliaci, patrem immediatum, confirmatam tamquam decentem et idoneam, prout in processu super hoc facto latius continetur, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

27. Generale Capitulum cupiens providere et occurrere dispendiis monasterii Fontis frigidi, mandat et praecipit abbati eiusdem monasterii, quatinus quascumque concessiones factas de grangiis dicti monasterii ad longum tempus vel ad vitam monachis dicti monasterii, per quas damnatae proprietatis via aperitur, et ipsi monasterio grave dispendium generatur, studeat et procuret revocare, et ipsarum grangiarum proventus ad manus bursarii reducere iuxta salubria ipsius Ordinis instituta.

28. Quia constat generali Capitulo per relationem commissariorum anno proximo lapso deputatorum, quod concessio feudalis grangiae de Bello visu prope villam Montis Giscardi, per abbatem et conventum monasterii de Bolbona, facta nobili Arnaldo Guillelmi est ipsi monasterio expediens et utilis, idem praefatum generale Capitulum illam approbat, ratificat et confirmat, decernens praesentem approbationem praetactae concessioni annectendam.

29. Ad requisitionem et iugem instantiam abbatis de Flarano generale Capitulum dispensat cum fratre Guillelmo Barecie, priore dicti monasterii, de conspiratione alias notato, quoad officia, voces, administrationes et ceteros actus legitimos in Ordine, admittatur, dummodo ad arbitrium sui abbatis poenitentiam condignam egerit aut agat iuxta salubria Ordinis instituta.

30. Cum frater Arnaldus Guillelmus de Fabariis, monachus monasterii de Gimundo, petita sed tamen non obtenta licentia a suo abbate, a dicto monasterio recesserit et Cistercium ac studium Tolosanum adierit, ibi gradum baccalareatus in sacra pagina obtinuit, generale Capitulum de illius sufficientia et conversatione honesta informatum, cum eo misericorditer dispensat, etiam super irregularitate, si quam contraxerit se immiscendo divinis, quatinus ad omnes legitimos actus, voces, officia, administrationes, etiam si abbatiatus existat, assumi valeat et promoveri.

31. Quia abbas de Benedictione Dei, alias de Nisorio, conquestus est, quod abbas monasterii de Bolbona fecit eum excommu-

nicari extra Ordinem, occasione nonnullarum pecuniarum perditarum veniendo alias ad generale Capitulum, et cum facilior expeditio huiusmodi causae potuisset et possit in Ordine expediri, generale Capitulum praecipit et mandat praefato abbati de Bolbona, quod occasione huiusmodi causae non faciat ipsum de Nisorio de cetero excommunicari extra Ordinem, quinimo illum faciat absolvi saltem ad cautelam vel cum reverentia, donec generali Capitulo de rationibus utriusque partis sufficiens informatio fuerit oblata vel domino Cistercii.

32. Generale Capitulum de gratia speciali concedit fratri Bernardo de Scanhano baccalaureo in decretis et monacho monasterii de Gimundo, quod cum in dicto monasterio non sit conveniens habitatio pro infirmis, ipseque passionatus sit et senio proximus, quod de bonis paternis et de licentia sui abbatis possit iuxta idem monasterium et in loco convenienti domum pro infirmis construi facere, et quod possit illam quoad vixerit inhabitare, et de praetactis bonis alimenta sumere, quantum et quoties ei fuerit opportunum.

1437

EUGENII IV CONCESSIO ANGLIAE ET WALLIAE ABBATIBUS [a]

Cistercienses Angliae et Walliae ad Capitula generalia Cistercii celebrata mittere non possunt.

B. P. Licet singuli dicti Ordinis abbates in regno Angliae et Walliae constituti, per statuta eiusdem Ordinis sub poena excommunicationis latae sententiae venire teneantur annuatim ad Capitulum generale in Cistercio, in regno Franciae, seu loco ab eodem regno dependente sito, dicti tamen abbates a multis annis citra propter guerrarum tempestates inter supradicta regna (proh dolor) exortas et metum, qui cadere potuit in virum constantem, ad dictum generale Capitulum non iverunt, nec ad illud alios eorum loco seu vice destinarunt, nec huiusmodi vigentibus

[a] *Ex registr. Vatic. Suppl. Eug. IV, n°* 336, *fol.* 203; *citat. etiam apud* DENIFLE, *La désolation des églises...*, Paris, 1897, t. I, p. 578.

guerris sine personarum suarum et bonorum periculo destinari possunt. Ne igitur praefatus Ordo in Anglia et Wallia praedictis ob necessariae reformationis defectum, detrimentum aut scandalum patiatur, supplicatur S. V. pro parte dictorum abbatum, quatinus eos a praefata excommunicationis sententia absolvere, et ipsis generale Capitulum celebrandi de triennio in triennium in Anglia seu Wallia, ac excessus quorumcumque suppositorum eiusdem Ordinis ibidem corrigendi, necnon statuendi, decernendi et ordinandi quoties opus fuerit talia quae concernant eiusdem Ordinis honestatem et incrementum, facultatem et liberam potestatem concedere et indulgere dignemini in perpetuum de gratia speciali...

Concessum ut petitur ad triennium. C. Ariminen.

Datum Bononiae, XVII kalendas februarii, anno VII (16 ianuarii 1437).

STATUTA EIUSDEM ANNI.

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo septimo.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro serenissimo ... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace ... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIO] GENERALIS.

6. Cum Ordo noster ... *etc. ut in anno* 1411, nº 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

7. De Bellavalle, de Roseriis, de Caritate, de Regali monte,

1437. *Fontes* : L^3 : 1-62 ; *M* : 32, 37-46, 48-51, 54, 59, 61, 62 ; P^2 : 1, 32, 37-46, 48-51, 54, 59, 61, 62 ; R^1 : 37-41, 45-57, 61, 62 ; *W* : 32. [a] *Titulus apud* L^3 ; R^1 *haec habet* : Anno Dom. MCCCCXXXVII stat. sunt haec in Cap. gen. apud Cisterc. celebrato presentibus fere LXII abbatibus et abbate de Runa, etc. [b] Sub Eugenio IV, Philippo duce Burgundiae : P^2.

de Caroliloco, monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas regulares utriusque sexus, quas reperient obligatas seu legitime teneri in aliquibus summis pecuniarum vel rebus aliis domino Cisterciensi et suo conventui... *etc. ut in forma consueta.*

8. Ad idem committitur de Theoloco et de Clarofonte monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet pro monasterio de Crista.

9. Ad idem committitur pro monasterio Dulcis vallis, abbatibus de Theoloco et de Clarofonte... *etc.*

10. Cum priorissa et conventus monasterii monialium Sanctae Felicis de Cadinis, Ordinis Cisterciensis, Geronensis dioecesis, statuta papalia et regularia nostri Ordinis instituta ignorantes, celebraverint electionem et elegerunt quamdam monialem dicti monasterii in praesentia notarii publici, visitatore minime praesente et requisito, licet scirent dominum Cistercii earumdem visitatorem, generale Capitulum dictam electionem, sicut in instrumento publico super hoc confecto continetur, attenta dictarum monialium simplicitate, et quod in contemptum Ordinis et visitatoris minime processerint, dictum Capitulum de speciali gratia secundum tenorem et formam instrumenti ratificat, approbat et confirmat.

11. Committitur per generale Capitulum abbati de Stams et aliis abbatibus et personis Ordinis nationis germanicae, ut si repererint fratrem Ioannem Boruquell quondam professum [in Vealkenrede, nunc autem assertum professum in Maristella, capiant et carceribus mancipent et detineant usque ad nutum Capituli generalis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

12. Ad humilem supplicationem et requestam abbatis et conventus monasterii de Clarofonte, per generale Capitulum misericorditer dispensatur cum fratre Petro de Massuaij, monacho dicti monasterii et expresse professo, qui quadam animi levitate ductus apostatavit ab Ordine quasi per spatium duorum mensium vel circa, deinde ad cor rediens et ad Ordinem revertens, poenitentiam propter hoc sibi iniunctam humiliter et devote peregit, ut hoc non obstante possit et valeat ad omnes gradus Ordinis, voces, status et dignitates promoveri, abbatiali dignitate nihilominus seclusa.

13. Ad idem pro fratre Ioanne de Vauvilleyo, monacho dicti monasterii de Clarofonte, qui quasi per tres hebdomadas visitando parentes suos in apostasia permansit.

14. Abbati de Longovado committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas ... personas regulares... teneri domino Claraevallis et suo monasterio ... *etc. ut in forma consueta.*

15. Electionem, installationem et confirmationem die 18 mensis februarii anno a Nativitate Domini 1437 de persona fratris Petri Willier in abbatem monasterii de Tela, alias de Montheron, dicti nostri Ordinis, Lausannensis dioecesis, per abbatem Bellaevallis eiusdem Ordinis, Bisuntinae dioecesis, immediatum patrem abbatem dicti monasterii de Tela factas et celebratas, prout in decreto cui haec praesens nostra diffinitio annectitur, plenius continetur, idem Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

16. Ad idem de electione, installatione et confirmatione magistri Bertini, s. th. pr. factas ad monasterium Bonimontis.

17. Abbatibus monasteriorum de Sancto Prudentio, Calaguritanensis dioecesis, et de Bucheto, Burgensis dioecesis, committitur per generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Ferraria, nostri Cisterciensis Ordinis, praedictae Calaguritanensis dioecesis, quantocius commode personaliter accedere poterunt, accedant, et ibidem diligenter percunctentur et inquirant utrum conveniens et utile fuerit eidem monasterio aliquas grangias minus utiles et fructuosas et prae turbine guerrarum pene desertas, quae non possent pro nunc attenta tenuitate praefati monasterii ullomodo reparari, in emphiteosim tradere ad censum seu redditum annualem ; et si hoc profuturum dicto de Ferraria monasterio repererint, traditionem huiusmodi ratificando faciant, ac vice auctoritateque praedicti generalis Capituli confirment et approbent.

18. Generale Capitulum cum fratribus Iacobo Troselli et Ioanne Albi, religiosis expresse professis monasterii Fontis frigidi, qui in sua iuventute, sunt fere 30 anni, fugerunt de dicto Fontis frigidi monasterio et apostataverunt per modicum tempus, modo vero sunt bene contriti et emendati, misericorditer dispensat, ut ad Ordinis actus legitimos, voces, administrationes, dignitates, etiam abbatiatum, si contingat, promoveri valeant pariter et assumi.

19. De Bolbona et de Gimundo monasteriorum abbates et quemlibet eorum in solidum ad instantiam abbatis et conventus

Grandis sylvae generale Capitulum constituit et ordinat iudices, dans eisdem plenum posse ac mandatum speciale coercendi et compellendi et etiam convenire faciendi omnes nostri Cisterciensis Ordinis abbates et monachos bona eiusdem Grandis sylcae monasterii iniuste detinentes, eisque iustitiae complementum ministrandi auctoritate praefati Capituli generalis, in eiusdem plenaria auctoritate et potestate.

20. Abbati Berdonarum conceditur per generale Capitulum, quatinus ad professionem regularem valeat recipere fratres Guillelmum Varrera et Arnaldum Vaquem, emissos a suo monasterio tempore sui praedecessoris ob conspirationem, petita tamen et obtenta licentia ab abbatibus ad quos missi sunt ; et quod valeat dictus abbas absolvere, ac etiam cum fratre Dominico Brisanco, qui in apostasia se divinis immiscendo celebravit, auctoritate ipsius Capituli generalis dispensare.

21. Domino Morimundi committit generale Capitulum, si profuturum monasterio Theoloci fore repererit, vendere quamdam domum valde ruinosam, modicique valoris eidem monasterio pertinentem, situatam in civitate Lingonensi, quatinus venditionem huiusmodi per abbatem et conventum praefati Theoloci monasterii factam sive faciendam, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate ratificet, confirmet et approbet. Eidem etiam domino Morimundi committitur per idem generale Capitulum, quatinus si ei videbitur expediens, tradat aut tradi faciat per abbatem et conventum monasterii Theoloci 12 iugera terrae sita in territorio grangiae suae Montisfargii in emphiteosim hominibus circumvicinis in patria, pro redditu annuo decenti, auctoritate praefati Capituli generalis.

22. De Caritate, de Theoloco, et de Roseriis monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis regulares abbati et monasterio Bellae vallis, in quibuscumque debitis obligatas, coram eis aut eorum altero ad requestam dictorum de Bella valle conveniri faciant seu faciat, et cognitione causarum seu causae prius accepta, per omnes censuras Ordinis ac alias iuris et iustitiae vias ad satisfaciendum dictis de Bella valle viriliter et debite in plenaria potestate dicti Capituli coerceant et compellant, seu coerceat et compellat.

23. Ad idem committitur abbati Bellae vallis pro abbate et monasterio Caritatis.

24. Ad idem committitur abbatibus de Caroliloco et de Quinciaco pro domino Pontigniaci et monasterio suo.

25. Ad idem committitur domino Pontigniaci et abbati de Fonteneto pro abbate et monasterio Quinciaci.

26. Ad idem committitur eidem domino Pontigniaci et abbati de Frigido monte pro abbate et monasterio de Caroliloco.

27. Abbati de Albigniaco, priori, ceterisque religiosis eiusdem loci praecipit et mandat generale Capitulum sub poena excommunicationis et suspensionis a divinis, quatinus infra quindenam post receptionem praesentis diffinitionis fratrem Ludovicum Augustini ad regularem professionem recipiant, excusationibus retroiectis quibuscumque ; praecipit insuper idem Capitulum et mandat eisdem de Albigniaco, ut si praedictus frater Ludovicus habet aliqua bona in eodem monasterio Albigniaci quomodocumque, eidem fratri restituant et tradant de licentia abbatis possidenda.

28. Contentum in certis litteris quibus haec nostra diffinitio annectitur, monasterium de Fonteneto tangentem super quodam tractatu habito dudum inter praedictos de Fonteneto ex una parte et Ycherium de Gis, Durgensem de Montebarro et Isabellam uxorem ipsius pro se et suis haeredibus parte ex altera, de et pro escambio cuiusdam domus sitae in dicto Montebarro, veluti in praedictis litteris plenius continetur, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

29. Generale Capitulum cum fratre Ioanne Thomelin, monacho de Charmeya, qui in iuventute apostatavit per aliquod tempus adhuc puer, misercorditer dispensat, ut hoc non obstante, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, administrationes, dignitates, etiam abbatiatum, si contingat, benigniter admittatur.

30. Electionem, installationem et confirmationem 13 die mensis augusti ultimate lapsi, de persona fratris Ioannis de Senlis in abbatem monasterii de Caroliloco, dicti nostri Cisterciensis Ordinis, Silvanectensis dioecesis, per dominum Pontigniaci, patrem abbatem dicti monasterii Caroliloci, factas et celebratas, prout in decreto cui haec nostra diffinitio annectitur, plenius continetur, idem Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

31. De Bella valle, de Caritate, de Bello prato et de Monte frigido monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum... personas Ordinis... teneri domino Morimundi... *etc. ut in forma consueta.*

32. Ob reverentiam et honorem beatissimi Nicolai cuius festum celebratur in universo orbe 8° idus decembris, per generale Capitulum universis et singulis abbatibus, abbatissis et eorum conventibus nationis Germanicae nostri Cisterciensis Ordinis, et omnibus aliis cuiuscumque nationis vel provinciae existant, qui devotionem habent vel habebunt in futurum ad eumdem sanctum, quatinus ipsi et quilibet ipsorum possint et libere valeant servitium proprium ornatum ut decet tam in cantu quam littera melioribus, modo et forma quibus poterunt construere et facere.

33. Cum fratre Ioanne de Vitriaco, monacho de Cheminione monasterii, qui per aliquod tempus apostatando irregularitatem se divinis immiscendo et in apostasia pluries missas celebrando, incurrit, et quia regressus ad suum monasterium poenitentiam sibi iniunctam per abbatem humiliter et devote adimplevit, generale Capitulum dispensat, ut ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, dignitates, citra abbatiatum, praedictis non obstantibus, admittatur.

34. Fratres Martialem de Lafa et Ioannem de Moles professos in monasterio Prati benedicti, citatos per priorem claustralem dicti monasterii de mandato abbatis Bonaevallis Pictaviensis, posse habentis ad hoc ex parte domini Cistercii, ad comparendum personaliter coram Diffinitoribus praesentis Capituli generalis, idem Capitulum denuntiat contumaces et excommunicatos declarat ; praecipiens eidem de Bonavalle, quatinus si ipsos repererit vel sciverit fore vagabundos extra suum monasterium, eosdem capiat seu capi faciat iuxta nostri Cisterciensis Ordinis statuta puniendos.

35. Fratres Guillelmum Rossignol per abbatem Bonaevallis Pictaviensis, Ioannem Guenillon et Ioannem Lucas, monachos monasterii de Palatio per Petrum de Moles notarium publicum citatos ad Capitulum generale de mandato abbatis Bonaevallis praedicti, posse habentis ad hoc ex parte domini Cistercii, ad comparendum coram Diffinitoribus praesentis Capituli, idem Capitulum denuntiat contumaces et excommunicatos declarat, praedicto abbati de Bonavalle praecipiens quatinus praedictos fratres pari forma puniat sicut Martialem de Lafa et Ioannem de Moles contentos et nominatos in capitulo praecedenti.

36. Reformationem monasterii de Tironello committit generale Capitulum abbatibus de Campania et de Sancto Andrea, praecipiens eisdem quatinus ad dictum Tironelli monasterium indilate personaliter accedentes ibidem corrigant, instituant, et

destituant, tam in capite quam in membris, quaecumque secundum Deum et Ordinis instituta, corrigenda, emendanda, instituenda vel destituenda repererint in eodem, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

37. Cum in cantu Ordinis, qui gravitatem et devotionem debet redolere et per omnia Ordinis monasteria debet esse uniformis, multae contingant dissonantiae et perturbationes, eo quod nonnulli de seminotis in libris nostris signatis plenas faciunt notas, ceteris mediam notam de ipsis seminotis facientibus ; proinde praesens generale Capitulum ad instar quarumdam aliarum religionum, quae suos quoad hoc libros laudabiliter correxisse et de ipsis seminotis plenas dicuntur fecisse notas, ne de cetero in cantu Ordinis tales dissonantiae et perturbationes contingant, volens salubriter providere, statuit, ordinat et diffinit quod in omnibus monasteriis utriusque sexus libri quoad dictas seminotas corrigantur, et de ipsis seminotis plenae notae fiant, districte praecipiens et mandans omnibus Ordinis prioribus et cantoribus, priorissis et cantricibus, sub poena depositionis ab ipsorum officiis quas incurrent ipso facto si negligentes in praemissis extiterint, quatinus huiusmodi faciant seu fieri faciant correctionem infra festum Paschae futurum, provideantque diligenter quod de cetero plenae notae fiant de seminotis antedictis.

38. Licet propter rationabiles et iustas causas observatum hactenus fuerit in Ordine, quod ministri altaris sacratissimum eucharistiae sacramentum sub utraque specie recipiunt, quod tamen a nonnullis plus quam oporteret sapere volentibus vel forte non intelligentibus aut credentibus quod totus Christus aeque veraciter et fructuose sub sola specie panis sicut sub specie panis et vini sumitur, diversos circa hanc materiam seminarunt errores ; idcirco praesens generale Capitulum Ecclesiam romanam merito volens imitari, quae licet olim in certis solemnitatibus praedictum sacratissimum sacramentum interdum sub utraque specie personis in ordine sacerdotali minime constitutis ministraret, ad auferendum tamen de medio omnes errorum occasiones, ipsum nunc sub sola panis specie dicitur ministrare, statuit, ordinat et diffinit, quod de cetero in Ordine ministris vel aliis quibuscumque personis praefatum sacratissimum sacramentum sub specie vini nullatenus ministretur, sed omnes, solis sacerdotibus missam celebrantibus exceptis, ipsum sub sola specie panis recipere sint contenti firmiter et inconcusse tenendo

et credendo quod aeque veraciter [c] et salubriter ipse Christus totus sub sola specie panis continetur et sumitur, ac si sub specie panis et vini sumeretur.

39. Informatum generale Capitulum quod nonnulli diversorum statuum graves et devoti homines in choris monasteriorum Ordinis, tempore celebrationis missae conventualis existentes valde mirantur et interdum dicuntur scandalizari eo quod dum sacerdos in ipsa missa divinam elevat eucharistiam, monachos in eisdem choris existentes stare conspiciunt erectos ipsamque eucharistiam durante ipsius elevatione flexis genibus, iuxta ritum aliorum fidelium minime adorare ; providere volens idem generale Capitulum omnes Ordinis actiones etiam rationabiles et licitas ita disponere, quod nemo ex ipsis offensionis vel scandali occasionem rationabiliter possit accipere, statuit, ordinat et diffinit quod ex nunc in antea in omnibus missis quamcito sacerdos ipsam elevabit sacratissimam eucharistiam, omnes et singuli tam in choro quam extra existentes genua flectant, ipsamque humiliter et devote adorent, prout hactenus propter rationabiles et honestas causas in missis fiebat, ipsa hostia elevata et super corporale reposita per sacerdotem. Vult insuper et ordinat idem Capitulum quod omnes personae Ordinis in quocumque extiterint loco, cum audierint sonum campanae, quae communiter in ipsius eucharistiae elevatione pulsari solet, humiliter et devote capitibus discopertis et genibus flexis, nisi luta aut alia impedimenta legitima id fieri impedirent, eidem sacratissimae eucharistiae omnem quantum poterunt, prout quilibet catholicus facere tenetur, exhibeat adorationem.

40. Singula divini cultus ampliationem continentia [d] generale Capitulum volens promovere, misericorditer indulget, ut de cetero in omnibus solemnitatibus praecipuis quae habentur in Ordine, monachi Ordinis tam in vigiliis quam missis, bini et bini, versus, responsorium et alleluia possint decantare. Quodque [e] ministri altaris, frigore excessivo urgente, uti possint almuciis pelliceis simplicibus et omni superfluitate et curiositate carentibus.

41. Cum personae saeculares frequenter eo de personis Ordinis male aedificentur et interdum scandalizentur, quod dum festum Annuntiationis Beatae Virginis accidit in septimana post

---

[c] veracius et salubrius : *MP²*. [d] concernentia : *MP²R¹* ; *stat. cancellatum apud P²*. [e] quodque... *etc.* : *desunt apud L³*.

Ramos ipsum festum usque post Pascha in Ordine transfertur, et in multis dioecesibus idem festum, si eveniat secunda vel tertia aut quarta feria praedictae septimanae, celebratur et solemnizatur, sicque eadem die nos laboramus qua praedictae personae saeculares tantum festum observant, et ab omnibus vacant operibus, et illa die de tanto festo nullam ipsi saeculares in monasteriis Ordinis audiunt fieri mentionem. Idcirco generale Capitulum detractiones et oblocutiones, quae ex huiusmodi singularitate possent adversus Ordinem suscitari, volens repellere, statuit, ordinat et diffinit quod ex nunc in antea per totum Ordinem in huius festi celebratione personae Ordinis se conforment populo dioecesis in qua monasteria sunt vel erunt situata.

42. Cum [f] in diebus quadragesimalibus citius quam antiquitus fieri solebat, tam in Ordine quam alibi homines prandeant, et a prandio usque ad completorium valde magnum fiat intervallum, in quo monachi paucas occupationes habentes frequenter dormiunt, aut inutiliter tempus ipsius intervalli consumunt, idcirco generale Capitulum provide volens occurrere multis inconvenientibus quae proveniunt ex hoc, quod personae Ordinis in praedicto intervallo utilius non occupantur, statuit, ordinat et diffinit, quod de cetero in Quadragesima singulis diebus quibus non erunt XII lectiones, inter prandium et completorium ad sonitum campanae quam hora ad hoc apta sacrista pulsabit [g], omnes in choro, ac si vesperae deberent decantari, conveniant, ibique ex integro decantent officium defunctorum, novem videlicet psalmos cum lectionibus et laudibus, prout in Ordine dici et decantari solent, quibus finitis pulsentur et teneantur biberes, deinde completorium celebretur, taliterque praemissa disponantur quod cum luce diei, prout in regula scriptum est, omnia fieri possint et debite consummari.

43. Ut personae Ordinis amplexandas obtineant indulgentias, quas dominus Martinus Papa V de plenitudine potestatis apostolicae indulsit omnibus in vigilia solemnitatis sacramenti altaris ieiunantibus, praesens generale Capitulum statuit, ordinat et praecipit, quod de cetero in praedicta vigilia omnes et singulae Ordinis personae ieiunent, nec super hoc quisquam praesumat nullatenus dispensare.

44. Generale Capitulum prae oculis habens grande periculum

---

[f] *stat. cancellatum apud* P^2. [g] *sonabit* : MP^2.

quod imminet animabus personarum Ordinis quae carnes extra monasteria vel in monasterio extra loca conventualia seu cameras abbatum praesumunt comedere, vel quae a festo Exaltationis Sanctae Crucis usque ad Quadragesimam, ieiunia regularia negligunt seu contemnunt observare, eisdemque periculis et enormibus scandalis, quae adversus ipsum Ordinem propter praemissa suscitantur salubriter volens occurrere, omnibus et singulis ipsius Ordinis personis districte praecipit et mandat ut quemadmodum secundum regulae beati Benedicti puritatem et statutorum domini Benedicti Papae XII ordinationem, ad praemissa sunt astricti, de cetero praedicta observent ieiunia et a carnium esu, praeterquam in locis per eumdem dominum Benedictum permissis, prorsus abstineant. Abbates vero in praemissis culpabiles inventi, seu qui personas sibi subditas in praemissis delinquentes non correxerint, ipso facto sint stallo abbatis in omni loco per annum privati. Priores vero et suppriores, necnon priorissae et suppriorissae permittentes vel consentientes quod monachi vel moniales, quos vel quas aetas vel infirmitas seu alia evidens necessitas non excusabit, praedicta transgrediantur ieiunia, seu in eisdem conventualiter vel publice ultra semel et in refectorio communi refectionem accipiant, vel extra praedicta loca conventualia seu cameras abbatum carnes comedant, ipso facto suis officiis maneant suspensi, et a vino totaliter abstineant, donec personas in praemissis delinquentes debite correxerint, et eadem praemissa sufficienter in seipsis adimpleverint et ab aliis fecerint adimpleri.

45. Generale Capitulum in amaritudine cordis recogitans esum carnium qui secundum regulae beati Benedicti rigorem monachis sanis est interdictus, eo usque citra pauca tempora in monasteriis Ordinis utriusque sexus esse introductum et communem, ut pene derelicto refectorio claustrali solum in infirmitoriis et aliis locis, in quibus uti possunt carnibus personae ipsius Ordinis suas velint aut consueverint accipere refectiones, volensque ipsum Capitulum inconvenientibus et scandalis, quae ex hoc in Ordine provenerunt et per amplius, si talia diutius fieri tolerarentur, verisimiliter in brevi provenirent, salubriter occurrere, maxime cum multi monachi et conversi, qui libenter a carnibus totaliter abstinerent, si in praedicto clautrali refectorio continue refectiones caperentur, ad comedendum cum aliis carnes quasi inviti compellantur, statuit, ordinat et diffinit quod ex nunc in antea in omnibus

et singulis monasteriis Ordinis, ubi sunt vel erunt 20 monachi, utriusque sexus, duae partes conventus cuiuslibet monasterii omni tempore in claustrali refectorio et non alibi horis consuetis et debitis, secundum primaevam sanctorum patrum institutionem comedant, et cibariis dumtaxat regularibus utantur, districte inhibendo omnibus et singulis abbatibus et abbatissis Ordinis, ne contra hoc salubre statutum quidquam facere vel ordinare praesumant, seu per suos subditos permittant fieri vel attentari. Quod si abbatibus et abbatissis visum fuerit expedire, ut tertia pars suorum conventuum ad sustentationem et reparationem debilium et aegrotorum aliquando carnibus utantur, idem generale Capitulum temporibus, diebus, locis et horis licitis et debitis id fieri misericorditer permittit et indulget, dum tamen ad comedendum carnes nemo invitus compellatur, aut extra refectorium mittatur claustrale ; neque propter huiusmodi indulgentiam, illi qui carnes comedent sive tempore minutionum vel aliis diebus, a frequentatione chori seu aliarum regularium observationum adimpletione sint absoluti, nisi forte corporalis infirmitas aut alia rationabilis causa aliquos ex ipsis merito reddiderit excusatos, ceteris limitationibus et ordinationibus super esum carnium hactenus factis in suo robore iugiter permansuris. Proviso etiam quod propter quascumque consuetudines fortassis allegandas, quae magis debent corruptelae nominari, monachi numquam petant pro certis diebus sibi carnes ministrari petere praesumant, sed sint contenti carnes comedere quoties, quomodo et quando abbates eorum ipsis voluerint ministrari [h].

46. Quia nonnulli Ordinis abbates, monachi et conversi eousque palam et impudenter statuta Ordinis tam apostolica quam regularia transgrediuntur, ut multi contra eorumdem statutorum inhibitionem in dormitoriis cameras habere clausas, seu supra culcitras plumeas, vel linteamina linea in eisdem dormitoriis iacere, vel tunicas nigras, camisias lineas, gippones, manicas botonatas, sotulares minime corrigiatos, ceterosque habitus lascivos et inordinatos gestare, ac per civitates et oppida ceteraque notabilia loca absque cucullis vel cappis deambulare praesumunt. Idcirco praesens generale Capitulum super huiusmodi excessibus, ex quibus totius Ordinis fama, proh dolor ! denigratur, salubre volens remedium adhibere, statuit, ordinat et diffinit quod abbates

[h] ministrare : *R*[1].

vel monachi in praemissis amodo delinquentes, attento quod plusquam sufficienter, ut ab eisdem excessibus abstinerent, moniti fuerunt, tamquam deprehensi in habitu saeculari ab omnibus teneantur et habeantur, donec cameras destruxerint antedictas, seu dimissis praedictis culcitris, linteaminibus, camisiis lineis, tunicis nigris, gipponibus, manicis botonatis, ceterisque habitibus lascivis taliter ad imitationem beatissimi patris nostri Bernardi sint in habitus compositi, ut in ipsis nil appareat quod offendere possit intuentes. Sub poenis insuper praedictis inhibet generale Capitulum, ne de cetero aliqua Ordinis persona biretum portare praesumat, praelatis dumtaxat et doctoribus, vel in aliqua [i] scientia nobili graduatis exceptis. Similiter nulli, nisi sint sacerdotes, caputia de cetero portent, et si aliquibus monachis sacerdotibus abbates eorum caputia portare concesserint, illa nullo modo sint duplicata, sed dumtaxat simplicia, et talium caputiorum usus absque magna necessitate nullatenus concedatur [j].

47. Diffinitionem adversus abbates Ordinis dudum salubriter editam, qui monachos suos propter quoscumque excessus per ipsos perpetratos in suis monasteriis punire possent, a monasteriis suis expellunt, seu eisdem licentiam conferunt ad aliena monasteria transeundi, praesens generale Capitulum ratificans et confirmans, statuit et diffinit quod abbates super praemissis culpabiles inventi, suorum monasteriorum administratione privati permaneant, donec super tanto excessu cum ipsis per generale Capitulum fuerit dispensatum, praedicta administratione inte

---

[i] aequali : *MP²*. [j] *P² addit insuper sequens statutum quod tamen sub uncinis continetur cum nota* : Vacat.

Abusum summe detestandum nonnullorum Ordinis monachorum, qui caputiis cucullarum suarum vel scapularium non contenti, portare praesumunt caputia non solum duplicata et replicata cum eisdem in confusionem et derisum ipsorum et totius Ordinis, birreta diversorum colorum, ac si doctores existerent, palam in suis capitibus gestare non verentur, praesens generale Capitulum prorsus volens amputare statuit, ordinat et diffinit quod amodo si qui monachi caputia praeter caputia cucullarum vel scapularium seu birreta praeter albi coloris portare inveniantur, poenam levis culpae, donec ea dimiserint, continue sustineant, et cotidie in capitulo disciplinam suscipiant regularem ; quod si ter admoniti a praedictis non abstinuerint excessibus indissimulanter puniantur tamquam in habitu saeculari deprehensi. Poterunt tamen abbates cum suis monachis dispensare, ut urgente frigore et quando ipsi monachi extra monasteria, pro negotiis monasterii proficiscentur caputiis vel birretis albis utantur ; dum tamen ipsa caputia omni duplicatura vel replicatura seu alia careant superfluitate aut curiositate.

rim penes priores, suppriores et cellerarios ipsorum monasteriorum totaliter remanente.

48. Ut in monasteriis Ordinis quae sunt vel esse putantur ad fortalitia reducta propter mulieres et alias personas saeculares, quae occasione guerrarum quaerunt securum locum, in quo se et sua conservare possint, nulla possint scandala provenire, praesens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit, quod abbates qui infra ecclesiam, dormitorium, refectorium, ceterasque officinas claustrales suorum monasteriorum, propter quascumque guerras, mulieres receptare seu permittere intrare vel habitare praesumpserint, ipso facto tamquam deprehensi in carnis contagio puniantur. Si autem in eisdem locis aliqua bona suorum vel aliorum hominum ad ipsorum conservationem ipsi abbates poni et locari permiserint, provideant diligenter, quod infra ecclesiam ipsi homines vel eorum pueri nullatenus iaceant vel dormiant, neque infra ecclesiam ipsam vel praedicta loca claustralia equi vel boves aut porci seu animalia quaecumque introducantur vel collocentur, cum ipsa loca, quae specialiter Deo dicata sunt, omni prorsus debeant immunditia carere, nec fas sit cuiquam ipsa ad profanos usus quovismodo applicare. Priores autem et suppriores ceterique monachi et conversi, qui in praedictis locis mulieres seu animalia quaecumque introducere aut intrare vel stare permiserint aut procuraverint, usque ad nutum Capituli generalis habitu priventur regulari.

49. Adversus abbates et abbatissas Ordinis quos tantum malitiae excaecavit, ut sua monasteria cum aliis eiusdem Ordinis vel alterius auctoritate propria et interdum mediantibus pactis et promissionibus illicitis permutare, seu eadem in manibus personarum saecularium resignare non formidant aut erubescunt, in enorme totius Ordinis scandalum et lamentabilem privilegiorum et libertatum ipsius laesionem, praesens generale Capitulum insurgens praedictas permutationes aut resignationes cassando et annullando, ipsasque nullas et cassas fore declarando, statuit, ordinat et diffinit, quod qui talia fecerint aut facere praesumpserint in futurum, ipso facto abbatiali sint privati dignitate, et ad quaecumque officia vel beneficia in Ordine obtinenda prorsus maneant inhabiles, districte praecipiens patribus abbatibus monasteriorum, ut praefertur, permutatorum vel resignatorum, quatinus de novis abbatibus idoneis et sufficientibus secundum Ordinis statuta eisdem nullatenus omittant indi-

late providere. Si quis autem abbas vel monachus, abbatissa vel monialis praetextu talium permutationum aut resignationum seu alio quovis modo habitum Ordinis relinquere et alterius Ordinis habitu assumpto ad ipsum alium Ordinem se transtulerint, postmodum ad Ordinis habitum seu in ipso Ordine absque generalis Capituli licentia non admittantur, sed tamquam fugitivi et apostatae ab omnibus evitentur, donec de ipsis et eorum punitione graviori per idem Capitulum fuerit aliter ordinatum.

50. Temeritatem abbatum et abbatissarum Ordinis in grave praeiudicium privilegiorum Ordinis, suis monachis aut monialibus licentiam transeundi ad alias religiones concedentium, certas religiones nostra arctiores indiscrete iudicando, praesens Capitulum volens refrenare, omnibus abbatibus et abbatissis Ordinis districte inhibet, ne de cetero aliquibus ex suis monachis vel monialibus licentiam ad alium Ordinem pro quacumque causa transeundi conferant, absque generalis Capituli licentia speciali. Secus vero facientes a suorum monasteriorum administratione maneant suspensi vel suspensae, donec hi quibus talem concesserint licentiam ad sua revocaverint monasteria, et pro tanto excessu specialem ab eodem generali Capitulo humiliter petierint et obtinuerint dispensationem. Abbates vero vel abbatissae suis monachis aut monialibus absque legitima causa in litteris particulariter exprimenda licentiam transeundi ad aliud Ordinis monasterium et ibidem profitendi dare non praesumant, providentes etiam, quod illi vel illis quibus huiusmodi licentiam concesserint, pro termino quaerendi monasterium in quo recipientur, ultra duos menses non habeant, ne sub colore transeundi ad arctiorem locum et quaerendi monasterium in quo recipientur, sicut hactenus frequenter contigit, per longa tempora in confusionem scandalum totius Ordinis, per mundum discurrendo in civitatibus et oppidis ac aliis locis, facultatem habeant multa scandala perpetrandi. Abbates autem et abbatissae secus facere praesumentes poena percellantur antedicta, et nihilominus tales monachi vel moniales post duorum mensium a die qua sua monasteria egrediuntur computandorum, sub quocumque colore quaerendi monasterium in quo profiteri vel ad tempus remanere possint, per mundum discurrentes tamquam fugitivi et apostatae capiantur et puniantur. Sed et abbatissae, quae absque suorum patrum abbatum licentia speciali quibuscumque suis monialibus licentiam transeundi ad alium Ordinem seu ad aliud Ordi-

nis monasterium dare praesumpserint, poenam ipso facto incurrant depositionis quam praedicti patres abbates confestim ipsis infligere non omittant.

51. Enormibus scandalis et iacturis Ordini, proh dolor ! imminentibus per abbates et monachos, qui fidelitatem qua Ordini astringuntur temerarie violantes, extra Ordinem appellare, seu causas et lites contra Ordinis personas introducere in praeiudicium grave privilegiorum et libertatum ipsius Ordinis praesumunt, generale Capitulum volens occurrere, statuit, ordinat et diffinit, quod omnes et singulae Ordinis personae, quae de cetero extra Ordinem appellare, seu personas Ordinis coram quibuscumque iudicibus extra Ordinem trahere praesumpserint, donec sufficienter docere poterunt, quod ministratio iustitiae fuerit ipsis in Ordine denegata, ipso facto, prout alias diffinitum fuit et ordinatum, sententiam excommunicationis incurrant et carceribus mancipientur usque ad nutum Capituli generalis. Si autem aliqui abbates vel monachi Ordinis ad tantam, quod absit, pervenirent dementiam ut de privilegiis apostolicis Ordini super hac materia benigne concessis, necnon de statutis ipsius Ordinis super eadem materia toties factis et renovatis minime curantes super iure alicuius vel aliquorum monasteriorum in possessorio vel petitorio extra Ordinem coram quibuscumque iudicibus introducere praesumerent, praesens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod pendente lite inter praedictos contendentes, per personas eorumdem monasteriorum, de quorum abbatiatu contenditur,neutri contradicentium obedientia praestetur, seu aliquid de bonis huiusmodi monasteriorum ipsis vel alicui ipsorum, donec lis erit totaliter terminata, ministretur ; neque praedicti contendentes ad standum vel habitandum in talibus monasteriis, de quibus contenditur aut grangiis vel pertinentiis eiusdem, seu etiam in aliquo Ordinis monasterio aut aliis locis ad ipsum Ordinem pertinentibus, habitare seu receptari quovismodo permittantur, sed tamquam excommunicati et privilegiorum Ordinis enervatores ab omnibus et singulis Ordinis personis cautius evitentur et dimittantur, sicut ethnici et publicani. Praedictorum autem contendentium receptores vel eisdem consilium, auxilium seu favores quoscumque impendentes, quamdiu, ut praemissum est, extra Ordinem contenderint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant et conspiratorum poena puniantur. Ne vero talibus litibus pendentibus et occasione ta-

lium contendentium, monasteria de quibus contenditur, ad totalem in spiritualibus et temporalibus desolationem perveniant, quemadmodum hiis diebus multa Ordinis monasteria propter tales contendentenes spiritualiter et temporaliter sunt, proh dolor ! desolata, generale Capitulum sub poena depositionis districte praecipit et mandat omnibus et singulis patribus abbatibus Ordinis, quatinus deinceps quamcito intellexerint seu habuerint notitiam, quod super aliquo monasterio ipsis subdito aliqui abbates vel monachi incipient contendere sive in possessorio vel petitorio, sive infra Ordinem vel extra, confestim ad huiusmodi monasterium personaliter accedentes regimen ipsius totaliter committant priori et cellerario seu aliis personis eiusdem monasterii personis, de quibus ipsis expedire videbitur, donec praedictorum contendentium causae et lites fuerint totaliter decisae, et in eodem monasterio erit unus pacificus abbas, nec omittant tales patres abbates ordinationes superius positas de non obediendo vel ministrando aliquid praedictis contendentibus extra Ordinem litigantibus, facere diligenter et inviolabiliter observari. Si vero praedicti contendentes, donec monasteria de quibus contendunt, fuerint ipsis sententialiter adiudicata, quidquam de bonis eorumdem monasteriorum palam vel occulte capere, transportare seu ad suos applicare praesumerent, tamquam de furto convicti habeantur et indissimulanter puniantur, ceteris diffinitionibus super hac materia dudum editis nihilominus in suo robore iugiter permansuris. Praedicti vero patres abbates omnia quae in praemissis fecerint, semper ex nunc sequenti Capitulo generali fideliter et plene non omittant intimare.

52. Perplexam quaestionem inter personas Ordinis saepe versatam qua hesitatur, an abbati alicuius monasterii, qui de alieno monasterio fuerit assumptus, si suo cedat abbatiatu vel deponatur, et ad primum monasterium, unde assumptus fuerit, redire et ibidem permanere voluerit, per abbatem et conventum eiusdem denegari possit ingressus, generale Capitulum terminare volens declarat et diffinit, quod praedictus abbas, ut praemittitur, ad monasterium in quo primo stabilitatem promisit et professus fuit, libere redire et in eodem permanere et reddere potest Altissimo vota sua, nisi abbas et conventus eiusdem monasterii sufficientem allegarent et probarent causam propter quam in eodem monasterio, a quo fuit assumptus, nullatenus posset remanere.

53. Generale Capitulum omnibus patribus abbatibus Ordinis

districte et sub poena depositionis inhibet, ne de cetero abbatibus monasteriorum ipsis subditorum quantumlibet sponte et libere cedentibus pensionem, quae summam in statutis Ordinis tam apostolicis quam regularibus limitatam excedat, assignare praesumat ; quod si secus per quoscumque hactenus fuerit factum aut fieret in futurum, praesens generale Capitulum illud cassat, irritat et annullat, praedictosque patres abbates tamquam privilegiis apostolicis et statutis Ordinis inobedientes corrigi mandat et puniri.

54. Omnibus et singulis patribus abbatibus Ordinis praesens generale Capitulum districte praecipit et mandat, quatinus sub poena privationis ipsorum ab omni visitatione monasteriorum monialium in futurum, omnia et singula monasteria monialium ipsis subdita iuxta limitationem et ordinationem antiquorum Ordinis statutorum, necnon decreti Basileensis concilii sub tali faciant et procurent teneri clausula et custodia quoad ipsas moniales quarumcumque personarum saecularium nullus pateat accessus, neque ipsa monasteria egredi permittantur, praeterquam dumtaxat in evidenti et inevitabili necessitate. Moniales vero, quae deinceps extra septa claustri cameras tenere seu in eisdem vel alibi cum personis saecularibus loqui vel conversari absque speciali suarum abbatissarum licentia praesumpserint, postquam quater admonitae fuerint, ut a talibus excessibus abstineant, nisi efficaciter abstinuerint, ipso facto ultimae omnium monialium dicti monasterii constituantur et perpetuo maneant inhabiles ad quaecumque officia vel beneficia in Ordine obtinenda. Et hanc diffinitionem saluberrimam per omnia monasteria monialium Ordinis patres abbates eorumdem sub praedictis poenis promulgari et observari facere non omittant.

55. Generale Capitulum diutius sustinere non valens exsecrandam duritiam nonnullorum Ordinis abbatum, qui tamquam suae salutis immemores, excommunicationis sententias et alias poenas gravissimas in statutis Ordinis tam apostolicis quam regularibus notorie promulgatas adversus abbates,qui scolares in studio Parisiensi et aliis generalibus studiis iuxta domini Benedicti Papae XII limitationem, non timent incurrere et in eisdem sordescere non erubescunt aut formidant, omnes et singulos ipsius Ordinis abbates in praedictis statutis promulgatas incurrisse declarat, ipsos et quemlibet ipsorum ad solutionem dupli expensarum, quas fecissent in praedictis studiis scolares, expresse condemnando,

districte praecipiens idem Capitulum abbatibus ceterisque personis infrascriptis, ut omnes et singulos abbates Ordinis iuxta modum inferius designandum et limitandum per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia viriliter et debite compellant ad solvendum praedictum duplum de toto tempore praeterito, pro quo in eisdem studio Parisiensi vel aliis studiis generalibus scolarem vel scolares non tenuerunt, iuxta limitationem antedictam, invocato ad praemissa, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore. Absolutionem omnium et singulorum praedictorum abbatum a sententiis excommunicationis et irregularitatis poenis quas occasione praemissorum incurrerunt et contraxerunt, reservans domino Cistercii, cui etiam praedicta absolutio per Sedem Apostolicam est specialiter reservata. Praefatis insuper abbatibus et personis idem generale Capitulum praecipit et mandat, ut abbates qui praesenti Capitulo non interfuerunt, vel de veniendo ad ipsum se legitime non excusaverunt, ad solvendum duplum expensarum quas ad dictum Capitulum veniendo fecissent, modis praemissis viriliter et debite compellant ; in sequenti Capitulo generali plenam de omnibus quae fecerint in praemissis facturi relationem, et de pecuniis per ipsos occasione praemissorum recipiendis fidelem et integram rationem reddituri. Cuius quidem diffinitionis executionem dominus Cistercii committet illis de quibus sibi videbitur expedire.

56. Patres abbates, qui monasteria sibi subdita negligunt per se vel alium visitare, vel qui talia monasteria visitantes in eisdem per munera vel alias corruptiones excaecati negligunt facere correctiones, seu qui in promotionibus novorum abbatum per electionem canonicam secundum Ordinis statuta non procedunt, sed auctoritate propria in huiusmodi monasteriis promovent, et instituunt novos abbates, etiam frequenter indignos et ad exercendum pastorale officium prorsus inhabiles, generale Capitulum privat et declarat esse privatos per quinquennium cuiuslibet visitationis officio, dictumque officium visitationis, quod ad ipsos pertinebat, ad immediatum superiorem ipsorum devolvit et declarat esse interim devolutum, statuens et diffiniens quod scienter eligentes indignum, vel electum confirmantes, seu qui praetermissa eligendi forma, nisi ius providendi ad ipsorum manus fuerit devolutum, in aliquo monasterio promovere vel instituere praesumpserint aliquem in abbatem, ipso facto dignitate

abbatiali sunt et permanebunt perpetuo privati, neque tales per eos instituti aut promoti sint aut debeant quovismodo abbates reputari, omnibus et singulis monachis Ordinis districte inhibendo, ne tales promotos in suos abbates [recipere], aut eisdem tamquam abbatibus praesumant obedire.

57. Quia diebus istis malis nonnulli abbates Ordinis in potentia laicorum armatorum plusquam deberent confidentes, et iuramentorum solemnium quae in sua assumptione praestiterunt immemores, bona suorum monasteriorum, videlicet calices, cruces, libros et alia pretiosa iocalia ac interdum census et redditus absque suorum conventuum scitu vel consensu vendere et prorsus alienare praesumunt, imo mala malis accumulando sigillum vel sigilla suorum conventuum penes se retinentes, ipsis etiam conventibus hoc ignorantibus, varias facere obligationes, et sua monasteria in magnis pecuniarum et aliorum bonorum summis obligare non formidant, in grave salutis ipsorum detrimentum et irreparabilem suorum monasteriorum destructionem. Idcirco generale Capitulum super tantis excessibus salubre volens remedium adhibere, declarat, statuit, diffinit quod abbates qui absque suorum conventuum et patrum abbatum expresso consensu, calices, cruces, libros seu vasa vel vestimenta ad usum divini officii dicata aut etiam census vel redditus, seu alias quascumque possessiones ad sua monasteria pertinentes, vendere, obligare seu quovismodo alienare praesumpserint, ipso facto tamquam de furto convicti deponantur et puniantur. Retinentes vero penes se suorum conventuum sigilla,et sub ipsis absque eorumdem conventuum consensu sua monasteria ad quorumcumque bonorum summas obligantes, ipso facto tamquam litterarum falsarii sua dignitate abbatiali sint privati, et graviter puniantur. Et nihilominus tales obligationes scissae sint et nullae, quas generale Capitulum declarat fore nullas, et tales si quae factae fuerint tempore praeterito vel fierent in futurum, ex nunc cassat, irritat et annullat.

58. Omnia statuta super Ordinis reformatione hactenus per generale Capitulum salubriter edita, praesens generale Capitulum innovat, confirmat, ratificat et approbat.

59. Abbates Ordinis licentiam suis monachis de cetero conferentes, ut in ecclesiis parochialibus ad ipsa monasteria minime pertinentibus ecclesiastica sacramenta ministrare praesumant, et officium curatorum exercere possint, seu qui propter pauperta-

tem, vel guerras aut dispersionem permiserint, quod iidem monachi in civitatibus, villis aut oppidis, seu aliis locis extra monasteria Ordinis continue resideant, et cum saecularibus in scandalum et dedecus totius Ordinis teneant habitationes, ipso facto sententiam incurrant excommunicationis, donec praedictos monachos ad sua revocaverint monasteria, eorumdem monasteriorum totaliter permaneant privati administratione. Et nihilominus tales monachi tamquam fugitivi evitentur et puniantur. Patres vero abbates, qui delinquentes in praemissis indissimulate non correxerint, praemissas poenas incurrant ipso facto.

60. Generale Capitulum districte inhibet abbati de Langonio ne de cetero quamcumque pensionem pecuniarum vel aliorum bonorum tribuat fratri Guillelmo Tranchier, quem idem Capitulum, quia ad idem debite citatus non comparuit in ipso, reputat contumacem, donec de causis et rationibus propter quas praedictam pensionem supra ipsum monasterium de Langonio petit aut debet habere, praefatum Capitulum legitime informaverit, et de sententia quam propter praedictam contumaciam incurrisse dignoscitur, efficaciter sit absolutus.

61. Ut proprietatis vitium super quo vel Summus Pontifex dicitur non posse dispensare, efficacius amputetur ab Ordine, generale Capitulum districte inhibet omnibus et singulis Ordinis personis,ne de cetero pro missis vel quibuscumque officiis defunctorum in monasteriis institutis vel instituendis, pecuniam ad partem petere vel recipere praesumant.Et si qui hoc, quod absit fore, in hoc invenirentur delinquentes, tam recipientes quam abbates et monachi in hoc ipsis consentientes tamquam proprietarii et de simoniaca labe suspecti indissimulanter puniantur.

62. Desideria carnalia a personis Ordinis generale Capitulum prorsus volens amputare, districte inhibet, ne balneorum usus de cetero personis Ordinis sanis concedatur ultra semel in mense. Si qui vero monachi vel conversi praeter infirmitatem evidentem huiusmodi balneis vel commessationibus aut aliis voluptatibus uti praesumerent, poenitentiam levis culpae in pane et aqua continue sustineant, donec sufficienter correcti fuerint et emendati.

1438

Capitulum [a] generale anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo octavo.

ORATIONES.

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno 1411, n*° 7.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

7. Electionem, installationem et confirmationem die 16 mensis iunii anno Domini 1438 de persona fratris Arnulphi de Montibus in abbatem monasterii de Recluso, Trecensis dioecesis, per abbatem Vallis clarae, immediatum patrem abbatem dicti monasterii de Recluso, ratam et gratam eas tenet et habet praesens generale Capitulum, illasque ratificat et approbat.

8. Ad idem pro abbate monasterii de Rivo Sanctae Mariae.

9. Ad idem pro abbate monasterii Ameldigisbrun.

10. Ad idem pro abbate monasterii de Sanctis Crucibus.

11. Attentis a nonnullis fide dignis gravitate et senio bonaque relatione abbatis moderni de Pietate Dei nostri Cisterciensis Ordinis, Cenomanensis dioecesis, a via Capituli generalis viso quod gravitas aetatis suae non permittit ipsum amplius equitare, nunc et in perpetuum, praesens generale Capitulum ipsum abbatem habet favorabiliter excusatum.

1438. *Fontes* : *L*³ : 1-59 ; *M* : 51 ; *P*² : 1, 15, 44, 51, 58, 59 ; *W* : 60.
[a] *Titulus apud L*³. [b] Sub Eugenio IV, Philippo duce Burgundiae, Ioanne abb. Cistercii : *P*².

12. Ad requestam abbatis Longipontis, cum fratre Matheo Dauces monacho suo, qui per aliquod tempus vagabundus per saeculum diabolico motu, suae salutis immemor apostatavit, demum ad Ecclesiae gremium poenitentia ductus regressus, fore facta per ipsum ad nutum abbatis humiliter devota mente deplorando emendavit, praesens generale Capitulum habita relatione sui reatus, misericorditer dispensat quatinus ad omnes actus, gradus, voces, administrationes, dignitates sublimari valeat pariter et assumi.

13. Electionem, installationem et confirmationem die 3 mensis iunii anno Domini 1438 de persona fratris Iacobi de Tomerio in abbatem monasterii de Ioyaco, nostri Cisterciensis Ordinis, Senonensis dioecesis, per dominum Pontigniaci immediatum patrem dicti monasterii de Ioyaco, factas et celebratas, prout in decreto cui haec praesens nostra diffinitio annectitur, plenius continetur, idem praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat.

14. Omne contentum in quibusdam litteris quibus haec nostra praesens diffinitio annectitur, monasterium de Morimundo tangens et concernens, super quamdam arrentationem seu assensationem, ut in litteris quibus praesens diffinitio est annexa plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

15. Abbati de Loco crescenti conceditur per generale Capitulum,quatinus secundum formam ecclesiasticam sepulturae ecclesiasticae tradat corpus et cadaver fratris Ricardi Boneti, non obstante quod in apostasia crudeliter fuerit interfectus ; proviso tamen quod pecunias ab ipso furtive sublatas et alia bona monasterii Loci crescentis antedicti, parentes et amici praedicti fratris Ricardi eidem monasterio in toto vel saltem in maiori parte restituant plenarie.

16. Abbati de Sancta Cruce in Austria generale Capitulum committit, quatinus abbate de Hilaria et magistro Ioanne de Brunbac magistro in theologia evocatis, et partibus auditis super concessione centum florenorum auri facta per dictum abbatem de Hilaria praefato magistro Ioanni pro reparatione collegii Sancti Nicolai in civitate Viennae situati, faciat dictum de Hilaria super contributiones monasteriorum dicti Ordinis in Austria situatorum integraliter persolvi.

17. Abbati de Zweetela concedit generale Capitulum et pie

annuit, quatinus attenta desolatione sui monasterii, a solutione communium Ordinis contributionum per immediate sequens triennium sit exemptus, quem etiam per praesentes eximit.

18. Idem conceditur abbati de Parongortonperg [= *Baumgartenberg, Mons Pomarius*].

19. Committitur domino Pontigniaci per generale Capitulum, quatinus excusationes abbatum de Oratorio, de Ponte Oltrani, de Chalocheio, de Buxeria, de Claromonte, de Bella brancha, de Pietate Dei Andegavensis et Cenomanensis dioecesium, diligenter examinet perquirendo et discutiat, si veritatem contineant, et inde faciat auctoritate praedicti Capituli generalis quod fuerit iuris et rationis faciendum.

20. Idem concedit praesens generale Capitulum et committit ut supra, domino Pontigniaci pro monasterio Savigniaci.

21. Praesens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit, quod omnes Ordinis personae de furto manifeste convictae, per abbates ipsorum viriliter et rigide puniantur et usque ad proximum inde sequens generale Capitulum carceri mancipentur et detineantur.

22. Abbatibus de Valle Beatae Mariae et de Regali monte committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas regulares, quas reperient teneri seu legitime obligatas existere abbati et conventui Caroliloci et suo monasterio... *etc. ut in forma consueta.*

23. Domino Pontigniaci et abbatibus de Fonteneto et de Rigniaco committitur idem per generale Capitulum pro monasterio Quinciaci.

24. Ad idem committitur abbati de Fontemorum pro monasterio monialium de Loco Beatae Mariae.

25. Ad idem committitur pro domino Pontigniaci et abbati de Curia Dei et cuilibet ipsorum in solidum pro monasterio de Eleemosina.

26. Ad idem committitur abbatibus de Caroliloco, de Ioyaco et de Quinciaco, pro domino Pontigniaci et suo monasterio.

27. Ad idem committitur domino Pontigniaci et abbatibus de Ygniaco et Caroliloco pro monasterio Ioyaci.

28. Abbati Quinciaci committit generale Capitulum, quatinus quantocius commode poterit, ad monasterium Maceriarum accedens personaliter et ibidem abbatem dicti loci moneat auctoritate ipsius Capituli generalis, sub poenis excommunicationis et

dupli, ut infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum inclusive, cum debitis provisionibus mittat unum scolarem ad studium sive collegium Sancti Bernardi Parisiensis, alioquin praedictae excommunicationis sententiam indissimulate in eumdem abbatem fulminet viriliter.

29. Frater Hugo Montard se gerens pro abbate monasterii Septem Fontium, nostri Cisterciensis Ordinis, Aeduensis dioecesis, qui citatus erat personaliter sub poena depositionis ad praesens generale Capitulum, nec per se nec per alium comparuit, debite tamen expectatus, quapropter idem Capitulum ipsum declarat contumacem atque excommunicatum denuntiat tenore praesentis diffinitionis.

30. Frater Ioannes de Ripparia, prior monasterii Septem Fontium sub poena excommunicationis personaliter citatus erat ad praesens generale Capitulum, qui nec per se... *etc. ut in n° praeced.*

31. Frater Ioannes Bituiset, monachus monasterii de Septem Fontibus, erat ad praesens generale Capitulum personaliter citatus sub poenis excommunicationis, apostasiae et carceris, et qui neque per se neque per quemquam alium comparuit, decenter expectatus ; idem generale Capitulum fratrem Ioannem declarat apostatam, protestans quod dictus frater, ista de causa, loco et tempore, carceri indissimulate mancipabitur.

32. Fratrem Guillelmum Treuchier monachum monasterii... *(locus vacuus)* qui ob sui contumaciam in ultimo Capitulo anni praeteriti fuit debite denuntiatus excommunicatus, ac etiam ad praesens generale Capitulum debite citatus fuit, in quo minime comparuit, praedictum Capitulum generale aggravatum et reaggravatum abbatibusque patriae nihilominus et personis regularibus, praesertim fratri Ioanni Graill praecipiendo mandat, quatinus dictum fratrem Guillelmum excommunicatum aggravatum et reaggravatum absque ulla fictione ubi opportunum fuerit, denuntient.

33. Abbatibus ducatus Britanniae benigniter concedit generale Capitulum, quatinus omnes et singulos abbates suae provinciae congregare possint et valeant, ad sibi invicem subveniendum pro causis et libertatibus Ordinis et eas tangentibus viriliter apud omnes defendendis. Et si, quod absit, aliqui abbates hoc recusare voluerint, ipsos per censuram Ordinis compellere studeant viriliter et debite.

34. Cum fratre Ioanne Guillard, monacho monasterii de Bella brancha, qui maligno spiritu ductus et motus dudum unum de suis fratribus percussit usque ad effusionem sanguinis, et ad occasionem huiusmodi percussionis per aliquod tempus apostatavit, habitu tamen regulari non derelicto, et postea ad gremium monasterii sui regressus poenitentiam sibi per suum abbatem deputatam et iniunctam humiliter cum moerore adimplevit et peregit, generale Capitulum misericorditer dispensat, ut ad cunctos Ordinis actus legitimos, gradus, voces, administrationes, dignitates etiam ad abbatialem, si contigerit, praedictis non obstantibus, promoveri valeat et assumi.

35. Abbatissae Beatae Mariae de Gaudio prope Heuben generale Capitulum de gratia speciali indulget benigniter, quatinus eligere possit aliquem confessorem de Ordine nostri Cisterciensis idoneum et sufficientem, qui ipsam cum suis monialibus absolvere valeat, in ipsius Ordinis et Capituli generalis plenaria potestate.

36. Ad instantem supplicationem abbatis de Claritate Dei, generale Capitulum praecipit et mandat in virtute obedientiae primo abbati de Ordine nostro, qui super hoc fuerit requisitus, quatinus ad requestam seu instantiam praedicti abbatis de Claritate Dei abbates de Curia Dei et Campaniae citet ad futurum sequens immediate Capitulum generale, ad omnia et singula quae sibi obiicientur ex praedicto de Claritate responsuros.

37. Abbatem de Tironello et fratrem Nicolaum Beaufils, monachum dicti loci de Tironello, citatos per abbatem de Campania ad praesens generale Capitulum ad comparendum personaliter coram Diffinitoribus ipsius Capituli, quia non comparuerunt debite expectati, idem Capitulum denuntiat contumaces et declarat excommunicatos.

38. Abbatibus de Loco Dei et de Bello loco committit generale Capitulum, quatinus intra festum Dominicae Resurrectionis proximum, ipsi duo coniunctim mittant unum scolarem ad studium Tolosanum, cum debitis provisionibus, et eum ibidem manuteneant usque ad quinquennium, et usque ad Pascha praesens Capitulum relaxat monitionem eisdem abbatibus factam, et non ultra nisi fecerint quod praecipitur.

39. Cum fratre Guillelmo Mignon, monacho monasterii de Barbereyo, qui spacio septem hebdomadarum, habitu regulari dimisso, cum quodam iuvene monacho, qui furatus fuerat abbati

suo 20 francos, de quibus frater Guillelmus habuit decem, apostatando remansit in saeculo; quos decem francos a dicto iuvene receptos per ipsum regressus ad praedictum de Barbereyo monasterium, abbati suo plenarie restituit, poenitentiamque sibi iniunctam humiliter et devote adimplevit, generale Capitulum praedictis non obstantibus dispensat, ut ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, administrationes, abbatiatu dumtaxat secluso, admittatur pariter et assumatur.

40. Tractatum initum alias inter abbatem et conventum monasterii Longipontis ex una, et fratrem Ioannem de Meldis ex altera, secundum formam et tenorem litterarum super hoc confectarum, super certa portione per modum pensionis annuae eidem fratri Ioanni factae, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

41. Reformationem monasteriorum de Palatio Beatae Mariae, de Albigniaco, de Obazina, de Dalone, ac omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus in dioecesibus Bituricensi, Pictaviensi, Lemovicensi, Aurelianensi, Malleacensi, Ausciensi, Cenomanensi, Andegavensi et Turonensi, generale Capitulum committit domino Pontigniaci, in plenaria Ordinis potestate.

42. Generale Capitulum concedit abbati et conventui monasterii de Albaripa, quod ipsi possint nobili viro domino de Castro Villani pro semel dumtaxat vendere usque ad numerum 50 arpentorum nemoris, lignis non caeduis penitus exclusis, et maxime de lignis illis quae sunt situata inter praedictum monasterium et villarium Marosum in foresta vocata Damorez, rogans praefatum dominum ut praedictos abbatem et conventum super hoc de cetero non inquietet aliquo modo.

43. Electionem, installationem et confirmationem die 25 mensis ianuarii anni a Nativitate Domini 1437 de persona fratris Winandi de Wo in abbatem monasterii de Valle Dei, Leodiensis dioecesis, per abbates de Villari et de Molinis commissarios in hac parte deputatos a domino Claraevallis, patre abbate praedicti de Valle Dei monasterii immediato, factas et celebratas, prout in decreto cui haec nostra praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, idem Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

44. Generale Capitulum saluti animarum providere volens, sententiam excommunicationis dudum latam et in 13 distinc-

tione *Diffinitionum antiquarum* promulgatam, praesens generale Capitulum suspendit totaliter, donec super hoc aliter duxerit ordinandum.

45. Abbatibus de Ursicampo et de Balerna, s. th. pr., committit praesens generale Capitulum, quod ipsi possint cum abbate de Monte Syon conferre et concludere cum eodem de reformatione fienda in regnis Castellae, Portugalliae, Legionis, Hispaniae et Navarrae, in plenaria Ordinis potestate.

46. Committitur abbati de Eleemosyna, quatinus abbates de Curia Dei, de Landesio, de Fontanis albis, et de Barzella, compellat viriliter ad mittendum scolares Parisius ad studium Sancti Bernardi, cum debitis provisionibus, infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum ; quodque compellat eos auctoritate Ordinis ad solvendum duplum expensarum, quas fecissent praefati scolares, si continue in studio mansissent.

47. Electionem, installationem et confirmationem 23 die mensis Iunii anni 1438 de persona fratris Egidii de Bosco in abbatem monasterii de Boheriis, nostri Cisterciensis Ordinis, Laudanensis dioecesis, per abbatem de Fusniaco, patrem abbatem immediatum... *etc. ut in forma consueta.*

48. Abbati de Bella valle praesens generale Capitulum praecipit, quatinus infra festum Omnium Sanctorum mittat Parisius ad collegium Sancti Bernardi unum scolarem cum debitis provisionibus ; alioquin procedetur contra ipsum, compelleturque ad solvendum duplum... *etc. ut in nº 46.*

49. Dispensatur misericorditer cum sorore Catharina Barnemaque, moniali monasterii de Bello prato in Flandria, quae humani generis inimico instigante, convicta fuit de carnis contagio, puerperio subsecuto ; postmodum vero ad cor rediens et peccata sua laudabiliter deflens, Ordinisque disciplinam et poenitentiam sibi propter hoc iniunctam devote complevit. Eapropter praesens Capitulum, praemissis attentis, praefatam sororem Catharinam, non obstantibus deformitatibus antedictis, eam ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, dignitates, promoveri valeat et rehabilitat per praesentes.

50. Abbati de Bullencuria praecipit et mandat generale Capitulum sub poena suspensionis, quatinus abbati de Balerna solvat realiter et cum effectu summam sex florenorum, duodecim solidorum stephanensium, infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum ; nisi causam praetendere voluerit quare ad hoc minime teneatur.

51. Capitulum generale reverenter committit domino Cistercii, quod si oporteat accedere ad concilium generale, de singulis nationibus possit convocare tot abbates et magistros in theologia et secum ducere, seu mittere quot sibi videbuntur necessarii, quodque possit subsidium imponere, seu aliquos Ordinis abbates, quos voluerit assumere ad imponendum et levandum supra omnia monasteria Ordinis utriusque sexus, pro sumptibus et expensis praedictorum abbatum et magistrorum supportandis.

52. Dispensatur misericorditer per generale Capitulum cum fratre Petro de Sancto Pecusio, monacho Caroliloci, qui spatio semi anni, habitu regulari derelicto, sunt fere decem anni, in animae suae detrimentum, ad saeculum vagabundus per aliquod tempus apostatando remansit ; postmodum vero ad suum monasterium regressus poenitentiam sibi iniunctam secundum statuta Ordinis laudabiliter deflens devote complevit. Eapropter dictum praesens Capitulum generale ipsum fratrem Petrum ad omnes Ordinis legitimos actus, gradus, voces, dignitates et officia, abbatiali dignitate dumtaxat seclusa, restituit.

53. Diffinitiones anno praeterito factas, praesens generale Capitulum confirmat, easque ratificat et approbat.

54. Abbates, qui in hoc praesenti Capitulo generali personaliter non comparuerunt, iterato citantur ad proximum generale Capitulum, suae remanentiae reddituri rationem legitimam.

55. Generale Capitulum misericorditer cum fratre Roberto Happel, monacho monasterii de Noa, qui dudum, sunt fere duo anni, quod ipse frater spatio duorum annorum, humani generis inimico suadente, habitu regulari derelicto, vagabundus per saeculum exiens apostasiam incurrit, postmodum e saeculo regressus ad dominum nostrum Cisterciensem, qui ipsum fratrem Robertum ad monasterium Ioyaci destinavit et ibidem laudabiliter se habens, poenitentiam sibi iniunctam humiliter et devote adimplevit et perfecit. Eapropter, praedictis non obstantibus, idem Capitulum praedictum fratrem Robertum ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, administrationes, officia et dignitates habilitat et restituit benigniter.

56. Super discordia quae vertitur inter abbatem monasterii Vallis crescentis et fratrem Ioannem Chapusii, monachum professum dicti monasterii, committit generale Capitulum abbati de Miratorio, secum fratre Petro nunc suppriore Bonaevallis Viennensis assumpto, ut quantocius commode poterunt, ad

ipsum Vallis crescentis monasterium personaliter accedant, vocatis evocandis, causam et discordiam ipsam terminent et decidant in ipsius generalis Capituli plenaria potestate, sumptibus tamen utriusque partium.

57. Praesens generale Capitulum praecipit districte sub poenis excommunicationis, infamiae perpetuae et carceris, fratri Ioanni Chapusii, monacho monasterii Vallis crescentis, ut confestim finito Capitulo ad monasterium de Chassania personaliter se transferat, ibidem moram tracturus cum ceteris religiosis eiusdem monasterii, indeque non exeat quavis de causa sine speciali et expressa licentia abbatis de Miratorio, donec controversia, quae vertitur inter ipsum et abbatem suum, penitus fuerit sopita.

58. Appellationis remedium a sanctis patribus utriusque iuris conditoribus ea ratione fuit adinventum, ut oppressi et contra ius et iustitiam aggravati, per iustum iudicem appellatione et releventur, et malitia tyrannorum per superiorem reprimatur, et temeritas reformatorum praetensorum seu potius deformatorum per iudicem superiorem reprimatur et compescatur. Idcirco, ego fratrer Philippus, monachus monasterii de Laude, s. th. pr., totius Ordinis Cisterciensis procurator generalis circa iniuriam cuiuscumque, sed cum honore et reverentia domini nostri Papae et Sanctae Sedis Apostolicae loquendo, sentientes ipsum Ordinem multipliciter aggravari, laedi et in consuetudinibus, observantiis, statutis, libertatibus, privilegiis et diffinitionibus dicti Ordinis, quae pro legibus et ut leges in dicto Ordine habentur et servantur dicti Ordinis Cisterciensis, ac iuribus dicti Ordinis multipliciter dirimi a vobis fratre Martino abbate asserto Beatae Mariae Montis Syon, dioecesis Toletanae, pro eo et in eo, quia cum in patria Burgundiae et in dioecesi Cabilonensi sit quoddam notabile et solemne monasterium, quod communiter vocatur monasterium Cistercii, sub quo subsunt plurima et diversa monasteria per diversas mundi partes diffusa, pro cuius undatione et aliorum abbatum a dicta abbatia Cistercii, quae est caput aliarum abbatiarum dependentium, fuerunt factae plures constitutiones, observantiae, styli, statuta et consuetudines ac diffinitiones, per diversos Summos Pontifices pro conservatione dictae abbatiae Cistercii, Ordinis et personarum eiusdem, ac bonorum spiritualium et temporalium; quae quidem constitutiones, observantiae, styli, diffinitiones, statuta et consuetudines fue-

runt introductae non solummodo pro conservatione dictae abbatiae Cistercii, quae est caput aliarum abbatiarum, quinimo pro conservatione omnium aliarum abbatiarum a dicta abbatia Cistercii dependentium, et totius Ordinis Cisterciensis, dictaeque constitutiones, observantiae, styli, statuta, diffinitiones et consuetudines fuerunt observata in dicta abbatia Cistercii et aliis abbatiis ab ea dependentibus a decem, viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta et centum annis citra et ultra et a tanto tempore citra, quod de contrario memoria hominum non existit. Et ultra haec a tempore fundationis dictae abbatiae Cistercii et aliarum abbatiarum ab ea dependentium fuit ordinatum per dictum dominum abbatem Cistercii, alios abbates dicti Ordinis, necnon per diversos Summos Pontifices, quod quolibet anno in mense septembris celebratur Capitulum generale in dicta abbatia Cistercii et non alibi, in quo omnes abbates dicti Ordinis Cisterciensis tenentur venire sub gravissimis poenis personaliter, nisi legitimo impedimento sint excusati. Et si venire non possunt, tenentur dicti abbates mittere in dicto Capitulo Cistercii personam sufficientem et idoneam cum sufficienti potestate et excusatione ; in quo quidem Capitulo quolibet anno dictus Ordo Cisterciensis reformatur, tam in capite quam in membris casu quo indigeat, ordinatione cuius Capituli quod tenetur in dicta abbatia Cisterciensi, Ordo praedictus mirabiliter regitur et gubernatur, tam in capite quam in membris, priscis temporibus se rexit et gubernavit, et de praesenti se regit et gubernat, et sine aliquali reprehensione. Et numquam fuit visum a tempore fundationis dicti Ordinis Cisterciensis, quod in aliquali parte mundi fuerit tentum Capitulum generale pro dicto Ordine, nisi solummodo et dumtaxat in dicta abbatia Cistercii, servando et observando constitutiones, diffinitiones, privilegia, statuta, stylos, observantias et consuetudines dicti Ordinis, quae habentur pro lege, et pro lege debent haberi et observari, et habent vim legis iuxta L. *Constitutionum, ff, municipales* ; hanc partem tenuit Bartholomeus in L. *Omnes populi, ff. de iustitia et iure,* in repetitione quam ibi fecit in materia consuetudinum et observantiarum. Idem tenet Bartholomeus in L. *De quibus, ff. de Legibus.* Idem tenet Themis in L. II, c. *Quae sit longa consuetudo,* in repetitione quam ibidem fecit. Idem tenet Ioannes Fabri in L. *Ex non scripto iusti,* de iure naturali gentium et civili. Hanc etiam partem tenet Petrus Helie in repetitione quam fecit in materia consuetudinum. Praemissis

tamen non obstantibus, vos praedicte frater Martine, qui dudum portabitis habitum Beguinorum [c], quem dimisistis non quidem devotione sed ambitione, ut possetis consequi dictam abbatiam Beatae Mariae Montis Syon, praedictae dioecesis Toletanensis, et non solummodo illam abbatiam fuistis assecutus, quinimo ex ambitione et cupiditate, quae in vobis est radicata, fecistis varios conatus ut possetis assequi alias abbatias dicti Ordinis Cisterciensis, quas de facto occupastis, et ut possetis ponere schisma et divisionem in dicto Ordine Cisterciensi, sub habitu vulpino multa falsa et mendosa contra rei veritatem dedistis ad intelligendum [d] domino nostro Summo Pontifici Eugenio Papae IV, et ipsum de veritate nullo modo informastis, sed subreptitie et obreptitie dedistis ad intelligendum dicto domino nostro Summo Pontifici quod dictus Ordo Cisterciensis male se gubernabat, et tacuistis omnes constitutiones, observantias, diffinitiones, stylos, consuetudines dicti Ordinis Cisterciensis, tacuistis etiam quod solummodo dictum Capitulum generale in dicto monasterio Cistercii, et non alibi celebratur et tenetur ; tacuistis diffinitiones et observantias, consuetudines et privilegia Ordinis praedicti. Quapropter praefatus dominus noster Summus Pontifex per vos deceptus vel circumventus, credens verbis vestris mendosis et fallacibus, concessit quamdam bullam [e] per quam vos, antefate Martine, anhelatis toto vestro posse pervertere dictas constitutiones, diffinitiones, observantias, consuetudines et statuta dicti Ordinis Cisterciensis, et maxime in eo quod impetrastis tacita veritate, expressa falsitate, a dicto domino nostro Summo Pontifice, quod de triennio in triennium Capitulum provinciale teneretur in regnis Castellae et Legionis in aliquo monasterio dicti Ordinis Cisterciensis, et quod deterius est, ut possetis magis sublimari, obtinuistis subreptitie et obreptitie, quod sitis reformator in dicto Capitulo provinciali, reformator, inquam, bursarum et commodi bursalis abbatum et monachorum dicti Ordinis Cisterciensis, et aliter non, nec advertistis quod initium fundationis dicti Ordinis Cisterciensis fuit caritas unita, quae debet esse inter caput et membra, videlicet, inter dominum abbatem Cistercii et alios dominos abbates a dicto Ordine Cisterciensi depen-

---

[c] Benignorum : P^2. [d] intelligi : L^3. [e] *Bulla* Ad decorem, *cuius textus refertur apud* HENRIQUEZ, *Regula, Constitutiones et Privilegia Ord. Cist.* Antverpiae, 1630, p. 264 sq.

dentes, et inter dictos abbates et monachos suorum monasteriorum, et ita expresse cavetur in principio constitutionum, observantiarum et diffinitionum, quae incipit antequam Ordo Cisterciensis esset plurimum dilatatus, et etiam in aliis Clementina, Benedictina et aliis constitutionibus,nec advertistis,in impetrando dictam bullam subreptitiam et obreptitiam, ad indultum Clementis Papae quo cavetur, quod quaecumque personae Ordinis Cisterciensis impetrant aliquas bullas seu rescripta contra constitutiones, observantias, diffinitiones, stylos, consuetudines dicti Ordinis Cisterciensis in ipso iure sunt excommunicatae. Cum igitur vos, antefate Martine, dictam praetensam bullam subreptitiam et obreptitiam, tacita veritate et expressa falsitate, a dicto domino nostro Summo Pontifice Eugenio IV per vos non bene consulto imo male consulto obtinueritis, per quam totum Ordinem Cisterciensem pervertere satagitis et diffinitiones et constitutiones, observantias, stylos ac consuetudines dicti Ordinis infringere cupiatis, quantum in vobis est per consequens vos estis ipso iure excommunicatus, et per consequens quia post vos ingessistis divinis officiis, estis irregularis et perdidistis abbatiam Beatae Mariae Montis Syon, cuius vos dicitis abbatem, necnon et alias abbatias, quas de facto occupatis infra dictum Ordinem Cisterciensem. Propterea quamvis dictus dominus Summus Pontifex in dicta bulla dicat, quod suo motu proprio dictam bullam vobis concessit, attamen vobis instigante et prosequente vos bullam obtinuistis, et non informastis dictum dominum nostrum Summum Pontificem de constitutionibus dicti Ordinis Cisterciensis et apparet bene, quod vos fuistis causa finalis obtinendi dictam bullam, et quod ad vestram importunitatem dictus dominus noster Summus Pontifex in fine dictae bullae dixit, quod per contenta in eadem ipse non intendit derogare privilegiis, indultis et constitutionibus monasteriorum Ordinis praedictorum, in specie vel in genere a Sede Apostolica vel alias quomodolibet dicto Ordini competentibus et concessis, nec advertistis quod iurisdictio per Summos Pontifices praedecesores dicti domini nostri Summi Pontificis fuit data dicto domino abbati Cistercii et Capitulo generali, et non alicui alteri ; ulterius, vos antefate Martine, vigore dictae bullae praetensae et asseruistis et intenditis vos velle compellere dominos abbates et monachos dicti Ordinis Cisterciensis regnorum dictorum ad interessendum in dicto Capitulo provinciali in dictis regnis Castellae et Legionis, diversa

gravamina dominis abbatibus et monachis inferendo in sententia excommunicationis ac interdicti eosdem promulgando contra iuris formam constitutiones dicti Ordinis infringendo. Et ideo quia dicta bulla, per vos modo praemisso obtenta, est derogativa et enervativa constitutionum, diffinitionum, privilegiorum, statutorum, observantiarum et consuetudinum dicti Ordinis Cisterciensis, imo destructiva ; et quia vos, antefate Martine, male et contra rei veritatem informastis dominum nostrum Summum Pontificem quem induxistis ad vobis concedendum dictam bullam et contenta in eadem, quam veraciter dictus dominus noster Summus Pontifex vobis non concessisset, si puram veritatem expressissetis. Idcirco ego praedictus frater Philippus, procurator et nomine procuratorio praedicti Ordinis Cisterciensis, a vobis antefato Martino, abbate et reformatore asserto, ab impetratione dictae bullae ab omnibus et singulis capitibus in dicta bulla contentis tamquam derogantibus totali fundationi dicti Ordinis Cisterciensis necnon a comminationibus de citando et compellendo abbates Ordinis regnorum Castellae et Legionis, et de puniendo per censuras ecclesiasticas et per mulctas pecuniarum intimationibus, monitionibus et a toto vestro processu facto, fiendoque, a dicto domino nostro Summo Pontifice male informato per vos, et ab omnibus et singulis gravaminibus per vos, antefatum Martinum, nobis factis et illatis et fieri comminatis, necnon ab omnibus et singulis aliis gravaminibus tam iudicialibus quam extraiudicialibus per vos praedicto Ordini factis et illatis ac fieri comminatis, pro me et toto Ordine Cisterciensi, et pro omnibus abbatibus, personis eiusdem Ordinis et pro mihi adhaerentibus et adhaerere volentibus, provoco, appello et recurro ad eumdem dominum nostrum Summum Pontificem melius informandum de praemissis et ad Sanctam Sedem Apostolicam, ad sacrum generale concilium, et ad concilia generalia in futurum tenenda ubicumque teneantur, ad illum vel illos, ad quem seu ad quos de iure, usu, stylo seu approbata consuetudine fuerit provocandum et appellandum, ut apostolicos semel, secundo et tertio, cum debita et multiplicata instantia mihi impertiri postulando et inhibendo vobis, antefato Martino, vigore praesentis appellationis, quantum de iure possum et valeo, ne in praeiudicium meae appellationis, provocationis et recursus aliquid innovare habeatis, et casu quo contrarium faceretis, quod non credo, protestor contra vos et personam vestram et bona vestri monasterii, et

tenore praesentis appellationis vos, antefatum Martinum, eligo in partem expressam, submittens me et totum Ordinem Cisterciensem subditione illius vel illorum qui de praesenti provocatione, appellatione et recursu sunt cognituri. Et protestor per expressum, quod hanc praesentem appellationem possim prosequi per vias provocationis, appellationis, recursus, nullitatis, iniquitatis, subreptionis, obreptionis, seu aliis illis melioribus via, modo, iure et forma, quibus fieri poterit et debebit. Requirens vos magistrum Sancium de Cosano, quatinus de praesenti appellatione retineatis nobis publicum instrumentum.

59. Nos, frater Ioannes abbas Cistercii ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis apud Cistercium mense septembris anno Domini 1438 celebrati, notum facimus omnibus et singulis evidenter, quod in eodem Capitulo facta fuit concorditer, nemine discrepante, quaedam diffinito, cuius tenor et forma de verbo ad verbum sequitur in haec verba : Quoniam peccatis exigentibus sacer Ordo Cisterciensis, qui dudum in sancta Dei Ecclesia tamquam praecipuus fulgor meritis et virtutibus rutilavit, his novissimis diebus magna ex parte in temporalibus et spiritualibus ubique ferme in occiduis praesertim partibus collapsus et destitutus cernitur, et nisi saluberrimis remediis tanto langori ex praedecessorum incuria derivato congrua medela per nostram solertiam, quae ad hanc rem vehementer afficimur et tenemur, apponetur a me, apud Deum et homines tanti criminis rei merito censemur; propterea nos praefati abbas Cistercii ceterique et singuli patres Diffinitores huius sacri Capituli summo cum desiderio cupientes hanc rem prosperis effectibus mancipare excitati et commoniti saluberrimis sanctissimi domini nostri Eugenii Papae IV exhortationibus, nonnullorumque reverendissimorum primatum dominorum sanctae romanae Ecclesiae cardinalium, nos ad praedicti Ordinis reparationem, ad quam tenemur commoventium pro felici ac efficaci reparatione, reductione ac reformatione dicti Ordinis monasteriorum in personis, rebus ac bonis omnibus ac singulis per totam Hispaniam constitutis praesentibus et futuris in plenaria Ordinis potestate, secundum apostolica ac dicti Ordinis instituta, capitulariter congregati statuimus et volumus ac diffinimus, quod de cetero, nisi generali Capitulo ex causa aliter moderandum videretur, in regno Castellae in aliquo monasterio dicti Ordinis vel aliquo alio loco securo, et honesto anno quolibet omnes abbates omnium et singulorum

monasteriorum regnorum Castellae, Legionis, Gallaciae, Vandalitiae et Portugalliae, auctoritate generalis Capituli per se ipsos personaliter teneantur communem congregationem, de unoquoque autem monasterio praedictorum regnorum teneatur prior et conventus mittere unum monachum discretum et in sacris constitutum ad dictam congregationem. Qui omnes simul iuncti abbates et monachi procuratores in dicta congregatione existentes eligunt secrete et pacifice unum de abbatibus, qui auctoritate Ordinis sit praesidens in dictis regnis cum plenaria Ordinis potestate ; cuius praesidentis auctoritas et potestas durabit quousque in sequentis anni congregatione alius praesidens eligatur ; facta autem prima congregatione, ut praemittitur, ex tunc deinceps omnes et singuli tam abbates quam ceteri intelligantur et sint citati in posterum peremptorie ad quamlibet aliam congregationem de cetero, ut praemittitur, celebrandam ; abbates autem omnes et singuli, nisi fuerint legitime impediti, de quo impedimento fidem plenam praedictis praesidenti et consiliariis facere teneantur, veniant sub poenis per praedicti Ordinis statuta inflictis contra illos qui ad generale Capitulum non veniunt, quas eos omnes et eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto. Conventus autem virorum cuiuscumque monasterii dicti Ordinis procuratorem suum ad praedictam congregationem mittere teneatur, et ex tunc auctoritate Capituli procurator sic institutus habeat plenariam facultatem tractandi et approbandi ea omnia et singula, quae in dicta congregatione tractabuntur ac decernentur. Quod si ex causa quacumque legitima praedicta congregatio anno quolibet non valeat celebrari in loco et tempore assignato, tunc praesidens cum consilio et assensu dominorum deputatorum ordinet de alio loco, quod ceteris abbatibus intimare tenebitur, cuius impedimenti et dilationis causa intimabitur Capitulo generali. In qua congregatione per praesidentem et alios abbates et monachos ibi existentes eligantur secrete sex consiliarii de abbatibus et monachis, dum tamen maior pars consiliariorum sit de abbatibus, cum quorum consilio et assensu dictus praesidens in plenaria Ordinis potestate auctoritate Capituli generalis in omnibus et singulis, in temporalibus et spiritualibus, in capite et in membris, ac provideat et disponat Deum semper habendo prae oculis, secundum quod sibi ac dictis consiliariis videbitur, servatis apostolicis ac dicti Ordinis institutis, ad cuius praesidentis officium spectet providere omnibus et sin-

gulis monasteriis monialium de honestis confessoribus, procuratoribus, et aliis personis, qui secundum Ordinis instituta debent assistere servitiis feminarum. Dictus quoque praesidens possit liberare vel absolvere omnes et singulas personas utriusque sexus dicti Ordinis in dictis partibus ac dispensare cum eis in casibus generali Capitulo ac abbati Cistercii competentibus et reservatis, ac praedictas absolutionem et dispensationem aliis discretis personis Ordinis committere quoties et sicut ei videbitur expedire. Circa institutiones tamen et destitutiones abbatum et abbatissarum, apostolica et Ordinis instituta penitus observentur, ita quod abbatis et abbatissae electio semper, sicut est Ordinis, fiat per conventum, si sint personae quae possint eligere, et confirmatio non fiat per alium quam per illum ad quem spectat secundum praedicti Ordinis instituta ; excepto quod volumus et statuimus quod, auctoritate Capituli generalis, dictus praesidens succedat in locum et potestatem cuiuscumque patris abbatis, qui extra quodlibet de dictis regnis habet quam abbatiam matrem ex diuturna vacatione electio protrahatur, provenianque pericula quae nos volumus evitare, nisi pater abbas alicui commiserit vices suas. Qui commissarius si non legitime processerit, tunc possit suppleri et emendari plene per dictum praesidentem, quidquid ipse pater abbas vel eius commissarius quomodolibet fecerit; electio, confirmaio, institutio et destitutio cuiuscumque personae utriusque sexus in dictis partibus aliter facta contra apostolica et Ordinis instituta ac praesentem diffinitionem ipso facto sit cassa, irrita et inanis. In omnibus autem praeter praemissa, plena auctoritas et potestas sit singulis patribus abbatibus, sicut eis competit, et non plus, nec patres abbates de cetero se valeant aliter intromittere nec disponere de filiabus nisi in quantum eis competit secundum apostolica et dicti Ordinis instituta. Ceterum examinatio, cognitio, conclusio, decisio et executio in quibuscumque causis, litibus, querelis, negotiis, molestiis, iniuriis sive violentiis, praesentibus et futuris, omnium et singularum personarum utriusque sexus in dictis regnis existentium, appellatione remota, spectabit dumtaxat ad praedictos praesidentem et consiliarios, servata tamen abbatibus immediatis ac patribus abbatibus sua iurisdictione, qui omnes et singulas controversias in dictis regnis pro tempore exortas et etiam nunc pendentes auctoritate dicti Capituli sopiant et decidant et mandent executioni, prout eis videbitur, appellatione

remota, invocato quandocumque expedierit auxilio et favore brachii saecularis. Qui praesidens et consiliarii possint libere cum plenaria Ordinis potestate in praemissis omnibus et singulis aliis quibuscumque personis Ordinis committere vices suas, prout et quoties eis videbitur. Appellatio tamen, si ab eis fieri debet, interponetur immediate ad Capitulum generale. Et ne unus aliis per ambitionem dominetur, ut iuxta beatissimi patris nostri Benedicti admonitionem, dum pluribus committetur unus non superbit, volumus et statuimus quod abbas qui semel fuerit praesidens, lapso tempore suae praesidentiae, nullatenus valeat eligi nec assumi quoquomodo ad praedictam praesidentiam nisi post lapsum trium praesidentiarum, ut per generale Capitulum sentiatur, quis eorum rectius ac discretius praedictae praesidentiae officium exerceat, aliter factum penitus irritamus et volumus nullius esse roboris vel momenti. Et ut vepres vitiorum per nostram solertiam, quantum nobis cœlitus donatum est et possumus, ab agris nostris funditus extirpentur, volumus quod praefati praesidens et consiliarii auctoritate Capituli generalis deputent anno quolibet abbates aliquos cum monachis zelantes Ordinis reformationem et animarum salutem, qui per provincias corrigant, emendent ac reforment in capite et in membris, in omnibus et singulis monasteriis, locis et personis utriusque sexus in dictis regnis cum plenaria Ordinis potestate, omnia et singula in spiritualibus et temporalibus, secundum quod dictis visitatoribus expedire videbitur, et ille abusus omnino ab Ordine expellatur, quod aliqui abbates recipiunt monachos alienos absque licentia expressa suorum praelatorum, quod praesens Capitulum interdicit et prohibet sub poena sententiae excommunicationis, quam contrahere vult ipso facto abbates et priores, qui de cetero religiosos receperint, nec similia fiant sine expressa licentia et auctoritate dicti Capituli generalis, et tamdiu sic transeuntes religiosi et alii recipientes excommunicati permaneant, nec possint a dicta sententia excommunicationis absolvi, donec ipsi transeuntes redeant ad priora monasteria, ut pax servetur inter personas Ordinis. Visitatores autem sic deputandi erunt unus abbas et unus monachus discretus in qualibet provincia cum uno famulo; monasterium autem visitandum cuiuscumque sexus non aliis quam tribus providere teneatur, nisi visitatores ad illud monasterium accedentes erint abbates ; omnia autem et singula quae dicti visitatores invenerint et reformaverint in scriptis redacta praedic-

tis praesidenti et consiliariis reddant, ut Capitulum generale demum de omnibus plene valeat informari; volumus autem quod nullus visitator de cetero possit quomodocumque privare aliquem abbatem vel abbatissam ex quacumque causa, sed praecise suspendere, si demerita hoc exposcant, sed privatio semper spectet praecise ad praefatos praesidentem et consiliarios ; privatio aliter facta nullius sit roboris vel momenti, neque alius abbas de cetero absque Capituli generalis expressa licentia valeat ad aliam abbatiam postulari, eligi vel se transferre, sed libere, si voluerit, resignare in manibus dictorum praesidentis et consiliariorum, et ipsi possint auctoritate dicti Capituli generalis resignationem admittere. Pater autem abbas si sit in regno recipiat dictam resignationem sui filii vel eius commissarius, sed si male processerit, possit emendari et revocari per dictum praesidentem quidquid per talem patrem abbatem vel eius commissarium factum fuerit. In qua congregatione dictus praesidens cum consiliariis et cum consilio et approbatione maioris partis ibi existentium possit plene et libere in temporalibus et spiritualibus, simul vel successive illa omnia et singula statuere, disponere et ordinare, quae videbuntur expedire pro felici reformatione Ordinis, dum tamen instituta apostolica ac Ordinis diffinita intacta permaneant, et talia non contrarientur sed sint conformia. Illa autem quae quomodolibet in dicta congregatione statuentur, plenum robur non sortientur,donec per generale Capitulum approbentur et confirmentur. Et quia nostris temporibus intra Ordinem vehementer tepuit studium monachorum, volumus quod praedicti praesidens et consiliarii auctoritate Capituli in plenaria Ordinis potestate possint compellere quoscumque abbates ad mittendum studentes ad collegium Salamanticum Sanctae Crucis, attentis semper facultatibus monachorum et eorum necessitatibus, et quod mittendus sit de habilioribus et honestioribus suae domus, quod collegium istud Capitulum generale suscipit, approbat et incorporat intra dictum Ordinem, ut sit unum de principalibus secundum Benedicti XII apostolica statuta, ad quod manutenendum et disponendum, construendum et dilatandum, et ei redditus aliquos assignandum pro officinarum constructione diligenter intendant et operam exhibeant praefati praesidens, consiliarii et dicta congregatio ; medio autem temporis solutae congregationis usquequo alius praesidens in alia congregatione anni sequentis, ut praemittitur, eligatur et habeat

auctoritate Capituli generalis totam et plenariam potestatem in omnibus et singulis personis utriusque sexus omnium et singulorum monasteriorum et bonorum et personarum eorum, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, in dictis regnis sicut ipsum Capitulum generale. Licentiam autem commutationis et alienationis quorumdam bonorum temporalium in dictorum regnorum monasteriis praecise sibi reservat Capitulum generale et quod nullus alius se valeat intromittere, sed praefatus praesidens nihil penitus possit facere, disponere, ordinare, praecipere vel mandare absque consilio et expresso consensu duorum dictorum consiliariorum, quos sibi dicta congregatio deputaverit, quilibet autem dictorum duorum consiliariorum sic deputatorum possit libere alteri consocio vices suas plene in totum vel in parte committere, et ad se revocare quandocumque voluerit, sicut sibi videbitur expedire. Omnes[f] quoque et singulas causas, lites, querelas, negotia et facta decidere, concludere et diffinire ac executioni demandare, cum invocatione brachii saecularis, ac institutio, destitutio, correctio, reformatio ac omnia alia et singula disponere, decidere ac diffinire in plenaria Ordinis potestate, ad ipsum praesidentem cum dictorum deputatorum assensu spectet, ut praemittitur. Volumus autem ad manum tenendum et exsequendum omnia et singula supradicta quae venerabilis vir, s. th. pr., frater Martinus de Vargas, abbas reformator monasterii Sanctae Mariae de Monte Syon, Ordinis nostri, prope Toletum, sit auctoritate Capituli generalis quoad vixerit et voluerit, semper immutabiliter unus de dictis sex consiliariis, ac medio temporis unus de duobus deputandis dicti praesidentis quem ex nunc dictum generale Capitulum deputat ad praemissa, nec valeat praefatus magister cuiuscumque alterius auctoritate mutari, impediri vel prohiberi. Et ut autem praedicta reformatio conse-

---

[f] *Sive ante, sive post hanc* § Omnes quoque *inserenda est* § *sequens* Praedictum quoque, *quae est quasi errans apud L*³, *et de qua P*² *indicat errorem transcriptoris.*

Praedictum quoque Capitulum generale penitus reprobat abusum illarum partium, quod nonnulli abbates habent bona distincta a mensa conventus, et disponit et praecipit quod de cetero omnia sint communia, sicut ex sacra regula et sanctorum patrum institutis, dictus Ordo sanctissime est fundatus, et quod similia nullatenus de cetero ab abbatibus et aliis personis Ordinis nostri permittantur, et dicti visitatores talia funditus extirpent et etiam provideant, quod abbates et alii religiosi non incedant publice sine cucullis, vel abbates sine cappis·

quatur effectum, et ne a capite membra recedant, quod esset corpus mysticum huius sacrae religionis culpabiliter laniare, volumus et statuimus et praecipimus auctoritate praesentis Capituli generalis, quod de cetero expensis monasteriorum utriusque sexus dictorum regnorum teneantur praedicti praesides et deputati mittere anno quolibet ad Capitulum generale istius sacri monasterii, quod est caput et fons totius dicti Ordinis unum abbatem et unum monachum de regno Portugalliae, et alium abbatem et monachum de regno Castellae et Legionis, ac alium abbatem et monachum de Gallecia, qui erunt procuratores dictae congregationis venientes cum suis famulis necessariis, cum omnibus contributionibus, ordinationibus, relationibus et processibus, et aliis quae anno illo in praedictis regnis per congregationem praefatam ac praedictos praesidentem et consiliarios acta fuerunt, ut per Capitulum generale de praemissis plenarie informatum approbentur vel infirmentur. Expensae autem dictis solis abbatibus et monachis et famulis praemissis competentes taxentur et ministrentur, et non plus quam venientes teneant secum afferre et presentare generali Capitulo omnes et singulas contributiones omnium monasteriorum dicti Ordinis impositas et imponendas. Denique ut praemissa in omnibus et singulis, ut praemittitur, plenum roboris consequentur effectum, auctoritate Capituli generalis in plenaria totius Ordinis potestate, omnia et singula supradicta concedimus, disponimus, firmamus ac statuimus et irrevocabiliter diffinimus futuris temporibus ab omnibus et singulis dicti Ordinis utriusque sexus personis immutabiliter observanda. Et ad praemissorum corroborationem et faciliorem executionem, auctoritate praesentis Capituli in plenaria dicti Ordinis potestate revocamus, cassamus et annullamus et irritamus omnes et quascumque commissiones et provisiones quomodocumque et qualitercumque hactenus quibuscumque personis Ordinis super quacumque causa, re et negotio ab ipso Capitulo vel aliis emanatis et factis in praefatis regnis. Denique considerantes solerter guerras fere per totum mundum vigentes et mundi pericula, misericorditer concedimus ac dispensamus auctoritate dicti Capituli generalis quod deinceps quicumque abbates praesentes et futuri in dictis regnis non veniant ad Capitulum generale, nisi fuerint vocati vel citati personaliter, specialiter et expresse ; et eos omnes et singulos auctoritate Capituli absolvimus ab omnibus et singulis sententiis et poenis quas quomodo-

cumque hactenus incurrerint non veniendo, prout tenebantur. Omnibus igitur et singulis monasteriorum et aliorum locorum conventualium utriusque sexus, abbatibus, abbatissis, prioribus, monachis, ceterisque personis dicti Ordinis in dictis regnis cuiuscumque status, gradus, conditionis et dignitatis existant, praesentibus et futuris, in virtute sanctae obedientiae, et sub sententiae excommunicationis poena iniungentes praecipimus, quatinus omnia et singula supradicta observent integre cum effectu, ac plenarie obediant dicto Capitulo generali, ac diffinitioni praesenti, necnon supradictis praesidenti, consiliariis et congregationi praefatae, si Dei et Ordinis volunt effugere ultionem condignam ; ceteris omnibus et singulis Ordinis ac apostolicis institutis in suo robore permansuris.

Datum sub sigillo Diffinitorum, anno, loco, et tempore supradictis.

60. Capitulum generale in Basilea tempore concilii celebratum, ad quod abbas Novalis Sanctae Mariae cum quibusdam aliis abbatibus missus est.

1439

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono, statuta sunt haec apud Cistercium in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1. Generale Capitulum fide dignis relatibus plenarie certificatum et informatum, quod tractatus et cuncta quae continentur in litteris quibus haec praesens diffinitio annectitur, utilitati non modicae profutura et honori ecclesiae et monasterio Quinciaci impraesentiarum sunt et absque ambiguitate quavis vel hesitatione permanebunt et erunt in futurum, easdem litteras et quae in eis continentur, exarantur et scribuntur, ratificat et benigniter confirmat et approbat.

2. Cum fratribus Ioanne de Balneolo et Iacobo de Colomeyo,

1439. *Fontes* : L^3 : 1-101 ; *M* : 11, 21, 26, 27, 75, 81, 82, 83, 88, 93, 95, 96, 97, 100 ; P^2 : 11, 21, 26, 27, 75, 81-83, 88-91, 95-97, 100, 102 ; *W* : 75 *abbrev.*
[a] *Titulus apud* L^3.

monachis de Fonteneto, qui spatio fere trium mensium, habitu regulari derelicto, apostataverunt in saeculo ; et quia regressi ad monasterium ipsius Fonteneti poenitentiam sibi propter hoc iniunctam humiliter et devote peregerunt, generale Capitulum, ut ad omnes Ordinis actus legitimos, abbatiali dignitate tantummodo seclusa, admittantur dispensat benigniter.

3. Litteras, quibus haec nostra praesens diffinitio est annexa de admortizatione Guillelmi dicti Caponea, quae frater Ioannes de Sancta Sabina dudum abbas monasterii de Longovado affranchizavit sunt fere nunc viginti sex anni, generale Capitulum, quia fide digno relatu clare percepit et comperit hoc ad maximum et perpetuum fore profuturum praedicti de Longovado monasterii, et tenore huiusmodi diffinitionis approbat, ratificat et benigniter confirmat. Cum fratre Petri Goret, monacho monasterii de Camberone, abbate dicti loci requirente, qui frater Petrus pro aliquo defectu positus in carcerem et ab illo exiens perrexit ad saeculum, ubi spatio fere dimidii anni apostatando et habitu regulari derelicto continuo permansit, generale Capitulum misericorditer dispensat ut, praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis actus legitimos, abbatiatu secluso, admittatur benigniter, dum tamen poenitentiam propter hoc iuxta Ordinis statuta humiliter peregerit condignam.

4. Abbatibus monasteriorum de Bonarequie et de Coetmeloyn et eorum cuilibet in solidum praecipiendo committit generale Capitulum, cum potestate commitendi, quatinus ipsi duo vel eorum alter, aut deputandi vel deputandus per eosdem vel eorum alterum, ut quantocius fratrem Guillelmum Tranchet quondam abbatem monasterii de Langonet, qui ob sua demerita et fore facta depositus fuit, bis excommunicatus, aggravatus et reaggravatus, qui huiusmodi sententias induratus parvipendens in sua semper malitia remanet et perdurat, excommunicatum, aggravatum et reaggravatum, ubicumque denuntient et promulgent, ipsumque capiant vel capi faciant et carceribus mancipari usque ad congruam satisfactionem, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

5. Abbatissa et conventu monasterii monialium de Braella humillime precantibus, cum sorore Ioanna de Ramfliet quae humani generis instigante inimico taliter de contagione carnis et in tantum convicta est quod inde puerperium subsecutum est, in praedicti de Braella monasterii vituperium et dedecus, nihilo-

minus quia ad se rediens, corde contrita et valde compuncta, hoc scelus amare deflet et plangit, generale Capitulum dispensat benigniter et misericorditer, ut ad omnes Ordinis actus, voces, gradus, officia, administrationes, dum tamen congruam super hoc secundum Ordinis statuta egerit poenitentiam, promoveri valeat pariter et assumi.

6. Electionem, confirmationem et installationem de persona fratris Henrici Knakenhotrez in monasterio de Colbatz per abbatem monasterii de Dobran, nostri Cisterciensis Ordinis, Treconiensis [? *Sverinensis*] dioecesis, virtute et auctoritate Capituli generalis nostri praedicti Cisterciensis Ordinis, praesentibus in Christo venerabili Bernardo in Dargum et Ioanne in Novo campo monasteriorum abbatibus, die Sancti Egidii, quae est prima die septembris anni 1438, factas et solemniter celebratas, praesens generale Capitulum gratas habens et ratas confirmat et benigniter approbat.

7. Litteras, quibus nostra praesens diffinitio annectitur, quia relatu abbatis de Claritate qui dictarum litterarum onus, ut ipsas visitaret, habuit, luculenter comperimus totum earumdem tenorem, et quae in eis exarantur et continentur, tam in praesentiarum quam futuris temporibus sunt, erunt, ad grande et immensum profuturum monasterii de Chassenia, quacumque hesitatione retroacta, generale Capitulum ratificando confirmat benigniter et approbat.

8. Reformationem monasteriorium de Mansiade, de Valle Benedicta et de Bellacumba et omnium aliorum monasteriorum ei immediate et mediate subiectorum abbati de Bonavalle Ruthenensi, s. th. pr., committit generale Capitulum praecipiens eidem, quatinus ad praedicta monasteria quantocius accedens personaliter adiuncto secum abbate Bonaevallis Viennensis cui dicta monasteria tam mediate quam immediate sunt subiecta, in eisdem visitet, corrigat, reformet, instituat et destituat, tam spiritualiter quam temporaliter, et tam in capite quam in membris, cunctaque secundum Deum, rectam conscientiam ac Ordinis instituta, visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda seu rationabiliter destituenda repererit in eisdem.

9. Attentis consideratis et diligenter inspectis litteris quibus nostra praesens diffinitio annectitur, quia permaximae utilitati, profiguo et honori monasterii Bonaevallis Viennensis, quae continentur et scribuntur in eisdem oculatim fore videntur et cons-

piciuntur, easdem litteras et totum ipsarum tenorem generale Capitulum gratanter approbat, ratificat et ex certa scientia benigniter confirmat.

10. Electionem, confirmationem et installationem de persona fratris Rudolphi Gôtzoms de Hagneya in monasterio Novicastri, per abbatem de Luzela, nostri Cisterciensis Ordinis, Basileensis dioecesis, patrem abbatem et visitatorem praedicti monasterii Novicastri eiusdem Cisterciensis Ordinis, Argentinensis dioesis, praesentibus fratribus Rimbeldo abbate de Sturtzelbrunns ipsius Cisterciensis Ordinis, Metensis dioecesis, et Iohanne de Bragella notarii reverendissimi in Christo patris domini abbatis Cisterciensis, die mercurii 13 mensis maii anni 1439 factas et solemniter celebratas, generale praesens Capitulum gratas habens et ratas confirmat benigniter, ratificat et approbat.

11. Abbatibus de Claritate et de Campania et eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Loco Nostrae Dominae, quantocius commode poterunt, personaliter accedentes ibidem inquirant et diligenter scrutentur an resignatio sive renuntiatio vel cessio ipsius monasterii, quam intendit facere soror Margaretha de Clinay [b] abbatissa dicti monasterii, in manus sororis Ludovicae de Clinay [b] dicti monasterii monialis et non abbatissae [c], eodem monasterio Loci Nostrae Dominae profutura fuerit vel utilis. Et si ipsam resignationem sive renuntiationem aut cessionem talem fore repererint vel alter eorum repererit, ipsam approbent, ratificent et confirment, in ipsius Capituli generalis virtute et plenaria potestate, servatis in omnibus statutis et ordinationibus Ordinis nostri.

12. Electionem, confirmationem et installationem de persona fratris Guidonis Veau in monasterio de Eleemosina, nostri Cisterciensis Ordinis, Aurelianensis dioecesis, per abbatem de Curia Dei, in hac parte commissarium deputatum per reverendissimum in Christo patrem dominum Cistercii, patrem abbatem et visitatorem immediatum praedicti de Eleemosina monasterii, die 22 mensis martii 1438 factas et solemniter celebratas, *etc. ut supra.*

13. Abbatibus de Fonteneto, de Quinciaco, de Rigniaco, de Ioyaco, de Valle Beatae Mariae et de Caroliloco et eorum cuili-

[b] Charnay : L^3. [c] non alias : MP^2.

bet in solidum committit generale Capitulum quatinus omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas utriusque sexus, quas repererint vel alter eorum repererit fore obligatas legitime et efficaciter teneri, in litteris aut alias quocumque modo vel quacumque de causa, domino Pontigniaci et suo monasterio et conventui in aliquibus pecuniarum summis... *etc. ut in forma consueta.*

14. Ad idem committitur abbatibus de Clarofonte, de Crista et de *(locus vacuus)*, pro domino Morimundi.

15. Ad idem committitur abbatibus de Ioyaco, de Regalimonte et de Vallibus Sernay, pro abbate Vallis Beatae Mariae.

16. Ad idem committitur abbatibus de Fonteneto, de Rigniaco et de Theoloco, pro monasterio Quinciaci.

17. Electionem, confirmationem et installationem de persona fratris Galteri in monasterio Boniradii per dominum Pontigniaci, patrem abbatem illius Boniradii monasterii factas et solemniter celebratas,... *etc. ut supra.*

18. Abbatibus monasteriorum de Bellavalle Bisuntinensi, de Fonteneto, de Bonavalle Viennensi, de Chassania et de Campania praecipitur et mandatur, tam per dominum Cistercii quam per Capitulum generale, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus ipsorum quilibet infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum, ad studium Parisiense cum debitis provisionibus unum scolarem mittat et destinet ; alioquin dicto Omnium Sanctorum elapso festo, nisi, quod absit, fecerint et debite compleverint quod eis praecipitur et mandatur, praedicti dominus Cistercii et Capitulum generale ex nunc pro tunc et ex tunc pro nunc excommunicationis sententiam promulgando fulminant tenore praesentium, in eosdem vel eorum quemlibet minime quod dictum est adimplentem.

19. Requirentibus instanter et precantibus magnificis et potentibus Domino Antonio de Vegeyo et sua coniuge, necnon abbatissa monasterii Bellimontis Lingonensis dioecesis et suis parentibus et monialibus praedicti Bellimontis monasterii, soror Ioanna de Thoraice, ipsius monasterii monialis, quae, proh dolor ! in permaximum dedecus, vituperamen nostri Cisterciensis Ordinis, in eodem Bellimontis monasterio tanquam meretrix publica et enorme scortum ducere comprobatur, et a tota patriae plebe ita fere dignoscitur, generale Capitulum, attentis clamoribus tantae meretricis, praecipit et mandat in virtute salutaris obedien-

tiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quam ex nunc pro tunc et ex tunc pro nunc sororem Iohannam promulgando fulminat, nisi fecerit quod mandat quatinus infra mensem post receptionem sive notificationem praesentis diffinitionis, in monasterio monialium de Benedicta Valle se praesentet personaliter inibi commorans et permanens continue, quousque idem Capitulum de ipsa secus decreverit ordinandum; insuper sub praedictis et consimilibus poenis praefatum Capitulum mandat et praecipit abbatissae praedictae Benedictae Vallis monasterii, quatinus huiusmodi sororem Ioannam suo conventui adiungendo recipiat et eidem ministret, sicut uni de suis monialibus.

20. Cum fratre Totosancto sic nuncupato, monacho monasterii de Voto, qui, iam diu est, ut puta sunt decem anni, de contagio carnis convictus fuit super quod, quia secundum Ordinis statuta debite punitus fuit, poenitentiamque propter hoc sibi iniunctam humiliter et devote peregit, generale Capitulum dispensat, ut ad omnes Ordinis legitimos actus, voces, gradus, administrationes et dignitates, si ita, ut praemittitur, poenitentiam secundum Ordinis statuta humiliter peregerit, benigniter admitti possit pariter et assumi.

21. Super uniformitate habituum nostri Cisterciensis Ordinis, ut puta in cucullis, cappis, scapularibus, tunicis et aliis huiusmodi, tam in colore quam in forma, vult, praecipit et mandat praesens generale Capitulum universis abbatibus, monachis quibuscumque ac aliis personis regularibus praedicti nostri Cisterciensis Ordinis in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus unitatem huiusmodi habituum, tam in colore quam in forma, ut ab antiquo in Cistercio consuetum est, custodiant et observent taliter quod nil appareat in eis quod possit offendere intuentes.

22. Generale Capitulum praecipit et mandat abbatibus de Bonarequie, de Coetmaloen, de Langonio et fratri Ioanni Gullonis, et cuilibet eorum, quatinus quantocius commode poterint ad monasterium de Lanvaux personaliter accedentes, census, redditus et alia mobilia ipsius monasterii sequestrent in manibus aliquorum de conventu per eos ordinandorum, qui necessaria habeant ministrare ipsi conventui, inhibentes sub excommunicationis latae sententiae poena fratribus Guillelmo de Calguien et Ioanne Carne, contendentibus in diversis curiis super dignitate abbatiali saepe dicti

monasterii, audeant quocumquemodo se intromittere de receptis seu gubernatione et administratione, quousque alter eorum super eorum contentionibus iustitiae complementum fuerit assecutus. Nihilominus sub istis poenis inhibendo omnibus officiariis et receptoribus, debitoribus et hominibus ipsius monasterii, ne super dictis contentionibus, durante eorum contentione et lite, aliquid administrare sive dare praesumant.

23. Eisdem abbatibus et eorum collegae praecipit modo quo supra generale Capitulum, quatinus vocatis vocandis super moribus et conversatione fratris Ioannis Carne diligentem faciant examinationem et ubi criminosus per testes sufficientes repertus fuerit, ipsum puniant secundum quod statuta Ordinis exigunt, ipsum inhabilem ad omnem dignitatem Ordinis declarandum, eidemque de prosecutione monasterii de Lanvaux silentium imponendo, dum tamen sua merita hoc requisierint.

24. Universis abbatibus nostri Cisterciensis Ordinis mandat et praecipit generale Capitulum, quatinus Ioannem de Melonis a suo patre abbate denuntiatum excommunicatum, aggravatum et reaggravatum, et nihilominus in sua malitia semper induratum, cum expensis proprii abbatis capi per se vel per suos faciant et carceribus mancipari, usque ad condignam suorum fore factorum satisfactionem. Quia frater Ioannes de Sandricuria abbas monasterii de Bullione citatus et monitus fuit legitime ad comparandum in praesenti Capitulo generali, responsurus personaliter super certis criminibus et scandalis de quibus fuerat et erat informatus, visurusque procedere contra ipsum super praemissis et aliis occurentibus, prout iustitia et Ordinis statuta suaderent et in eodem comparere contempsit nec se sufficienter aut legitime excusavit. Idcirco propter contumaciam praesens generale Capitulum ipsum reputavit et reputat notorie contumacem. Et propter ipsius contumaciam, rebellionem et inobedientiam ipsum iudicat fore excommunicandum et excommunicat, ac per omnia Ordinis monasteria et alia loca de quibus expedire videbitur per patrem abbatem dicti monasterii, seu deputandum aut deputandos per ipsum, mandat excommunicatum publicare et denuntiari. Cum autem dictus frater Ioannes de Sandricuria abbas praedicti monasterii de Bullione per informationem super diversis criminibus, de quibus fuerit accusatus legitime, factam, fuit repertus convictus de contagio carnis, dilapidatione sui monasterii et aliis enormibus excessibus, idcirco idem

Capitulum, Christi nomine invocato, iudicavit ipsum fore deponendum et destituendum, ipsumque deponit et destituit a statu et dignitate abbatiali, districteque praecipiens et mandans domino Claraevallis patri abbati dicti monasterii de Bullione, quatinus, quibuscumque dilationibus postpositis, eidem monasterio de Bullione de abbate sufficienti et idoneo provideat, ipsumque fratrem Ioannem de Sandricuria secundum Ordinis statuta punire et corrigere non omittat, iuxta suorum exigentiam delictorum.

25. Quia frater Ioannes de Lemez, monachus monasterii Montis Sanctae Mariae per generale Capitulum dudum excommunicatus, ad comparendum in proximo Capitulo generali legitime citatus fuit, responsurus ad ea, quae in materiis fidei et aliis occurrentibus obiicerentur sibi, in eodem Capitulo comparere per se vel alium damnabiliter contempsit. Idcirco praesens Capitulum ipsum merito reputavit et reputat contumacem, et propter ipsius contumaciam, rebellionem et inobedientiam ipsum iam excommunicatum rursus excommunicat, aggravat et reaggravat, ipsumque ab omnibus et singulis personis Ordinis tanquam excommunicatum et suspectum de fide praecipit et mandat evitari, maxime praedicti monasterii Montis Sanctae Mariae quibuscumque personis districte inhibendo ne quomodocumque cum praedicto fratre Ioanne Lemez habeat participationem, praeterquam in casibus a iure permissis donec super praedictis fuerit legitime purgatus et absolutionis beneficium meruerit obtinere. Abbati vero monasterii Bonimontis, s. th. pr., idem Capitulum districte praecipit, ut praesentem in praedicto monasterio Montis Sanctae Mariae publicet et promulguet praedictumque fratrem Ioannem Lemez in omnibus monasteriis per quae transierit, et aliis locis de quibus sibi expedire videbitur, faciet et procuret excommunicatum et suspectum in fide denuntiari.

DIFFINITIONES GENERALES

26. Cum omnes fere Ordinis abbates supra modum aegre ferant et conquerantur quia ipsos ad generale Capitulum accedere oportet tempore quo circa messes, vindemias, terrarum seminationes, ceterorumque bonorum, quibus per totum annum vivitur, collectionem vacare debent, ex hoc quod tempus illud, quo generale Capi-

tulum celebratur ad ipsius celebrationem videretur incongruum, quia regulariter eodem tempore quasi per totum mundum pestes vigent et guerrae, nec ullo modo securum est quibuscumque personis, ecclesiasticis praesertim religiosis, tunc pervagare campos et in longinquas regiones proficisci, provide praesens Capitulum generale indemnitati monasteriorum Ordinis ac paci et tranquillitati abbatum et personarum eorumdem salubriter volens providere, habita per ipsum Capitulum super praemissis rationibus et causis pro parte dictorum abbatum seriose propositis matura deliberatione, et tandem viso, quod si in tribus diebus Rogationum de cetero generale Capitulum celebretur, nulla praedictis abbatibus manebit excusationis occasio quominus ad ipsum Capitulum possint accedere, quia infallibiliter dies Rogationum tempore semper accidunt quo dies sunt prolixi, et ad equitandum vel ambulandum, cum tunc neque calores neque frigora excessive vigeant, valde proprii, de festo quoque Paschae omnes de quibuscumque nationibus sua monasteria exeuntes possunt infra praedictos Rogationum dies Cistercium accedere et ante collectionem frugum ad sua monasteria reverti et ibi esse, tuncque nondum incipiant furere pestes et terrae sementibus adhuc immaturis, tempus nondum advenit quo solent reges et ceteri armati ad bella procedere, statuit, ordinat et diffinit, quod ex nunc in antea tempus et terminus celebrandi annuatim Capitulum generale apud Cistercium mutetur et transferatur ad praedictos dies Rogationum, ipsosque ex nunc ad eosdem terminum et tempus transfert et mutat, ita videlicet quod iuxta Cartam charitatis, et alia tam apostolica quam regularia Ordinis statuta, annuatim apud Cistercium indefectibiliter celebrabitur, sicut hactenus celebratum est Capitulum generale ad quod iuxta praedictorum statutorum tenorem, omnes Ordinis abbates venire tenebuntur. Sed prima dies ipsius Capituli, quae solebat esse 12 dies mensis septembris, erit prima dies Rogationum, in quocumque mense huiusmodi dies Rogationum acciderint et illa prima die erunt duae missae in quolibet Ordinis conventu, quarum prima erit de ieiunio et secunda de Spiritu Sancto pro ingressu Capituli, et consequenter post finem tricenarium Capituli celebrabitur, ceteraque omnia observabuntur quae hactenus post finem ipsius Capituli fuerunt observata. Omnibus et singulis abbatibus Ordinis idem praesens Capitulum generale sub inobedientiae coeterisque poenis adversus non ve-

nientes ad generale Capitulum in praedictis statutis notorie promulgatis districte praecipit et mandat, quatinus quibuscumque concessionibus aut gratiis de non veniendo ad Capitulum generale ipsius aut alicui ipsorum concessis, quas ex nunc idem Capitulum generale ex certa scientia cassat, revocat et annullat, pro die Rogationum proxime futurum in Capitulo generali tunc apud Cistercium celebrando personaliter compareant seu impedimento *in huiusmodi statutis declarato praepediti*, ad ipsum sufficienter et legitime mittant laboraturi ad necessariam ipsius Ordinis reformationem fixamque accepturi conclusionem super modo defendendi privilegia, libertates et iura ipsius Ordinis quia, proh dolor! miserabiliter ubique infringuntur et lamentabili subiacent desolationi.

27. Licet nonnullis diversarum regionum et provinciarum per Capitulum generale concessum existat, quod semel in anno in aliquo Ordinis monasterio, de quo ipsis expedire videbitur simul congregentur, tractaturi ad invicem de reformatione suorum monasteriorum et personarum eorumdem, ac aliis omnibus huiusmodi monasteriorum et personarum prosperitatem concernentibus et honorem, cum hac tamen conditione quod tractanda, avisanda per ipsos nullum robur habeant firmitatis donec generale Capitulum per aliquos ex huiusmodi abbatibus fuerit praesentata, et per ipsum Capitulum approbata vel reprobata, nihilominus Capitulum generale nullatenus intendit quod tales congregationes particulares, quovismodo capitulum provinciale seu particulare nominentur, ad evitandum schismata et contentiones, quae ex huiusmodi nominatione tandem possent suboriri, sed sufficit quod congregationes nominentur et aliter idem Capitulum districte prohibet ipsas nominari.

28. Abbatem monasterii Bonaevallis Ruthenensis, s. th. pr., necnon fratrem Ioannem Graillionis monachum monasterii de Bonarequie, s. th. pr., seu casu quo praedicti hoc munus assumere non possent aut vellent, aliquos alios abbates vel monachos, de quibus domino Cistercii videbitur expedire, praesens generale Capitulum deputat pro accedendo ad patres linguae occitanae, regna Arragoniae et Navarrae, Castellae, Legionis et Portugalliae reformandoque et in plenaria Ordinis potestate omnia et singula quae in monasteriis et locis Ordinis dictarum partium eorumdem, erunt reformanda etc., cum clausulis opportunis, etc.

29. Abbati monasterii Bonaevallis Ruthenensis, s. th. pr.,

generale Capitulum districte praecipit et mandat, quatinus diffinitionem in praesenti Capitulo editam super mutatione temporis celebrationis Capituli generalis, per se vel alium seu alios ad hoc sufficientem vel sufficientes et idoneos, infra primam diem mensis decembris proxime futuri intimet et denuntiet omnibus et singulis abbatibus et abbatissis monasteriorum in tota lingua occitana et partibus circumadiacentibus consistentium, ipsosque abbates et quemlibet ipsorum peremptorie citet ad comparendum personaliter in Capitulo generali apud Cistercium prima die Rogationum proxime futurarum celebrando, et de omnibus quae fecerit in praemissis, in praefato sequenti Capitulo generali fidelem et integram in ipso facere relationem non omittat.

30. Idem committitur abbati monasterii Sanctarum Crucium, s. th. pr., pro abbatibus et abbatissis regnorum Arragoniae et Navarrae.

31. Idem committitur abbati de Palaceolis, etc., pro abbatibus et abbatissis regnorum Castellae, Legionis et Portugalliae. Idem abbati de *(locus vacnus)* in provincia Eboracensi. Idem abbati de Margan in Wallia, Hibernia et partibus circumadiacentibus.

32. Idem committitur abbati de Meleriis [*Melrosa*] et de Cupro et cuilibet eorum pro regno Scotiae.

33. Idem abbati de Wanbua [*Wardona*] in provincia Cantuariensi.

34. Idem committitur abbati de Mulbrunno pro abbatibus et abbatissis in tota provincia Maguntina.

35. Idem committitur abbati de Fonte salutis pro abbatibus et abbatissis in partibus Bavariae superioris et inferioris ac Franconiae.

36. Idem committitur abbati Sanctae Crucis in Austria pro abbatibus et abbatissis regni Hungariae et Bohemiae, necnon in ducatu Austriae et marchionatu Moraviae.

37. Idem committitur abbati de Claratumba pro abbatibus et abbatissis Regni Poloniae et totius Prussiae.

38. Idem committitur abbati de Lapide Michaelis pro abbatibus et abbatissis provinciae Magdeburgensis et partium circumadiacentium.

39. Idem committitur abbatibus de Heisterbach et de Campo et cuilibet eorum, pro abbatibus et abbatissis monasteriorum provinciae Coloniensis praesertim usque ad partes Stagnales.

40. Idem abbati de Doberan pro abbatibus et abbatissis partium Stagnalium, necnon regnorum Daniae et Norwegiae et partium circumiadcentium.

41. Idem committitur abbati Sancti Pantaleonis et procuratori generali Ordinis in Curia romana et cuilibet ipsorum, pro omnibus et singulis abbatibus et abbatissis totius Italicae nationis.

42. Idem committitur abbati Bonimontis, s. th. pr., pro omnibus abbatibus et abbatissis ducatus Sabaudiae.

43. Idem committitur abbati de Balerna, s. th. pr., pro omnibus abbatibus et abbatissis comitatus Burgundiae.

44. Idem committitur abbati de Clarofonte pro omnibus abbatibus et abbatissis in ducatibus Lotharingiae et Barrae constitutis.

45. Idem committitur abbati de Fonteneto pro omnibus abbatibus et abbatissis in toto ducatu Burgundiae constitutis.

46. Idem committitur abbati de Valle lucenti pro omnibus abbatibus et abbatissis in tota provincia Senonensi constitutis.

47. Idem committitur abbati de Valle Nostrae Dominae, s. th. pr., pro omnibus abbatibus et abbatissis in tota provincia Provinciae constitutis.

48. Idem committitur abbati de Savigniaco pro provincia Rothomagensi.

49. Idem abbati de Campania pro provincia Turonensi.

50. Idem abbati de Bonavalle Pictaviensi pro provincia Auxitanensi, Bituricensi, Burdegalensi et partibus Lemovicensibus ac aliis circumadiacentibus.

51. Pro abbate de Buzayo in ducatu Britanniae.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

52. Abbati et conventui monasterii Fontis salutis per generale Capitulum misericorditer conceditur, ut de possessionibus sterilibus et inutilibus, ad suum monasterium pertinentibus, vendere seu alienare possint usque ad valorem centum florenorum Renensium, seu in alias possessiones ipsis utiliores commutare, proviso tamen quod de pecuniis, occasione dictarum possessionum alienandarum recipiendis, nihil prorsus in alios quoscumque usus convertatur praeterquam in aliarum possessionum utiliorum reemptionem [vel] acquisitionem.

53. Ad idem pro abbate et conventu de Mulbruno.

54. Abbatibus [d] monasteriorum Fontis salutis et de Cunililien per generale Capitulum committitur ut [si, sicut] superius legitur, constiterit, super quae idem Capitulum conscientias ipsorum onerat, quod monasteriorum de Ebraco aliquas habeat possessiones steriles et inutiles quae posset in alias utiliores commutari, abbati et conventui eiusdem, auctoritate generalis Capituli conceditur ut se huiusmodi sterilibus et inutilibus usque ad summam centum florenorum renensium in alias utiliores et commodiores valeant commutare.

55. Abbati monasterii Mulbrunensi per Capitulum generale de gratia speciali conceditur, ut super esu carnium suis monachis concedendo facere, disponere, et ordinare possit quidquid pro salute et pace inter eosdem servanda sibi videbitur expedire, diffinitionibus super huiusmodi esu carnium hactenus per generale Capitulum editis non obstantibus quibuscumque.

56. Abbati de Mulbruno per generale Capitulum conceditur, ut possit sibi aliquem eligere confessarium, qui omnes et singulas personas immediate sibi subditas in foro conscientiae absolvere possit ab omnibus et singulis peccatis, casibus et sententiis Capitulo generali specialiter reservatis, possitque sibi eligere, confessorem qui a similibus peccatis et casibus eum absolvat.

57. Ad idem abbati de Salem.

58. Ad idem abbati de Alba.

59. Ad idem abbati de Uterinavalle.

60. Ad idem abbati de Ebrach.

61. Ad idem abbati Sconavia.

62. Ad idem abbati de Novocastro.

63. Ad idem abbati de Castro aquilae.

64. Ad idem abbati de Bebenhusen.

65. Ad idem abbati de Doberan.

66. Ad idem abbati de Rivo Sanctae Mariae.

67. Ad idem abbati de Purocampo.

68. Ad idem abbati de Luzella.

69. Abbati de Bebenhusen per praesens generale Capitulum sub inobedientiae poena inhibitur, ne de cetero, praebendarios, seu qui debeant habere praebendas in suo monasterio, recipiat et admittat.

---

[d] *Totum stat. uncinis inclusum apud* L^3; *cf. infra n*° 71.

70. Capitulum generale sub poenis excommunicationis et depositionis a dignitate abbatiali monet abbatem monasterii de Alderspach, ut abbatem monasterio de Ebraco, patrem suum visitatorem, ad visitandum in dicto monasterio de Alderspach admittat, seu procuret admitti, nec ei praebeat quandoque impedimentum huiusmodi visitationis officium exercendi, nihilominusque citetur per praefatum abbatem de Ebraco ad futurum generale Capitulum, responsurus ad ea quae per promotorem causarum ipsius Capituli sibi tunc obiicientur.

71. Abbatibus de Fonte salutis et de Lankheim per generale Capitulum committitur, quod diligenter inquirant de quadam decima quam abbas et conventus monasterii Ebracensis se dicunt velle emere, necnon de quibusdam possessionibus ipsius ut asserunt quasi infructuosis et inutilibus, quas pro emendo dictam decimam vendere volunt et intendunt, et quaecumque super hiis invenerint sequenti Capitulo generali veraciter renuntiare non omittant, in persona vel per suas patentes litteras, casu quo legitimo praepediti impedimento ad ipsum Capitulum venire non possint.

72. Generale Capitulum committit et districte mandat abbatibus monasteriorum de Alba et de Eberbach, quatinus ad monasteria de Castro aquilae et de Varburg [*Neuburg*], quantocius poterunt, personaliter accedentes diligentem et exactam facere curent informationem de modis conventioribus et utilioribus, quibus eadem monasteria et quodlibet ipsorum relevari possent ab importabilibus et excessivis debitorum oneribus, quibus ut dicitur, enormiter gravantur et opprimuntur, necnon de causis et mediis, quibus eadem monasteria ad tantam venerint desolationem, in sequenti Capitulo generali de omnibus quae fecerint in praemissis fidelem et plenam in persona faciant relationem, et a praedictis vel per suas patentes litteras casu quo legitimo praepediti impedimento ad ipsum Capitulum venire non possint.

73. Generale Capitulum, compatiens senio et paupertati abbatis monasterii de Brumbach, ipsum absolvat a via Capituli generalis, casu quo ad ipsum immediate nequiverit accedere, super quo conscientia sua oneratur, absolvitque a solutione contributionum per ipsum Capitulum generale imponendarum.

74. Ad idem pro Ugerbourg [*Otterburg*].

75. Si humani generis inimico procurante contingeret, quod absit, inter principes huius saeculi, tam ecclesiasticos quam saecu-

lares, tanta schismatum et divisionum scandala suscitarentur, ut abbates ceterasque Ordinis personas, tam de natione germanica quam gallicana, sub diversis obedientiis vivere et ad tempus remanere oporteret, praesens generale Capitulum providere volens, ut propter quascumque tribulationes et angustias, unitas et charitas Christi, super quibus Ordo fundatus est et usque ad ista tempora feliciter viguit, quovismodo ab eisdem personis separetur seu magis quanto [e] vehementius pro [f] huiusmodi tribulatione vexabuntur, tanto ad praedictam servandam unitatem [g] reducantur animiquiores, statuit, ordinat et diffinit quod in illo casu abbates monasteriorum de Mulbruno, de Fonte salutis et de Sancta Cruce in Austria, qui sunt vel erunt pro tempore, possunt se plenaria Ordinis potestate convocare et congregare in aliquo Ordinis monasterio nationis germanicae, de quo ipsis expedire videbitur, omnes et singulos ipsius Ordinis abbates praedictae nationis, ibidemque ipsis simul congregatis tractare per modum de quo ipsis tribus expedire videbitur, de vitiorum extirpatione et correctione, reformatione morum, ceterisque omnibus et singulis concurrentibus prosperitatem et conservationem monasteriorum Ordinis utriusque sexus in praedicta natione consistentium et personarum eorumdem, singulaque statuere, ordinare et diffinire quae ad supradicta promovenda et attingenda erunt vel esse poterunt accommoda vel opportuna ; proviso tamen quod nihil faciant, statuant aut ordinent quod statutis Ordinis quovismodo deroget aut contrarietur. In confessionibus [h] etiam auditorum, in rehabilitationibus facinorum, ceterisque omnibus et singulis salutem animarum et supradictorum monasteriorum ac personarum eorumdem concernentibus, idem Capitulum generale plenariam ipsis in casu supradicto confert facultatem, districte mandans omnibus et singulis supradictorum monasteriorum abbatibus et abbatissis ac aliis quibuscumque Ordinis regularibus personis praedictae nationis. Item in casu praedicto, praedictis tribus abbatibus et eorum mandatis, necnon personis per ipsos substituendis, tamquam generali Capitulo in praemissis et ea tangentibus pareant humiliter et devote.

76. Abbati monasterii de Mulbruno per generale Capitulum

---

[e] iusto : *L*³. [f] per... tribulationes : *L*³. [g] humilitatem : *MP*²
[h] concessionibus : *MP*².

committitur et districte mandatur, quatinus convocatis secum abbatibus Ordinis provinciae Maguntinae, de quibus sibi expedire videbitur, diligenter requirat de sufficientia quatuor aut sex abbatum magistrorum aptorum ad reformandum monasteria utriusque sexus dictae provinciae, quibus etiam committi possit facultas congregandi quolibet anno abbates sibi proximiores usque ad certum numerum, cum ipsisque simul congregatis tractandi et avisandi de omnibus et singulis reformationem monasteriorum concernentibus in quibus huiusmodi abbates praesident vel praesidebunt et personarum eorumdem, ceteraque faciendi quae auctoritate generalis Capituli ipsis et cuilibet ipsorum ordinabuntur et mandabuntur. Et quidquid super hoc fecerit domino Cisterciensi, quanto celerius poterit, sufficienter et legitime renuntiet ut ipse dominus Cisterciensis supra dictis abbatibus, quos idem abbas de Mulbruno in conscientia sua nominaverit esse aptiores, auctoritate ipsius generalis Capituli conferre valeat officium superintendentum vel reformatorum, prout alias per ipsum Capitulum fuit avisatum et deliberatum.

77. Ordinatio abbatum Ordinis regnorum Arragoniae et Navarrae nuper facta in quadam congregatione per ipsos celebrata, de non mittendo de cetero suos scolares ad alium studium praeterquam ad studium Ilerdense, tamquam irrationabilis ac statutis Ordinis tam apostolicis quam regularibus dissona et contraria, per praesens generale Capitulum reprobatur, cassatur et annullatur, districteque per idem Capitulum eisdem abbatibus inhibetur ne decretum, sicut nec facere possunt nec quamcumque ad hoc habent facultatem, quidquam statuere vel ordinare vel diffinire in quacumque congregatione per ipsos celebranda praesumant, quod statutis Ordinis iam factis aut fiendis quovismodo contravenit et repugnet, sed iusserat ipsos tractare et advisare inter se de extirpatione et correctione vitiorum et peccatorum, ac reformatione morum, secundum Ordinis statuta ipsorumque promotione, quae prosperitatem ac conservationem monasteriorum suorum et personarum eorumdem concernere possunt, quia non fuit nec est intentio generalis Capituli quod quaecumque facultas, praeterquam ad ista, sit aut fuerit eis concessa per quamcumque diffinitionem hactenus editam in favorem ipsorum.

78. Cum abbates Ordinis, qui ad generale Capitulum accedere vel mittere, contributiones ipsis et eorum monasteriis per generale Capitulum impositas solvere, et in studio Parisiensi suos tenere

scolares negligunt seu contemnunt, seu qui duplum expensarum, quas facerent ad ipsum Capitulum generale veniendo, seu in praedicto studio suos scolares [tenendo] minime solvunt, secundum Ordinis tam apostolica quam regularia statuta, notorie sint excommunicationis innodati sententia et a divinis suspensi, necnon si huiusmodi sententiis et poenis ligati se divinis praesumpserint immiscere, ipso facto statu et dignitate abbatiali manifeste privati existant ac aliis gravioribus poenis, illi praecipue qui plusquam per annum in praedictis sordescendo sententiis veniant percellendi, proinde praesens generale Capitulum sufficienter informatum, quod nonnulli ex abbatibus monasteriorum infra scriptorum in praemissis adimplendis negligentes a longaevis temporibus fuerunt et remissi, volensque ipsorum ac suorum subditorum animabus salubriter providere, tantaque scandala in Ordine diutius perpetrari seu continuari nullo modo sustinere volens aut valens, abbatibus... *(locus vacuus)* sub praedictis sententiis et poenis districte praecipit et mandat, quatinus ad eadem monasteria infra scripta et quodlibet ipsorum per se vel alium seu alios ad hoc sufficientem et idoneum seu sufficientes et idoneos, infra XI dies a die qua praesens diffinitio sibi fuerit exhibita computandos, accedat huiusmodi monasteriorum abbates et officiarios quos, praevia informatione debita, invenerit per sufficientes quittantias aut alia legitima documenta contributiones eisdem per generale Capitulum a decem annis citra impositas non solvisse, nisi infra sex dies postquam de huiusmodi contributionum solutione fuerint per ipsum, seu per ipsum deputandum vel deputandos, requisiti, plenam sibi fecerint satisfactionem, confestim ipsos et quemlibet ipsorum secundum praedicta statuta ob defectum solutionis earumdem contributionum notorie excommunicatos in eisdem monasteriis ac aliis locis Ordinis, necnon in civitatibus, oppidis et villis huiusmodi monasterio propinquioribus, prout sibi expedire videbitur, publice promulget et denuntiet, promulgarique et denuntiari faciat excommunicatos ; districte inhibendo omnibus et singulis eorumdem monasteriorum ac aliis quibuscumque Ordinis regularibus personis, en praedictis abbatibus sic excommunicatis ullatenus obediant, seu praeterquam a casibus a iure permissis, quamcumque cum ipsis habeant participationem donec ab huiusmodi excommunicationis sententiis, quarum absolutio soli reverendissimo patri domino Cistercii per sedem Apostolicam specialiter est reservata,

beneficium obtinuerit absolutionis. Si autem praevia informatione debita, idem abbas... *(locus vacuus)* inveniat eosdem abbates non venisse vel misisse quolibet anno praedicti decennii ad generale Capitulum, seu in praedicto Parisiensi studio scolares non tenuisse, sed neque duplum solvisse expensarum, quas fecissent ad ipsum generale Capitulum veniendo, seu in praedicto studio scolares tenendo, seque nihilominus immiscuisse divinis, cum ex hoc notorie sint irregulares effecti, suisque dignitatibus abbatialibus fore privati dignoscantur, eosdem abbates, et quemlibet ipsorum, de praemissis convictos vel convictum, confestim ab omni suorum monasteriorum regimine spirituali et temporali totaliter suspendat, ipsosque et quemlibet ipsorum citet ad proximum generale Capitulum, visuros se privari et destitui suis dignitatibus abbatialibus, atque contra ipsos si sua merita id exegerint, tanquam suspectos in fide et de clavibus rite non curantes, indissimulanter procedi, prout rectae rationis ac Ordinis statuta suadebunt ; huiusmodi monasteria, quorum abbates modo praemisso suspenderit, et suorum monasteriorum administrationem et regimen interim committendo eorumdem monasteriorum prioribus et cellerariis seu personis aliis regularibus, de quibus videbitur expedire, qui de omnibus receptis et expensis eorumdem monasteriorum fidelem, quotiescumque fuerint requisiti, possint reddere rationem. Omnibus autem et singulis praedictorum monasteriorum ac aliis quibuscumque Ordinis subditis regularibus personis, generale Capitulum sub praedictis poenis districte praecipit et mandat, quatenus praefato abbati de... *(locus vacuus)*, necnon per ipsum deputando vel deputandis in praemissis et ea tangentibus diligenter assistant et efficaciter studeant obedire. Cui abbati de... similiter per ipsum generale Capitulum sub eisdem poenis praecipitur, quatinus de omnibus pecuniarum summis, occasione praedictarum contributionum, per se seu per ipsum deputandum vel deputandos recipiendis, ceterisque per ipsum in eisdem praemissis et quolibet ipsorum fiendis, infra festum Purificationis Beatae Virginis proxime futurum, praefato domino Cisterciensi fidelem et integram reddat rationem.

[DIFFINITIONES] SPECIALES.

79. Capitulum generale abbati monasterii de Delberon [*Dobe-*

ran] misericorditer concedit de gratia speciali, ut omnes et singulas personas regulares monasteriorum immediate sibi subditorum, seu quorum reformatio specialiter ei commissa, valeat absolvere ab omnibus et singulis peccatis, casibus et sententiis Capitulo generali specialiter reservatis.

80. Abbati monasterii Sancti Michaelis per generale Capitulum committitur, quatinus si, praevia informatione debita, invenerit monasterium monialium de Waltengerode prope oppidum de Saslate situm, cuius moniales instanter petunt et supplicant incorporari Ordini nostro, pro ipso Ordine fore conveniens et utile, ipsamque incorporationem absque contradictione diocesani seu praeiudicio alterius posse fieri, supra quo conscientia sua expresse oneratur, idem monasterium uniat et incorporet eidem Ordini, servatis quoad hoc in omnibus tam apostolicis quam regularibus ipsius Ordinis statutis et sequenti Capitulo generali de omnibus quae fecerit in praemissis, personaliter seu per suas patentes litteras fidelem et integram non omittat facere relationem.

[DIFFINITIONES] GENERALES

81. Omnibus et singulis Ordinis abbatibus per generale Capitulum conceditur, ut quando festa Sancti Benedicti et Annuntiationis Dominicae feriis sextis in Quadragesima eveniunt, propter reverentiam tantarum solemnitatum possint plura pulmenta et pitantiam abundantiorem suis conventibus ministrare.

82. Cum in electionibus in Ordine fiendis cum omni puritate cordis et absque personarum acceptione debeat procedi, praesens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod de cetero personae in electores vel electrices assumendae, quoties in aliquibus Ordinis monasteriis tam monachorum quam monialium electionem celebrari contigerit, nullatenus secundum antiquitatem gradus vel aetatis, sed potius secundum perfectionem morum honestaeque vitae conversationem, et in utroque regimine experientiam assumantur, et in electores seu electrices nominentur, quia interdum iuniores aetate multis senioribus moribus et scientia inveniuntur praestantiores.

83. Omnes diffinitiones dudum editas super abstinentia, esu carnium tam feriis secundis et quartis ac etiam solemnitatibus, quibus sermones habentur in capitulo quam aliis quibuscumque

modis, generale Capitulum ratificans et approbans districte mandat easdem ab omnibus et singulis regularibus Ordinis personis, et sub poenis in huiusmodi de esu carnium diffinitionibus contentis inviolabiliter observari.

[DIFFINITIONES] SPECIALES.

84. Abbati de Doberan per generale Capitulum committitur, ut si abbates monasterioıum quorum reformatio sibi commissa est, suos scolares ad studium Rostociense propter ipsius studii destructionem mittere et in eodem tenere non possint, quod eisdem abbatibus facultatem concedat huiusmodi per biennium in... *(locus vacuus)* monasteriorum suorum unum magistrum sufficientem et idoneum, ad quod monasterium quilibet praedictorum abbatum unum mittere et tenere scolarem teneantur per praefatum magistrum erudiendum, proviso tamen quod ubi dictum Rostociense studium citius esset reparatum, iidem abbates suos scolares in ipso studio habere et tenere non omittant, specialiter providentes quod ibidem in una domo communi simul morentur ac religiosam et regularem in omnibus ducant conversationem.

85. Ad ampliationem divini cultus, abbati et conventui monasterii de Rivo Sanctae Mariae, qui specialem ad honorandum beatam Catharinam habere dicuntur devotionem, per Capitulum generale eisdem conceditur, ut officium speciale de praedicta sancta in die suae solemnitatis facere possint et decantare.

86. Abbati de Rivo Sanctae Mariae per generale Capitulum misericorditer conceditur, ut omnes et singulas regulares personas sibi immediate subditas absolvere valeat semel in foro conscientiae, ab omnibus peccatis, casibus et sententiis Capitulo generali specialiter reservatis.

87. Ad idem pro abbate monasterii Puricampi.

[DIFFINITIONES] GENERALES.

88. Patribus abbatibus et omnibus Ordinis visitatoribus per generale Capitulum committitur, ut in suis visitationibus numerum evectionum per statuta Ordinis limitatum excedere vel ducere non praesumant, neque ipsis per monasteria visi-

tanda occurantur, nisi iuxta praedictorum statutorum formam et tenorem.

89. Licet nonnullis diversarum regionum et provinciarum personis per Capitulum generale concessum existat, quod semel in anno in aliquo Ordinis monasterio, de quo ipsis expedire videbitur, simul congregentur tractaturi ad invicem de reformatione suorum monasteriorum, et personarum eorumdem ac aliis omnibus huiusmodi monasteriorum, et personarum prosperitatem concernentibus et honorem, cum hac tamen additione, quod tractanda, avisanda per ipsos nullum robur habebunt firmitatis, donec generale Capitulo per aliquos ex huiusmodi abbatibus fuerint praesentata et per ipsum Capitulum approbata vel reprobata ; nihilominus Capitulum generale nullatenus intendit quod tales congregationes particulares quovismodo Capitulum provinciale seu particulare nominentur, ad evitandum schismata et contentiones quae ex huiusmodi nominatione tandem in Ordine possent suboriri, sed sufficit quod congregationes nominentur et aliter idem Capitulum districte prohibet ipsas nominari.

90. Diffinitio per generale Capitulum proxime praeteritum edita, per quam abbatibus regnorum Arragoniae et Navarrae de gratia generali concedebat, quod annis singulis in aliquo Ordinis monasterio praedictorum regnorum, de quo ipsis videbitur expedire, simul possent congregari ad tractandum de reformatione monasteriorum suorum et personarum eorumdem hactenus adiecta ordinatione, quod in dicta congregatione nihil possent statuere, ordinare vel concludere, nisi prius statuenda et concludenda per ipsos generali Capitulo praesentarentur, et per ipsum essent probata vel reprobata, quodque annis singulis duos abbates cum duobus monachis ad generale venirent Capitulum, sibique concludenda et statuenda per ipsos praesentarent, et de contributionibus tam antiquis quam novis per ipsos debitis eodem Capitulo satisfacerent, nullatenus confirmatur, sed ipsius confirmatio suspenditur usque ad sequens Capitulum generale, ad quod praesens Capitulum vult et districte praecipit, quatuor abbates per praedictos abbates mitti, duos videlicet in recompensationem contumaciae et inobedientiae per ipsos isto anno factae, alios vero duos ad exsolvendum debitum, ad quod virtute dictae diffinitionis sunt obligati, alioquin eadem diffinitione praesens generale Capitulum propter negligentiam et defectum praedictorum abbatum expresse cassat, revocat et annullat, omnesque

et singulos abbates antedictos in isto casu expresse citat et citatos denuntiat ad sequens Capitulum generale.

91. Pro regnis Castellae, Legionis et Portugalliae, etc. Diffinitiones Capitulo generali proxime praeterito factas, illa dumtaxat excepta, quae fratri Martino de Vargas pro abbate monasterii Montis Sion se gerenti tradita fuerat, ad portandum ad partes Hispaniae super congregatione abbatum dictarum provinciarum, necnon excepta alia diffinitione in favorem abbatum regni Arragoniae similiter facta, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, praedictas duas diffinitiones nihilominus rursus revocando, cassando et annullando.

92. Licet abbas Populeti pro parte generalis Capituli sub expressis et aliis gravissimis poenis frequenter monitus extiterit, ut ipse qui nunquam fuit aut misit ad generale Capitulum, neque contributiones sibi et suo monasterio per ipsum generale Capitulum impositas solvere curavit, scolaresque in studio Parisiensi iuxta fel. record. domini Benedicti Papae XII ordinationem et limitationem non tenuit aut tenet, duplum expensarum, quas fecisset ad Capitulum ipsum veniendo vel mittendo, huiusmodi scolares in praefato aut alio generali studio tenendo solveret, ac de ipsis iuxta praedicti domini Benedicti statuta plenam faceret satisfactionem, de praedictis quoque contributionibus, quas non solvendo terminis et locis assignatis notorie dignoscitur excommunicationis sententiam incurrisse, ac ipsa innodatum esse similiter Ordini satisfaceret. Quia tamen hoc facere minime curavit aut curat, sed quasi in sua induratus malitia praefato generali Capitulo, necnon statutis Ordinis tam antiquis quam novis temerarie et damnabiliter obedire contemnit, et tanquam membrum aridum et putridum a corpore ipsius Ordinis impudenter se dividere satagit et conatur. Idcirco praesens generale Capitulum ad eiusdem abbatis ausus sacrilegos et intolerabiles reprimendos assurgens, Christi nomine invocato, eumdem abbatem notorie excommunicatum, rursus propter suam contumaciam, rebellionem et inobedientiam excommunicat, excommunicatumque denuntiat et promulgat, et ab omnibus et singulis Ordinis, donec ab ipso Capitulo benefecium obtinuerit absolutionis, districte praecipit vitari. Abbati monasterii Fontisfrigidi, seu in defectu ipsius, abbati Sanctarum Crucium districte iniungens et mandans idem Capitulum, quatinus praefatum abbatem Populeti tam in suo quam in ceteris Ordinis monasteriis, ac civi-

tatibus, oppidis et villis et locis eidem monasterio propinquis faciant et procurent excommunicatum denuntiari, ipsum quoque citent ad comparendum personaliter, infra tres menses a die qua praesentem sibi exhibuerint commissionem computandos, coram domino Firmitatis, Cabilonensis dioecesis, personaliterque responsurus tam ad ea quae in materiis fidei, quam in ceteris quae per promotorem causarum ipsius Capituli seu procuratorem Ordinis tunc obiicientur, sibi visurusque contra ipsum procedi ac depositionis a statu et dignitate abbatiali seu alterius generis poenas iuxta suorum exigentiam delictorum, ac prout dictamen rectae rationis et praefati Ordinis statuta suadebunt, praefatum dominum Firmitatis de die per ipsos eidem abbati Populeti praefigenda et assignanda per suas patentes litteras et certum nuntium infra huiusmodi dies legitime certificandum. Cui domino Firmitatis per generale Capitulum in plenaria Ordinis potestate committitur, et sub divini attestatione iudicii districte mandatur, quatinus auditis omnibus et singulis per eosdem promotorem seu procuratorem adversus dictum abbatem proponendis et producendis, ipsoque abbate legitime audito tale ipsis et cuilibet ipsorum iustitiae complementum ministret, quod ex hoc apud Deum et homines fructuosam mereatur reportare commendationem.

93. Diffinitionem dudum editam, qua statuitur ut monachi Ordinis in sacra pagina magistri possint, soli absque abbate, in monasteriis monialium Ordinis officium visitatoris exercere, praesens generale Capitulum ratificans et approbans eidem addit quod, etiam in quibuscumque monasteriis monachorum tam visitatoris quam reformatoris valeant exercere officium, maxime si auctoritate generalis Capituli ad hoc specialiter fuerint deputati.

(Nota [i] quod binae sequentes in originali paginae et praecedentibus hisce subiunctae, ob pallorem atramenti et scripturae difformitatem omnino legi nequeant adeoque praetermissae sint a numero paginae 115 ad numerum 116).

94. Advisati pro mittendo ad concilium generale nomine totius Ordinis, si contingat aliquod celebrari.

Pro natione Germanica : abbas de Mulbruno, magister Nicolaus de Fonte Salutis, magister Ioannes de Brunbach. Pro natione Hispana : abbas Sanctarum Crucium, magister in theol., abbas

---

[i] *Haec nota apud* L^3 *tant.*

de Oliva in regno Navarrae, licent. in theol. Pro Scotia et Anglia: abbas de Dundrainan, magister in theol., abbas de Bellanda, licent. in theol. Pro natione Gallicana: dominus Firmitatis, magister in theol., dominus Bonaevallis Ruthenensis, magister in theol., dominus Bellaevallis, magister in theol., dominus de Buzayo, licent. in theol.

Pro stipendiis istorum fiet unum subsidium per totum Ordinem, et deputabuntur in qualibet natione certi receptores qui levabunt a quolibet monasterio tam virorum quam mulierum pecunias ad huiusmodi stipendia solvenda sufficientes et necessarias, et omnes illae pecuniae tradentur uni receptori generali, qui distribuet praedictis dictas pecunias, nec considerabitur si plures pecuniae veniant ab una natione quam ab alia, sed ex quo bona proveniunt ab Ordine. Et praedicti laborabunt pro Ordine, totum manebit in communi sine faciendo aliquam particularitatem. Et supposito quod ab una natione propter paupertatem vel alias causas non possit aliquid recipi, nihilominus ex illo quod recipietur ab aliis nationibus quae poterunt solvere fiet satisfactio praedictis de suis stipendiis, per totum tempus per quod manebunt in dicto concilio.

Item, si aliqui abbates pro utilitate vel necessitate suorum monasteriorum velint ad concilium accedere, praedicti semper invitabunt eos ad sustinendum et deputandum incorporationes et alia ipsorum negotia, dum tamen contra Ordinem nihil faciant aut procurent et ita iurabunt et promittent in manibus praedictorum.

95. Sequuntur tituli seu Rubricae diffinitionum in Capitulis generalibus Ordinis Cisterciensis pro reformatione ipsius Ordinis et personarum eiusdem, a decennio salubriter editarum, quas omnes et singulae eiusdem Ordinis personae regulares tenentur efficaciter adimplere.

DE DIVINO SERVITIO

a) Primo, quoad divinum officium die noctuque per omnes Ordinis personas, tam in choro quam extra, convenienter et morose, non balbutiendo aut sincopando, sed cum pausis in medio et in fine versuum, ac aliis circumstantiis per beatum Bernardum traditis, tam in psalmodia quam in cantu et lectionibus persolvatur, quodque tam abbates quam monachi, qui gravissima

infirmitate seu perevidenti utilitate suorum monasteriorum non fuerint legitime praepediti, ad peragendum praedictum officium ad omnes horas in choro conveniant ibidem usque ad finem illarum horarum iugiter permanentes. Insuper et quod de cetero in omnibus Ordinis monasteriis, iuxta regulae beati Benedicti determinationem, hora octava, quae est hora secunda, indefectibiliter ad vigilias surgatur, completoriumque adhuc luce diei lucente decantetur, gravi quoque subdantur correctioni in praemissis quovis modo delinquentes.

b) Item, quod de cetero in omnibus monasteriis Ordinis utriusque sexus, ante horarum canonicarum inceptionem reverenter et devote dicantur ab omnibus in choro submissa voce horae de Beata Virgine, excepto quod post decantatum completorium, hora completorii de B. Virgine dicetur semper.

c) Item, quod sicut cum in missa conventuali, quando sacerdos dicit *Gratias agamus Domino Deo nostro*, omnes in choro existentes, caputiis depositis, reverenter et profunde se debent inclinare ; ita cantando *Te Deum laudamus*, cum dicitur ille versus *Te ergo quaesumus tuis famulis*, extra stalla exeuntes, ut praedictum est, se inclinent quamdiu dicetur *Quos pretioso sanguine redemisti*.

d) Item, quod de cetero in omnibus festivitatibus B. Virginis dum cantabitur hymnus in matutinis, laudibus, vesperis et completorio, omnes extra stalla erecti et caput discoperti permaneant, quod etiam fiat generaliter in omnibus antiphonis de B. Virgine, quae post *Magnificat* et *Benedictus* dici solent, et omni tempore dum dicitur collecta de B. Virgine, omnes capitibus discoperti a sedilibus se levantes usque ad finem collectae teneant, et profunde se inclinare non omittant.

96. De modis et mediis convenientibus et valentibus ad observandum votum castitatis.

a) Primo, quod de cetero omnes et singulae Ordinis personae regulares feria sexta omni tempore indefectibiliter ieiunent.

b) Item, quod omnes Ordinis personae regulares feriis secundis, quartis et sabbato, necnon in omnibus solemnitatibus, in quibus habetur seu haberi debet sermo in capitulis Ordinis, a carnibus in omni loco totaliter abstineant, solis graviter infirmantibus exceptis.

c) Item, quod de cetero nulla Ordinis persona per abbatem vel abbatissam aut alios quoscumque compellatur ad comedendum carnes, et omnibus a carnibus abstinere volentibus cibaria

regularia in refectorio claustrali sufficienter et debite ministrentur.

d) Item, quod de cetero in omnibus monasteriis Ordinis utriusque sexus, in quibus erunt monachi viginti seu moniales, et supra, si abbas vel abbatissa pro reparatione et sustentatione debilium aut aegrotorum voluerint et ordinaverint, quod aliqui monachi vel aliquae moniales aliquibus diebus utantur carnibus, taliter tamen suas ordinationes quoad hoc tenentur temperare et limitare, quod duae partes conventus semper maneant et suas accipient refectiones ex cibariis regularibus dumtaxat in refectorio claustrali.

e) Item, quod in omnibus monasteriis Ordinis in quibus refectoria tam in claustro quam in infirmitorio non habentur, indilate per abbatem seu abbatissam eorumdem monasteriorum ipsa refectoria infra annum reaedificentur seu de novo construantur, in ipsisque refectoriis claustralibus omnibus feriis secundis, quartis, sextis et sabbato indefectibiliter ex cibariis regularibus suas accipiant refectiones, illis dumtaxat exceptis, quos abbates vel abbatissae ad comedendum secum vel cum hospitibus duxerunt convocare.

f) Item, quod de cetero nulla Ordinis persona regularis in aliqua camera, praeterquam in camera abbatum vel abbatissarum, carnes comedat, sed qui abbates vel abbatissae pro sustentatione debilium et aegrotorum voluerint aut ordinaverint quod comedentur carnes, talis concessio, solis graviter infirmantibus exceptis, semper fiat in refectorio communi infirmitorii seu in cameris abbatum vel abbatissarum.

g) Item, quod in monasteriis, in quibus non sunt nisi viginti monachi vel moniales et infra, si abbates vel abbatissae interdum voluerint et ordinaverint pro reparatione et sustentatione debilium et aegrotorum, quod sui monachi vel moniales interdum carnes comedant, suas ordinationes quoad hoc taliter studeant temperare et limitare quod nullus plus quam bis carnes in hebdomada comedat, solis dumtaxat graviter infirmantibus exceptis, vel nisi propter victualium regularium nimis diuturnam et totalem carentiam ad aliter faciendum necessitas compelleret.

h) Item, de cetero balnerorum usus nusquam ultra semel in mense, nisi in evidenti necessitate, quibusdam personis Ordinis concedatur, sed si contingat propter necessitatem et infirmitatem

ipsum concedi, provideant abbates et abbatissae, ipsorumque officiarii et officiariae, quod in locis talium balneorum seu occasione ipsorum ne aliquae fiant commessationes seu dissolutiones, sintque balneandi uno vel ad maximum, et quando infirmitas fieri expostularet, duobus dumtaxat servitoribus contenti.

i) Item, diligenter provideant abbates et abbatissae quod monachi vel moniales propter minutiones in infirmitoriis existentes et comedentes, nullatenus a choro excusentur seu extra monasterium discurrere et insolenter vagari permittantur, sed quanto refectionibus corporalibus occasione huiusmodi minutionum magis abundant, tanto ferventius Deo a quo istorum bonorum abundantiam recipiunt, servire studeant et observantias regulares diligentius adimplendo conservationem suae sanitatis mereantur impetrare, graviter infirmantibus exceptis, quibus durantibus minutionibus sicut aliis durantibus ampliores poterunt concedi recreationes.

j) Item, quod nullae Ordinis personae per diem in dormitoriis utantur culcitris plumeis aut linteaminibus, omnesque camerae in dormitoriis existentes, exceptis cameris [j] pro prioribus et supproribus [k] forte dispositis secundum ordinationem domini Benedicti Papae XII, et sub gravissimis sententiis et poenis per ipsum promulgatis, destruantur, nec amplius in ipsis sint ostia vel clausurae quaecumque ingressum ipsarum quovismodo impedientes.

k) Item, quod abbates vel monachi Ordinis de cetero non utantur tunicis nigris, camiseis lineis, gipponibus, manicis botonatis, epitogiis, vel mantellis aut sotularibus laqueatis, vel aliis quibusdam habitibus dissolutis, sed uti habitibus humilitatem Ordinis redolentibus [l] atque sotularibus corrigiatis iuxta formam per antiquos patres Ordinis [m] salubriter traditam et observatam, omnes teneantur.

EXPLICIUNT [n] RUBRICAE.

(Post [o] haec omissa sunt aliqua ob pallorem atramenti lectu impossibilia, sed minus essentialia).

97. Diffinitionem in Capitulo generali proxime praeterito

[j] camini : *L*[3]. [k] superioribus : *MP*[2]. [l] convenientibus : *MP*[2].
[m] *deest MP*[2]. [n] *deest L*[3]. [o] *apud L*[3] *tant.*

editam super processionibus in omnibus Virginis gloriosae festivitatibus fiendis, praesens generale Capitulum approbat et confirmat, rursus statuit ut etiam in festis Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes et Omnium Sanctorum, necnon in festivitatibus Beatorum Bernardi, Guillelmi et Petri confessorum, qui fuerunt Ordinis professi et alumni, et qui, ut pie creditur, ipsum habeant apud Deum in recommendatione speciali, per Ordinem universum fiant devote processiones, dicanturque in processione diei Paschae duo responsoria, videlicet *Angelus Domini* et *Maria Magdalene* ; antiphona vero in ingressu ecclesiae erit *Christus resurgens*. In die vero Natalis Domini primum responsorium erit *Verbum caro factum est*, secundum erit *O magnum mysterium*, antiphona vero in ingressu ecclesiae erit *Nesciens mater virgo virum*, etc. In die vero Pentecostes primum responsorium erit *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, secundum erit *In die magno festivitatis*, antiphona vero in ingressu *Hodie completi sunt dies Pentecostes*, etc. In die vero beati Bernardi, primum responsorium erit *Beatus Bernardus quasi vas auri solidum*, secundum *Prima virtus viri sancti*, antiphona erit *Exultet in Domino*. In solemnitatibus vero Guillelmi et Petri, primum responsorium erit *Sint lumbi vestri praecincti*, secundum erit *In diademate capitis Aaron*, antiphona erit *Iste sanctus digne in memoriam vertitur hominum* ; de ceteroque in praedictis duorum sanctorum Guillelmi videlicet et Petri, erit sermo in capitulo et sicut festivitates sanctorum Benedicti et Bernardi solemnizabuntur.

98. Quia in legendis sanctorum et pluribus aliis antiquis historiis frequenter recitatur, quod sancti Dei quorum corpora et reliquiae olim honore debito non venerabantur in terris, adversus eos qui facere tenebantur et poterant, acriter provocati fuerunt et irati, et valde timendum est, ne multi sancti qui tempore praeterito fuerunt in Ordine et magis claruerunt miraculis, adversus Ordinem iusto Dei iudicio irascantur, quia vident quod de ipsis Ordo non curat, neque quamcumque de ipsis habet vel facit memoriam aut mentionem ; idcirco cum Ordo his prasertim diebus malis, quibus ad fere totalem vergit desolationem, multis et magnis intercessoribus apud Deum indigeat, et pie credendum sit, si sanctos qui exierunt ab Ordine nobis reconciliatos et adiutores habuerimus propitios, quia infra breve tempus idem Ordo felicia suae pulchritudinis spiritualis et temporalis recuperabit primordia, praesens generale Capitulum districte praecipit et

mandat omnibus abbatibus Ordinis cuiuscumque nationis existant, quatinus cum omni diligentia redigant in scriptis sanctum vel sanctos, si in suis monasteriis a tempore fundationis ipsorum aliquis vel aliqui fuerit aut fuerint sancti saltem etsi [p] non canonizati, tamen propter miracula quae fecerunt in vita et post mortem ipsorum in patria merito reputati et venerati fuerunt et sunt ut sancti.

99. Frater Ioannes, abbas Cistercii, venerabili et in Christo nobis carissimo coabbati nostro Puricampi, sinceram in Domino caritatem, et continuum in omnibus perfectionis operibus profectum. De probitate et industria ceterisque virtutibus vestris specialem in Domino gerentes fiduciam, tenore praesentium commissionem super reformatione monasteriorum in Holsatia per nos dudum vobis concessam, ex certa scientia prorogamus usque ad quinque annos immediate sequentes, ipsamque volumus per praedictum tempus in suo robore permanere.

Datum Cistercii sub appositione sigilli nostri die XV[a] mensis septembris anno Domini M. CCCC. XXXIX.

100. Licet in nonnullis Ordinis monasteriis abbates et monachi eorumdem monasteriorum, gratia Spiritus Sancti ipsos assistente, ad tantam se reduxerint abstinentiam ut iuxta textum regulae nunquam comedant aut permittant comedi carnes in monasteriis antedictis, graviter infirmantibus dumtaxat exceptis et aegrotis ; nihilominus patres abbates dictorum monasteriorum qui deberent suos subditos ad praedictam abstinentiam inducere, cum ad visitandum praedicta monasteria accedunt, volunt et compellunt praedictos abbates et monachos carnes ipsis ministrare, quem abusum summe detestandum praesens generale Capitulum abhorrens, omnibus et singulis praedictorum monasteriorum visitatoribus aut aliis quibuscumque Ordinis regularibus personis sub excommunicationis sententiae poena inhibet ne de cetero in aliquo monasterio ubi talis abstinentia viget, carnes sibi ministrari directe vel indirecte faciant aut procurent seu quovismodo comedere praesumant, nisi dumtaxat in casu per praedictam sanctam regulam concesso.

101. Diffinitionem in Capitulo generali proxime praeterito editam, et fratri Martino de Vargas [q], monacho, ut dicitur, sancti Ioannis [r], pro tunc tamen monacho Ordinis Cisterciensis et pro ab-

---

[p] et sunt : *MP*². [q] Vangas : *L*³. [r] *erronee pro* Hieronimi ; *cf. stat. seq.*

bate Montis Sion se gerente, propter rationabiles causas expeditam, per quam concedebatur abbatibus regnorum Castellae, Legionis et Portugalliae quod annis singulis pro reformatione ipsorum et suorum monasteriorum possent se in aliquo Ordinis monasterio congregare, multis aliis clausulis in eadem diffinitione diffusius contentis, quas habet et haberi vult pro subreptis, idem praesens generale Capitulum totaliter cassat, revocat et annullat, sub excommunicationis poena districte nihilominus omnibus et singulis regularibus personis Ordinis utriusque sexus, quorumcumque monasteriorum, in praedictis regnis vel alibi consistentium, ne de cetero praedictae diffinitoni, aut aliquibus contentis in ipsa, quocumque modo obediant seu ipsam in toto vel in parte teneant vel recipiant, aut cum praedicto fratre Martino quamcumque habeant participationem, praeterquam in casibus a iure permissis, donec ipse frater Martinus a suis superioribus praedicti Ordinis, Sancti Ioannis, cuius esse dicitur monachus, ipsis legitime constiterit ipsum debitam ab eodem Ordine licentiam recedendi habuisse, et quod in Ordine nostro secundum ipsius tam apostolica quam regularia statuta expresse professionem fecerit regularem.

102. Praehabita [matura deliberatione], praedictam diffinitionem in eodem generali Capitulo editam, tam in se quam in singulis ipsius partibus, ut non omnes et singulos effectus ex ipsa secutos aut sequendos, expresse cassat, revocat et annullat, districte inhibens sub excommunicationis poena omnibus et singulis Ordinis personis cuiuscumque status, conditionis aut nationis existant, ne de cetero praedictam diffinitionem penes se recipiant vel teneant seu eidem quovis modo praesumant obedire, sed neque cum praefato fratre Martino quamcumque habeant participationem, nisi dumtaxat in casibus a iure permissis, et donec ipsis legitime constiterit quod per generale praedicti Ordinis Sancti Hieronimi aut alios superiores suos beneficium obtinuerit absolutionis, maxime a sententia excommunicationis quam temerarie et sine licentia a praedicto Sancti Hieronimi [Ordine] discedendo dicitur incurrisse. Ut autem diffinitio ad universorum notitiam valeat pervenire, et ne praedictus Martinus quoscumque abbates seu alias quascumque personas regulares, occasione diffinitionis praedictae, decipere aut subornare possit, rursus praesens generale Capitulum districte praecipit et mandat abbatibus de Bonavalle Ruthenensi, de Spina, de Palaceolis et de

Sacramoenia, et cuilibet ipsorum quatinus praesentem diffinitionem per omnia Ordinis monasteria regnorum, mox ut ipsam receperint, diligenter mittant et eam faciant ubique publicari. Si autem praevia [s] informatione debita, invenerint quod dictus frater Martinus bona mobilia vel immobilia ad monasterium Bonaevallis pertinentia quovis modo ab eodem monasterio abstulerit, seu ipsa vendiderit vel alienaverit aut ad praedictum monasterium Montis Sion, [quod] nullatenus est de Ordine neque de ipso idem Ordo intromittere curat vel intendit, applicaverit, confestim coram iudice ecclesiastico vel saeculari, eumdem fratrem super praemissis conveniant, ipsumque ad dimittendum dictum monasteriorum Vallisbonae et bona praedicta eidem restituendum et indissimulanter compellant, invocato...

1440

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo, statuta sunt haec apud Cistercium mense maii in cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1. Capitulum generale informatum quod in quibusdam monasteriis monialium aliquae sint moniales convictae de puerperio, et nihilominus exeunt de monasterio visitantes civitates, oppida et villas in confusionem totius Ordinis ; quapropter dictum generale Capitulum praecipit districte visitatoribus eorum monasteriorum, quod inhibeant dictis monialibus sic diffamatis sub poena excommunicationis et carceris perpetui, ne exeant septa monasteriorum, nisi cum eis fuerit per ipsum generale Capitulum specialiter dispensatum.

2. Generale Capitulum committit fratri Ioanni procuratori monasterii Polplin, quatinus unam personam dumtaxat regularem ipsius monasterii Polplin absolvere, possit in casibus Capitulo generali reservatis.

3. Non obstante quod frater Guerrardus monachus Bullencuriae apostatavit spatio semianni, et apostatando se divinis immiscens irregularitatem contraxit, propter quibus sceleribus poeni-

---

[s] prima : P^2.

1440. *Fontes* : L^3 : 1-54 ; *M* : 41 ; P^2 : 41 ; *W* : 55. [a] *Titulus apud* L^3.

tentiam sibi iniunctam humiliter et devote peregit, generale Capitulum secum misericorditer dispensat, quatinus ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, dignitates, etiam inclusa abbatiatus dignitate, admitti valeat et assumi, si contingat in futurum.

4. Universum tenorem et omne contentum in litteris quibus haec praesens diffinitio annectitur, quia ad magnum et grande profuturum monasterii de Fonteneto prima fronte fieri videntur, praefatas litteras et huiusmodi tenorem et contentum, generale Capitulum confirmat, acceptat et approbat.

5. Generale Capitulum constituit et ordinat commissarios et iudices fratres Nicolaum de Walkenrode, et Bartolomeum de Lapide Sancti Michaelis monasteriorum abbates, in causa sive causis, mota vel motis sive movendis, inter fratrem Conradum professum monasterii Riddagheshusen ex una parte, et priorem necnon camerarium ac alios plures si fuerint de conventu dicti monasterii parte ex altera, super iniustitia et iniuria contra omnimodam iuris et iustitiae ac Ordinis dispositionem sibi factas, praedictis abbatibus eidem condolentibus de huiusmodi iniuriis et iniustitiis ad plenum informatis. Quapropter idem Capitulum dictis abbatibus mandat in virtute sanctae obedientiae, quatinus dicto fratri Conrado breve iustitiae complementum ministrent et faciant quantocius, in Ordinis et Capituli generalis plenaria potestate.

6. Licet fratribus Iacobo de Mermeignya, Petro de Quinciaco, Iacobo et Petro de Colomeyo, monachis de Fonteneto, modo sunt fere viginti anni, semel astantibus in grangia de Fontanis siccis, transivit quidam vir qui ante ianuam ipsius grangiae ducens secum quamdam iuvenem feminam, quam dicebat suam fore coniugem. Qui praedicti monachi tamquam male consulti insequentes eos minime crediderunt quod essent simul coniugati sicut nec erant, humani generis inimico et hoste crudelissimo suadente sustulerunt eidem viro praedictam feminam et adolentes quo voluerunt duxerunt, tenentes eam quatuor vel quinque diebus. Quo viro super hoc conquerente, querimonia pervenit ad abbatem Fonteneti, qui super hoc informatus valde bene fecit debitum suum iuxta demeritum incarcerando ipsos punivit ut debuit. Et quia jam dicti fratres poenitentiam pro tanto scelere sibi iniunctam humiliter et devote peregerunt, generale Capitulum misericorditer cum eis dispensat, ut hoc non obstante ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus et dignitates etiam ad dignitatem et honorem

abbatiatus promoveri, si contigerit in futurum, pariter valeant et assumi.

7. Electionem, installationem et confirmationem die sabbati ante Dominicam in Ramis palmarum quinta mensis aprilis anno Domini 1437 de persona fratris Ioannis de Castellione in abbatem monasterii de Eschalleis, nostri Cisterciensis Ordinis, Senonensis dioecesis, per abbatem de Fonteneto immediatum patrem abbatem dicti Eschalleyarum monasterii factas et celebratas, prout in decreto, cui haec praesens nostra diffinitio annectitur plenius continetur, generale Capitulum confirmat et approbat.

8. Ad idem pro fratre Ogesio abbate monasterii de Bullione praedicti Ordinis, Bisuntinae dioecesis, duodecima mensis ianuarii anno Domini 1439 factas per abbates Roseriis et de Longovado, commissarios in hac parte domini Claraevallis, patris abbatis ipsius de Bullione monasterii.

9. Ad idem pro fratre Ioanne Marsterler abbate monasterii Schonarogiensis eiusdem Ordinis, Wormatiensis dioecesis, octavo idus aprilis anno Dominicae Incarnationis 1440 factas per abbatem monasterii Eberbacensis Cisterciensis Ordinis, Maguntinensis dioecesis, patrem abbatem ipsius monasterii Schonarogiensis.

10. Fratrem Dionisium de Valle, monachum monasterii Sancti Andreae in Gofferno, praesens generale Capitulum plenaria et sibi reservata auctoritate absolvit, absolutumque mandat a violenta manuum iniectione in fratrem Egidium Bernier eiusdem monasterii etiam professum usque ad enormem sanguinis effusionem, necnon rehabilitat ad omnes Ordinis actus legitimos et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, occasione notae infamiae et inhabilitatis quam incurrit vel incurrere potuit propter exitum suum a dicto monasterio Sancti Andreae, metu poenae propter eamdem iniectionem, a quo monasterio absens existit fere per octo dies.

11. Cum fratre Nicolao monacho monasterii de Vallibus Sernay, qui animi levitate per saeculum vagabundus tribus mensibus in apostasia permansit, generale Capitulum, quia poenitentiam sibi iniunctam propter hoc humiliter et devote adimplevit, dispensat benigniter et rehabilitat, ut ad omnes Ordinis actus legitimos atque dignitates, nulla seclusa, promoveatur et admittatur.

12. Contentum et totum tenorem habitos in litteris quibus nostra praesens diffinitio est annexa, quia ad utilitatem non

modicam et profuturum monasterii de Septemfontibus apparuerunt evidenter, ut clarius patet et continetur in praedictis litteris, generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

13. Generale Capitulum praecipit et mandat sub poena excommunicationis et in virtute salutaris obedientiae fratri Ioanni de Sendricuria, dudum abbati monasterii de Bullione, quatinus sigillum et contrasigillum, quibus utebatur dum abbatizabat et praesidebat in dicto monasterio, omnesque papiros, litteras et quascumque res quas importavit et removit a dicto monasterio, reddat et restituat abbati dicti loci integraliter absque difficultate quavis, et nihil retineat penes se, in quantum incurrere timet sententiam excommunicationis supradictam.

14. Fratrem Ioannem Gorgas, monachum monasterii de Ursicampo, qui super apostasia per ipsum perpetrata sex hebdomadarum dumtaxat, quia reversus ad gremium dicti monasterii poenitentiam propter id sibi iniunctam devote adimplevit, generale Capitulum misericorditer rehabilitando restituit plenarie ad omnes Ordinis actus legitimos, etiam abbatiatum, si contigerit in futurum.

15. Ad idem praedictum Capitulum dispensat cum fratre Ioanne de Manchreb monasterii de Bullencuria, qui per quadriduum apostatando remansit ad saeculum.

16. Abbatibus de Quinciaco, de Karoliloci et de Ioyaco committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis personas regulares, utriusque sexus, quas repererint, vel alter eorum repererit, teneri seu legitime obligari domino Pontigniaci et suo conventui in aliquibus pecuniarum summis... *etc. ut in forma consueta.*

17. Ad idem committitur domino Claraevallis et abbatibus de Valleclara et Igniaco, pro abbate Ursicampi.

18. Ad idem committitur per generale Capitulum domino Pontigniaci et abbati de Fonteneto, pro abbate de Quinciaco.

19. Omne contentum in quibusdam litteris quibus haec praesens diffinitio appenditur et annectitur monasterium Theoloci tangens et concernens, super quemdam tractatum habitum inter monasterium Theoloci et capitulum Lingonense, ut in dictis litteris quibus haec praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, dum tamen octoginta franci per abbatem Theoloci recepti ab eodem capitulo Lingonensi, convertantur integre in alios

redditus pro praefato monasterio Theoloci perpetuis temporibus duraturos.

20. Non obstante quod frater Henricus Burgen, monachus monasterii Maceriarum, Cisterciensis Ordinis, Cabilonensis dioecesis, spatio unius anni vel circiter apostataverit, quia poenitentiam per suum abbatem sibi iniunctam olim humiliter et devote adimplere dignoscitur, generale Capitulum cum ipso dispensat misericorditer, ut assumi valeat et admitti, si contigerit in futurum...

21. Tractatum et universum tenorem contentos in litteris quibus haec nostra praesens diffinitio est appensa et annexa, quia utiles valde apparent prima fronte pro monasterio Theoloci, ut plenius in praedictis litteris continetur, generale Capitulum ratificat, benigniter confirmat et approbat.

22. Attento quod de praesenti, abbas Fontis frigidi monachos aptos non habet pro mittendo ad studia generalia, generale Capitulum facit sibi gratiam usque ad duos annos, quod minime teneatur, quibus pendentibus ipse tenebit unum magistrum in monasterio ad instruendum praedictos monachos suos ; item, casu quo propter negligentiam solvendi contributiones, mittendi scolares vel veniendi ad Capitulum generale vel alias iuxta papalia ac Ordinis statuta sententiam excommunicationis incurrerit, idem abbas et monachi sui, vult idem Capitulum de gratia speciali, quod beneficium absolutionis obtineant et... *(locus vacuus)*. Insuper idem Capitulum mandat et praecipit districte abbati de Bolbona ne de cetero procedat contra dictum abbatem Fontis frigidi per conservatorem privilegiorum, etc., et quod si ipsum fecerit excommunicari, eumdem absolvi faciat et consentiat suae absolutioni. Ceterum mandat etiam et praecipit abbati Grandis silvae, patri abbati monasterii antedicti de Fonte frigido, quatinus fratrem Antonium Amelii, fratrem Iacobum Trousselli et alios quoscumque proprietarios dicti monasterii compellat ad faciendam residentiam in eodem monasterio et dimittendum omnia bona ecclesiae, quae contra voluntatem abbatis sui tenent et occupant; ceterum ulterius generale Capitulum revocat penitus habilitationes datas et concessas anno praeterito fratribus Trousselli, et Iohanni Blanchi quia falsum dederunt intelligere, nec tempora suae apostasiae vel excessus suorum criminum plene exposuerunt. Tandem idem Capitulum praecipit et mandat praefato abbati Fontis frigidi, quatinus annuatim non omittat visi-

tare monasterium Populeti sibi immediate subiectum prout, iuxta papalia et nostri Ordinis statuta, hoc facere tenetur et obligatur. Et si aliquos invenerit rebelles nitentes impedire visitationem suam vel statuta suae cartae visitationis, dummodo secundum statuta papalia processerit, ipsos iuxta eiusdem Ordinis instituta coerceat et puniat secundum demeritorum qualitatem.

23. Litteras receptionis Nicasii aliter Casini et Catherinae uxoris suae in monasterio de Longovado, ut continetur plenius in eisdem litteris, quia proficuum eiusdem monasterii in ipsa receptione fore videtur, generale Capitulum tenore diffinitionis huiusmodi litteris appensae et annexae, receptando ratificat, confirmat et approbat.

24. Domino Pontigniaci et abbati Vallis Beatae Mariae, s. th. pr., et eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus quantocius ad monasterium Vallis lucentis personaliter accedentes, aut alter eorum accedens, ibidem reforment, corrigant, instituant et destituant quaecumque secundum Deum, rectam conscientiam ac Ordinis instituta reformanda, corrigenda, instituenda vel destituenda, tam in spiritualibus quam in temporalibus, et tam in capite quam in membris, repererint in eodem, universis et singulis dicti monasterii personis regularibus praecipiendo districte mandat in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus eisdem domino Pontigniaci et abbati Vallis Beatae Mariae et eorum cuilibet humiliter obediant et devote pareant.

25. Super contagione carnis, qua convictus dudum extitit frater Alanus Bourdin, monachus de Busayo, quia propter idem secundum Ordinis instituta debite punitus fuit dictus frater, et poenitentiam super hoc sibi iniunctam humiliter perficiens lacrimabiliter adimplevit, generale Capitulum dispensat misericorditer, ut ad omnes actus Ordinis et dignitates, inclusa abbatiali, promoveatur si contigerit et admittatur ipse frater.

26. Ad idem fiat pro fratre Maturino Pytois super eodem vitio ; ac etiam quod illicentiatus portas monasterii exivit, non tamen per diem integram remanens.

27. Licet frater Jaspar Grayfart, monachus de Ré, semel de furto fuerit convictus et debite punitus, quia tamen punitionem huius sceleris humiliter et devote sustinens poenitentiam sibi iniunctam peregit, generale Capitulum dispensat cum ipso, valde bene emendato, ipsum habilitando, quatinus ad Ordinis legitimos

actus et dignitates, abbatiali inclusa, promoveri possit, necnon et admitti.

28. Frater Ludovicus Dauyan, monachus de Insula Dei, semel de furto, de apostasia sine tamen dimissione habitus, de contractu carnis, de iniectione manuum in quemdam novitium, de fractione carceris, de omnibus istis fore factis convictus fuit, et quia omnia praedicta scelera bene et devote emendans poenitentiam tantorum scelerum humiliter adimplere dignoscitur, generale Capitulum habilitans dictum fratrem Ludovicum, secum dispensat benigniter ut promoveatur ad Ordinis actus legitimos et dignitates praeter abbatiatum, pariter et assumatur.

29. Generale Capitulum cum fratre Ioanne Le Comparz dispensat benigniter, ut non obstante quod semel apostatando, habitu regulari non relicto, ad saeculum per certum tempus vagabundus remansit, ad omnes legitimos actus Ordinis atque dignitates, quia poenitentiam sibi iniunctam super hoc humiliter peregit, his non obstantibus promoveatur, etiam abbatiali dignitate non seclusa.

30. Auctoritate Capituli generalis praecipitur abbati Silvae canae sub poena excommunicationis, quatinus infra 30 dies realiter et de facto restituat domino priori Cistercii viginti quinque ducatus vel cedulam, quae in favorem ipsius data fuit in banco de Albertis in Basilia, Antonio de Albertis, alioquin generale Capitulum praedictum, ex nunc pro tunc, pronuntiat ipsum excommunicatum.

31. Generale Capitulum favorabiliter supplicationi abbatis de Langoneyo annuens, fratrem Ioannem de Melons, monachum monasterii de Lomians sibi immediate subiecti, qui propter sua demerita ab eodem denuntiatus fuit excommunicatus et tamen Ecclesiae claves parvipendo divinis se immiscuit, propter quae et alia multa per abbatem de Buzayo reformatorem in partibus Britanniae, ad praesens Capitulum fuit citatus, in quo non comparuit nec comparet ullo modo. Quapropter idem Capitulum dictum fratrem contumacem, excommunicatum et aggravatum denuntiat. Et quia crescente malitia crescere debet et poena, ipsum Capitulum praecipiendo mandat omnibus abbatibus et singulis patribus, quatinus alter alterum non expectans iam dictum fratrem Ioannem capiant vel capi faciant viriliter et debite, et districtis carceribus usque ad nutum generalis Capituli mancipent vel mancipari faciant in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

32. Ad humilem supplicationem abbatis de Langonio eidem generale Capitulum... *(sic desin.)*

33. Generale Capitulum districtissime mandat et praecipit abbati de Langoneyo, quatenus fratres Ioannem Le Picart et Guillelmum Tronchiez ad aliquod Ordinis nostri monasterium in Anglia mittet et destinet quantocius, nullomodo inde regressuros absque nutu Capituli generalis.

34. Generale Capitulum abbates de Oratorio, de Claromonte, de Ponte oltrani et de Melereyo monasteriorum absolvit benigniter a sententia excommunicationis contra eos lata in Capitulo ultimate praeterito, pro eo quod videbantur conspirare sive murmurare contra Ordinem per quamdam excusationem, quam ad dictum Capitulum miserant, viso tamen, quod nunquam de cetero talia mittere nec proferre conabuntur, dispensat etiam idem Capitulum super irregularitate, si quam incurrerint occasione praedictorum, unicuique eorumdem, potestatem dando ut quilibet ipsorum eligere possit aliquem idoneum confessorem, qui eosdem super praedictis absolvere possit plenarie.

35. Abbati de Bellavalle Viennensi licentiam eundi ad studium Parisiense et ibidem remanendi tribus annis ad scientiam ibidem acquirendam salutarem, generale Capitulum confert et concedit benigniter.

36. De mandato Capituli generalis et consensu partium, praesens Capitulum generale ordinat et diffinit in modo, qui sequitur : domini abbates de Pontigniaco et de Valle Beatae Mariae ordinaverunt circa quamdam controversiam motam inter abbatem de Ioyaco ex una, et abbatem de Vallelucenti partibus ex altera, quod de omnibus quae sibi mutuo tam datis quam restitutis aut alio modo captis pecuniis et alis bonis petebant, petere aut repetere poterant, manebunt quitti inter se usque ad praesentem diem, dempto quod idem de Vallelucenti tenebitur in terminis proxime venientibus Sancti Ioanni Baptistae et Natalis Domini solvere praefato de Ioyaco summam viginti salutia auri boni et legitimi ponderis et per medium, videlicet decem salutia in quolibet dictorum terminorum, in singulis eorumdem, tenendo se pro monito de praefata summa ad voluntatem eiusdem de Ioyaco.

37. Generale Capitulum, habita bona relatione et attenta sororis Margaretae de Enria, monialis monasterii de Novo Bosco, super contritione contagionis carnis quam sustinuit, prole inde

subsequente, super quo poenitentiam sibi iniunctam cum magno fletu et eiulatu humiliter adimplevit, misericorditer dispensat, ut ad cunctos Ordinis legitimos actus, gradus, voces, administrationes ac dignitates etiam abbatialem, si contingat in futurum, promoveri valeat simul et admitti.

38. Abbatibus de Eberbaco et de Hegenar committitur per generale Capitulum et eorum cuilibet, quatinus ad monasterium Castri aquilae quantocius accedentes personaliter, vel alter eorum accedens, in eodem perquirant sagaci discretione, utrum quaedam bona ipsius monasterii, quae sine fructu et profectu colunt, vendere possint pro certa summa pecuniae, ut relevari valeant a suis debitis. Et quid super hoc repererint, anno futuro renuntient Capitulo generali, postquam huiusmodi venditio attentata fuerit.

39. Super apostasia a Ioanne Hertonis per duos menses dumtaxat, quia poenitentiam sibi iniunctam per abbatem suum de Castro aquilae, videlicet stando in carcere per semiannum, humiliter et devote adimplevit, dispensat generale Capitulum misericorditer, ut hoc non obstante ad universos Ordinis actus legitimos promoveatur simul et admittatur, etiam ad abbatialem, si contigerit in futurum.

40. Generale Capitulum abbatibus Andegaviae et Cenomanniae dioecesium concedit benigniter, attenta pestilentia mortalitatis ibidem vigente ultra modum, quatinus ipsi abbates et ceterae personae Ordinis regulares eligere possint, semel dumtaxat in anno, unum quilibet idoneum confessorem, qui eosdem absolvat et quemlibet ipsorum in casibus Capitulo generali reservatis.

41. Generale Capitulum cassat, irritat et decernit nullius valoris unionem factam per dominum Morimundi monasterii monialium de Goiono cum monasterio Berdonarum.

42. Abbati de Castro aquilae concedit generale Capitulum quatinus subditos suos utriusque sexus semel absolvere in foro conscientiae in casibus Capitulo generali reservatis, et ad idem quod possit etiam confessorem eligere qui eum pariforma absolvat in casibus supradictis.

43. Attentis maximis debitorum oneribus monasterii Castri aquilae, generale Capitulum abbatem dicti loci et suum monasterium absolvit usque ad quinquennium a contributionibus solvendis, et a via Capituli generalis.

44. Fratrem Ioannem Roden, monachum monasterii de Herdehusen, qui semel exiens in iuvenili aetate ex quadam animi levitate, apostatando vagabundus in saeculo, habitu regulari non relicto, et ad monasterium rediens poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit et devote, generale Capitulum a nota apostasiae absolvit benigniter, misericorditerque cum eodem dispensat, quatinus ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, administrationes et dignitates, abbatiali etiam inclusa, valeat promoveri simul et admitti.

45. Super negligentiis perpetratis circa servitium divinum per sorores moniales inclusas in Seyna in Colonia, generale Capitulum dispensat misericorditer ipsasque absolvit benigniter ab omnibus suis negligentiis antedictis conceditque eiusdem monialibus, quatinus confessorem Ordinis idoneum semel eligere possint, quo posse habeat ipsas absolvere in casibus Capitulo generali reservatis.

46. Cum fratre Raso de Damme, alias Symonis, monacho de Bodelo, qui semel adhuc iuvenis in diaconatu existens apostata et vagabundus ad saeculum per aliquod temporis spatium remansit, et regressus ad dictum de Bodelo monasterium poenitentiam sibi propter hoc iniunctam humillime contritus et devotissime peregit, generale Capitulum misericorditer dispensat, ut ipse ad omnes actus legitimos et decentes gradus, voces, administrationes et dignitates, etiam ad abbatiatum si contingat in futurum, promoveri valeat et assumi.

47. Cum abbates de Oratorio et de Claromonte senio labentes variisque infirmitatibus detenti taliter quod ad Capitulum de cetero vix possent accedere, generale Capitulum praedictos abbates a via huiusmodi Capituli absolvit benigniter, ita quod deinceps non gravent se quovis modo ista de causa ad idem Capitulum veniendo.

48. Abbati de Campo committit generale Capitulum, quatinus dominum Denielung dudum abbatem, de multis criminibus accusatum faciat conveniri et si fuerit repertus criminosus, ut profertur, ipsum puniat viriliter secundum Ordinis statuta.

49. Abbati Grandis silvae, s. th. pr., committit generale Capitulum regimen monasterii monialium de Goiono, quousque per ipsum Capitulum fuerit decisum si ipsum pertinet monasterio Morimundi vel Cisterciensi.

50. Domino de Morimundo et abbati de Valle Nostrae Domi-

nae, s. th. pr., committit generale Capitulum visitandi et reformandi in monasterio Val... *(sic desin.)*

51. Capitulum generale committit abbati Drabug *(Dernburg)* quod se informet si sit ad utilitatem monasterii in Besing [rode], quod quaedam bona illius monasterii permutentur in alia et si ita repererit, super quod generale Capitulum onerat conscientiam suam, concedat dicto abbati quod ita fiat.

52. Generale Capitulum abbatem de Persenia, una cum fratre Ioanne Baulogier, et abbatem de Tironello reputat contumaces, eo quod debite citati ad dictum Capitulum non comparuerunt per se vel per alium, eosque excommunicat, praecipiens abbati de Campania, quatinus dictos abbates et monachum ita fore excommunicatos denuntiet et ad proximum Capitulum citet, responsuros ad omnia quae per promotorem causarum eisdem obiicientur.

53. Abbati de Riddagheshusen, Halberstadensis dioecesis, mandat et praecipit generale Capitulum in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicatione, quatinus fratrem Conradum religiosum suum, qui iam per annum mansit in monasterio de Lapide Sancti Michaelis, recipiat absque ulla difficultate in dicto monasterio permansurum, et si aliquis rumor inter dictum fratrem ex una parte et fratres Ioannem Haveli priorem et Henricum Claren camerarium ex altera, ac si fuerint plures monachi dicti monasterii, vult generale Capitulum quod abbates de Walkenrode et de Lapide Sancti Michaelis determinent super causam huiusmodi rumoris, faciendo iustitiam partibus antedictis in plenaria Capituli generalis potestate.

54. Abbati de Campania committit generale Capitulum, quatinus abbates de Persenia et de Tironello ac fratrem Guillelmum Baulogier, qui propter suam contumaciam eoque debite citati ad praesens Capitulum minime per se vel per alium comparuerunt, et propterea excommunicavit eos, ipsos absolvat ad cautelam, proviso tamen quod suas contributiones sibi et suis monasteriis impositas iidem abbates persolvant integre.

55. Capitulum generale abbatem de Bissovia de excommunicatione et irregularitate absolvit, quas incurrit frater Gabriel, abbas de Bissovia, Wladislaviensis dioecesis, se divinis ingerendo, licet aliquam habeat in parte excusationem, quia sine scandalo extra suum monasterium non potuerit trahere mansionem, in quam ad tempus latae sententiae a divinis subtrahendo decli-

nasset. Item, abbatem et conventum de Bissovia ab aliis sententiis liberat, quibus subiecti erant, quo extra monasterium contra statuta Ordinis carnibus vescerentur eo tempore, quo monasterium devastatum erat neque in ipso aptum habebant locum, quo carnibus uterentur. Abbatibus de Landa et Lukna iniungitur, ut abbatem et conventum de Byssovia ab excommunicationis sententia liberent.

1441

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, statuta sunt haec apud Cistercium in mense maii in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES.

1. Pro santissimo [b]... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n*o 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

7. Tractatum initum inter abbatem et monasterium de Belloloco, Lingonensis dioecesis, ac abbatissam et conventum monasterii monialium de Bellomonte eiusdem dioecesis, videlicet de octo eminis bladi per medietatem frumenti et avenae per praedictos de Belloloco eisdem de Bellomonte debitis, quae propter paupertatem et desolationem dicti monasterii de Belloloco, de consensu dictae abbatissae et conventus de Bellomonte, redu-

---

1441. *Fontes* : L^3 : 1-72 ; *M* : 51, 56, 60, 68, 69 ; P^2 : 1, 51, 56, 60, 68, 69, 72. [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Eugenio Papa IV, ...rege Francorum, Philippo duce Burgundiae : P^2.

cuntur ad quinque eminas bladi supra nominati, eisdem de Bellomonte in termino Omnium Sanctorum ab ipsis de Belloloco de cetero annuatim persolvendas, generale Capitulum confirmando ratificat et approbat ; ita tamen quod de cetero dictae quinque eminae bladi supradicti amplius non poterunt ullo modo diminui vel augeri.

8. Tractatum contentum et habitum in litteris, quibus haec praesens diffinitio annectitur, quia ad utilitatem non modicam et profuturum monasterii de Prulliaco luculenter apparent, ut clarius patet et continetur in praedictis litteris, generale Capitulum confirmando ratificat et approbat.

9. Generale Capitulum cum fratre Theobaldo de Lingon, monacho expresse professo monasterii Theoloci, qui habitu regulari derelicto, longo tempore spatio fere decem annorum vel ultra, in saeculo vagabundus remansit, dispensat misericorditer quia valde bene ad suum monasterium religiosissime se habuit, ut hoc non obstante ad omnes Ordinis actus legitimos nullo secluso promoveri, si casus acciderit, valeat et assumi.

10. Abbatibus de Ursicampo, de Valle Beatae Mariae, s. th. pr., de Ioyaco et Regali monte committit Capitulum generale, ac alteri eorumdem, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus quas reperient monasterio de Prulliaco legitime obligatas, vel teneri in aliquibus pecuniarum summis vel rebus aliis quibuscumque et quomodocumque, ad satisfaciendum abbati et conventui ipsius de Prulliaco monasterii viriliter per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia cogant et debite compellant, vel alter eorumdem cogat et debite compellat, in ipsius Capituli generalis potestate plenaria.

11. Ad idem committitur abbatibus de Igniaco, de Valle Regis et de Signiaco, pro monasterio Vallis clarae.

12. Ad idem committitur abbatibus de Valle clara et de Igniaco, pro monasterio Vallis regis.

13. Abbati de Fonteneto committitur ad idem pro monasterio Quinciaci, et ad idem committitur domino Pontigniaci et abbatibus de Prulliaco et de Valle clara, pro monasterio Ioyaci.

14. Generale Capitulum committit abbatibus de Ioyaco et de Barbello, quatinus quantocius poterunt aut poterit alter ipsorum, se informent utrum scambium fiendum de tribus terrae quarteriis ad mensuram patriae, contiguis magno itineri venienti de Pruvino ad Brayum super Secana de Pruto, et ab alio latere

tenenti terrae cappellae de Parreto, pertinentibus monasterio Prulliacensi, in loco qui dicitur lez Ourmes situatis ad quoddam arpentum bonae terrae, situm inter terras de campo petroso, quae terra de campo petroso pertinet eidem Prulliacensi monasterio ; et dictum arpentum pertinet Gaufrido le Taye, si utilius eidem monasterio quam huiusmodi tria quarteria terrae supradictae.

15. Quotas contributionum modernarum abbates et monasteria de Tribus fontibus, de Longovado, de Albaripa, de Rigniaco, de Moris, de Altofonte et de Cheminione concernentes, generale Capitulum, considerata paupertate praedictorum monasteriorum, intuitu pietatis, pro isto anno dumtaxat eisdem abbatibus et monasteriis integre quittat et remittit benigniter, cum arreragiis praedictarum.

16. Cum fratre Henrico Rippant monacho monasterii de Callovio, qui spatio fere unius anni in habitu regulari, se divinis immiscendo, apostatavit, tamen regressus ad Ordinem in dicto Callovii monasterio humiliter et devote peregit poenitentiam sibi propterea iniunctam, generale Capitulum dispensat misericorditer, ut his non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, abbatiali dignitate seclusa, promoveri valeat pariter et admitti.

17. Contentum ac etiam totum tenorem habitos in litteris, quibus haec praesens nostra diffinitio est annexa, quia ad utilitatem non modicam et profuturum monasterii de Mansiade, Vivariensis dioecesis, apparuerunt evidenter, ut continetur plenius in dictis litteris, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

18. Habilitationem, quam ex gratia speciali auctoritate domini Cistercii et generalis Capituli contulit et dedit dominus Pontigniaci sorori Ludovicae de Clinay, moniali monasterii monialium de Loco Nostrae Dominae anno Domini 1439, ac si tempore illo a praedictis domino Cistercii et Capitulo generali emanasset vel concessa fuisset, quia idem dominus Pontigniaci tunc temporis posse habebat, generale Capitulum ex scientia certa habet gratam ipsamque ratificat et approbat.

19. Supplicationem abbatis de Ponte Oltrani annuit generale Capitulum, ut non obstante quod frater Matheus de Hayen, monachus dicti monasterii apostataverit per 20 annos vel eo amplius, et apostatando se divinis immiscuerit, quia tamen ad monasterium suum regressus peccata sua lacrimabiliter deflens

poenitentiam sibi iniunctam devote de die in diem peregit, eidem fratri Matheo conceditur per ipsum Capitulum, quatinus quoties celebrare missam voluerit, celebret, mediante tamen quod ieiunare teneatur bis in hebdomada usque ad nutum abbatis sui, et quod sit ultimus omnium sacerdotum dicti monasterii in choro et alibi.

20. Fratres Ludovicus Augustini, quondam abbas monasterii Beatae Mariae de Palacio, et Michael de Monte eiusdem loci monachus, sufficienter et debite citati ad praesens generale Capitulum, quia nec per se nec per alium comparuerunt sufficienter expectati; idcirco praefatum generale Capitulum eos declaravit contumaces et excommunicatos, et pro contumacibus et excommunicatis vult ab omnibus et singulis personis Ordinis reputari et censeri.

21. Intuitu pietatis, audita desolatione monasterii de Fontanis albis, et ita sit quod dictum monasterium sit taxatum ad contributiones Ordinis in summa 20 florenorum secundum astallationem sex millium, et unam summam 25 florenorum generale Capitulum eidem monasterio de Fontanis albis propter guerrarum turbines et alia infortunia, quae toti patriae, proh dolor! quotidie eveniunt, relaxat benigniter et reducit usque ad quinquennium proxime futurum de gratia speciali, summam quinque florenorum absolvens ipsum ab arreragiis praeteriti temporis.

22. Concedit generale Capitulum abbati de Populeto facultatem et potestatem licentiam concedendi ad vendendum infeodandum vallem Domicillam veterem abbatissae Vallis Domicillae, si utile dicto monasterio iudicaverit, proviso tamen, quod si vendatur, pretium inde receptum ad emendum utiliores fructus convertatur.

23. Abbati de Benifaceano committit generale Capitulum, quatinus abbati de Populeto terras incultas, steriles et minus utiles ut vendat alienet de novo stabili et sub minori pretio, licentiam et facultatem impertiatur, proviso tamen, quod si vendatur pretium inde receptum ad emendum utiliores fructus convertatur.

24. Ad requestam generosi domini Ludovici principis Aureicarum, pensionem annuam centum francorum quam sibi reservavit supra monasterium Montis Sanctae Mariae, frater Ioannes Bonneti, olim abbas dicti loci, praesens generale Capitulum eam cassat, irritat et annullat, et ipsum fratrem Ioannem perpetuo privat de eadem, praecipiendo et districte iniungendo abbati et conven-

tui eiusdem monasterii sub poenis suspensionis a divinis, ne de cetero, quavis de causa eidem fratri Ioanni Bonneti dictam pensionem solvant aut solvi permittant, in toto vel in parte, eidem fratri Ioanni Bonneti sub poena excommunicationis praecipiendo, quatinus praedictum abbatem et conventum super dicta pensione non molestet amplius aut inquietet.

25. Per generale Capitulum dispensatur benigniter cum fratre Stanislao Karaich, professore monasterii Seleone, Gnesnensis dioecesis, super apostasia per ipsum commissa et perpetrata spatio septem annorum aut circiter; super quod etiam poenituit humiliter iuxta ordinationem sui abbatis, ut his non obstantibus ad omnes Ordinis legitimos actus, voces, gradus, administrationes et dignitates, etiam abbatialem, si contingat, promoveatur simul et admittatur.

26. Frater Nicolaus monachus de Tironello, qui per abbatem de Campania fuit legitime citatus ad primam huius Capituli diem, et diu expectatus non comparuit per se, neque per alium; et his non obstantibus de novo mandat et citat ad idem proxime futurum generale Capitulum praefatum monachum, et eum declarat contumacem et excommunicatum per praefatum abbatem de Campania.

27. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Folkaide [*Volkerode*] et de Veteri cella facultatem et potestatem, pro semel dumtaxat et absque praeiudicio visitatorum a Capitulo generali deputatorum et deputandorum, visitandi et reformandi omnia et singula, quae visitanda et reformanda repererint, in plenaria Ordinis potestate, in monasterio de Dubrilug iuxta Ordinis statuta.

28. Conceditur abbati de Mulbruno, quatinus in foro conscientiae omnes et singulos religiosos dicti monasterii pro semel ab omnibus casibus Capitulo reservatis absolvere valeat, in plenaria Ordinis potestate.

29. Provisionem concessam fratri Gerardo provisori in Heydelberga per generale Capitulum sive dominum Cistercii, generale Capitulum ratificat et confirmat.

30. Generale Capitulum dispensat misericorditer cum fratre Ioanne Le Picard, ut non obstante quod manus violentes iniecerit in quemdam abbatem Ordinis, videlicet de Lanvaux, absque maxima violentia, abbas suus possit absolvere ipsum a sententiis, quas incurrit occasione huiusmodi iniectionis et etiam

irregularitate et aliis suis excessibus semel dumtaxat; super quod idem Capitulum suam onerat conscientiam.

31. Generale Capitulum audito planctu sororis Claudiae Famote monialis monasterii de Vernezone, Viennensis dioecesis, quae instigante diabolo manus violentas iniecit in fratrem Petrum de Trecis, confessorem praedicti monasterii Vallis Breyssiaci, absolutionem committit abbati Bonaevallis patris abbati praefati Vallis Breyssiaci monasterii.

32. Electionem, installationem et confirmationem die 18 mensis iunii anno Domini 1440 de persona fratris Nicolai Sthermer in abbatem monasterii de Reynevelde, dioecesis Lubicensis, nostri Cisterciensis Ordinis, per abbatem de Lucka Myndensis dioecesis, patrem abbatem immediatum praedicti monasterii de Reynevelde, canonice factas et celebratas, uti in decreto, cui haec praesens nostra diffinitio annectitur plenius continetur, idem praesens Capitulum generale confirmat, ratificat et approbat.

33. Per generale Capitulum benigniter dispensatur cum fratre Ioanne Courteboute, monacho Sancti Leonardi de Calmis, Xantonensis dioecesis, ut non obstante quod, humani generis inimico suadente, illicentiatus a suo monasterio bina vice recessit et in divinis secunda vice se immiscuerit, sed quia postmodum ad suum monasterium regressus poenitentiam sibi iniunctam humillime et lacrimabiliter peregisse dignoscitur, ad omnes Ordinis actus legitimos, abbatiatu secluso, promoveri valeat et assumi.

34. Potestatem et facultatem visitandi, reformandi omnia et singula monasteria in regnis Hispaniae, cum plenaria Ordinis potestate, abbati Morimundi cum clausulis opportunis committit praesens generale Capitulum.

35. Generali Ordinis in romana Curia procuratori fratri Ioanni Magdale, s. th. pr., praesens generale Capitulum concedit facultatem et potestatem visitandi et corrigendi, contributionesque colligendi in tota italica natione, cum potestate substituendi, revocando omnes alias commissiones, super praemissis concessas cum clausulis opportunis.

36. Cum fratre Ioanne de Sendricuria, dudum abbate de Bullione, qui spatio fere unius anni, cum professionem alicui abbati Ordinis nostri nusquam impendens, in saeculo quasi vagabundus permansit, quia tamen ad ipsum Ordinem regressus et domino Claraevallis humiliter et cum fletu professionem regularem impendisse dignoscitur, generale Capitulum misericorditer et cum

effectu dispensat, ut his non obstantibus ad omnes actus Ordinis legitimos, gradus et officia valeat promoveri.

37. Praesens generale Capitulum de gratia speciali renovat commissionem abbatis Populeti per hoc continuum sequens triennium.

38. Electionem, installationem et confirmationem 12 die mensis novembris anno Domini 1440 de persona fratris Nicolai, s. th. pr., in abbatem monasterii de Caesarea, Ordinis nostri Cisterciensiis, Augustensis dioecesis, per abbatem monasterii de Fonte salutis, Eystetensis dioecesis, commissarium abbatis de Lucella, Basileensis diocesis, patris abbatis praedicti monasterii de Caesarea canonice factas et celebratas, prout in decreto cui nostra praesens diffinitio annectitur plenius continetur generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat.

39. Electionem, installationem et confirmationem 12 die mensis octobris anno Domini 1439 de persona fratris Ioannis de Nudins in abbatem monasterii de Callovio, Bituricensis dioecesis, nostri Ordinis Cisterciensis, per dominum abbatem Pontigniaci, patrem abbatem immediatum antedicti monasterii de Callovio canonice... etc., *ut supra.*

40. Electionem, installationem et confirmationem die penultima mensis maii anno Domini 1438 de persona fratris Guillelmi Kaerguien, monachi et professi monasterii de Begard, nostri Cisterciensis Ordinis, Trigorensis dioecesis, in abbatem monasterii de Lanvaux, per abbatem monasterii de Langonio, Corizopitensis dioecesis, patrem abbatem immediatum antedicti monasteriis de Lanvaux, praedicti Ordinis, Venetensis dioecesis, canonice... *etc.*, *ut supra.*

41. Concedit generale Capitulum potestatem abbati de Columba, de Strata et de Caravalle concedendi licentiam abbati monasterii Vallis serenae, alias Sancti Martini, vendendi, alienandi et permutandi, infeodandi terras multas seu possessiones et domos minus utiles suo monasterio, ita tamen quod pretium inde habitum vel habendum ad alios usus, quam ad emendum alias possessiones vel domos in civitate Palmae utiles, non applicetur, praecipiens eidem abbati de Columba, quatinus omnia facta per eum in hac parte sequenti intimet Capitulo generali.

42. Abbatibus de Insula Barrensi, de Vallibus in Ornesio, de Sancto Benedicto in Vepria, de Villerio Metensi, de Belloprato in Lotharingia, de Claroloco, de Clarofonte et de Dulci-

valle, attentis desolationibus quae occasione guerrarum praedicta monasteria sustinuerunt, praesens generale Capitulum eisdem abbatibus de gratia speciali medietatem suarum contributionum anno 1440 eis impositarum benigne concedit et remittit.

43. Electionem, installationem et confirmationem die sabbati in vigilia palmarum, anno Domini 1440 de persona fratris Ioannis de Navis in abbatem monasterii de Vallibus in Ornesio, nostri Cisterciensis Ordinis, per dominum Morimundi, commissarium in hac parte auctoritate Capituli generalis deputatum, canonice... *etc.*, *ut supra*.

44. Cum instigante humani generis inimico, frater Ioannes monachus monasterii de Sibo, nostri Cisterciensis Ordinis, contagium carnis commiserit convictusque repertus fuerit, nihilominus relatu sui abbatis poenitentiam propter et super hoc sibi iniunctam humiliter et devote cum effectu adimplevit, praesens generale Capitulum misericorditer cum dicto fratre dispensat, ut hoc non obstante ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, administrationes et dignitates, abbatiali dumtaxat seclusa, promoveri valeat pariter et admitti.

45. Generale Capitulum certis causis et rationabilibus necessitatem et agenda Ordinis in Curia romana tangentibus, militibus militiae Calatravae, nostri Ordinis praefati, imponit subsidium triginta millium florenorum per commissarios et receptores per dominum Cistercii deputandos.

46. Generale Capitulum praecipit, mandat et iniungit in virtute salutaris obedientiae domino Pontigniaci et abbati de Quinciaco et eorum cuilibet in solidum, quatinus Petrum de Tossiaco, monachum expresse professum monasterii Quinciaci, tanquam apostatam apprehendant et capiant secundum nobis indulta apostolica privilegia, aut capi et apprehendi faciant ubicumque reperiatur extra franchisiam laicorum, eumdem in carceribus retrudentes, et inibi remaneat usque ad nutum Capituli generalis vel domini Cistercii in ipsius Capituli potestate plenaria, invocato, si opus fuerit, auxilio et favore iudicum ecclesiasticorum et brachii saecularis.

47. Abbati monasterii de Veteri monte committit generale Capitulum, quatinus cum diligentia magna se informet an electio nuperrime in monasterio de Hegene, Maguntinensis dioecesis, facta debite et canonice fuerit celebrata, et si eam invenerit rite et canonice et secundum Ordinis statuta fuisse factam, illam auc-

toritate ipsius generalis Capituli ratificet, confirmet et approbet.

48. Abbatibus de Rigniaco et de Bullione praecipit generale Capitulum districte sub poena depositionis, quatinus infra festum beati Bernardi proxime venturi, personaliter se praesentet in monasterio Claraevallensi, coram domino abbate et conventu eiusdem, de suis officiis ac bonis ipsius per ipsos perceptis condignam rationem reddituri.

49. Abbatibus de Fonteneto et de Longovado committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulas utriusque sexus personas Ordinis quas reperient domino Claraevallis et suo monasterio legitime et efficaciter obligatas... *etc., ut in forma consueta.*

50. Abbatem de Fontis frigidi multipliciter excommunicatum et aggravatum ab abbate Grandis silvae, et quod noluit sibi obedire et causas ob quas fratrem Antonium Amelii monachum Fontis frigidi in carceribus detinebat, renuit eidem abbati Grandis silvae revelare, tamquam iniuste et indebite excommunicatum et aggravatum, auctoritate Ordinis absolvit praesentium tenore praesens Capitulum generale, decernens dictum fratrem Antonium in carceribus per eumdem abbatem Fontis frigidi detinendum cum omni tutela usque ad nutum Capituli generalis, praecipiens eidem abbati Grandis silvae ne amplius de praedictis aliquo modo se intromittat, sententiam latam et omnia alia facta per dictum abbatem Fontis frigidi contra et adversus praefatum fratrem Antonium ratificando et confirmando.

51. Generale Capitulum legitime informatum de morum honestate ac prudentia ceterisque virtutibus fratris Petri Porcell, monachi Populeti, tenore praesentium, non obstante, quod [non] sit in sacris ordinibus constitutus nec valeat promoveri ob unam manum quam quasi aridam habet, concedit eidem fratri Petro, quod in choro ac in omnibus aliis locis gradum et locum quo ingressus est, ordinem tenere possit et valeat, de voluntate tamen et placito abbatis Populeti.

52. Domino abbati Claraevallensi iniungit praesens generale Capitulum, et districte praecipit, quatinus infra festum beati Ioannis Baptistae proxime venturi, per se vel per alium sufficientem et idoneum abbatem, visitet monasterium de Bullione sibi subditum, ac idem auctoritate praedicti Capituli generalis.

53. Renuntiationem factam per sororem Thomasiam abbatis-

sam Sancti Donati extra muros Florentiae de dicta abbatia in manibus fratris Ioannis Magdale, s. th. pr., ac in romana Curia generalis procuratoris, praesens generale Capitulum acceptat, ipsam Thomasiam per praesentes declarans amplius non esse abbatissam praefati monasterii Sancti Donati.

54. Abbati Berdonarum praesens generale Capitulum committit et iniungit, quatinus monasteria de Mataplana, de Palaciolis, de Rivo sicco et de Bona valle, ut pater abbas visitet et reformet, donec monasterium Vallis bonae ad plenam Ordinis obedientiam et subiectionem fuerit plene reductum, mandando abbati de Spina sub poena depositionis, quatinus nullum tractatum habeat aut ineat cum Martino super praedictis monasteriis sibi subiiciendis, decernens per praesentes quidquid in contrarium foret attentatum irritum et inane, ipsum quoque depositum declarat, si praesentibus non paruerit mandatis.

55. Abbatem de Obazina anno praeterito pro contumacia excommunicatum, praesens generale Capitulum eumdem abbatem certis de causis aggravatum et reaggravatum denuntiat, et pro aggravato et reaggravato vult reputari ab omnibus personis regularibus Ordinis, in dioecesi Lemovicensi degentibus, atque in monasteriis ipsorum singulis diebus dominicis praecipit districte denuntiari.

56. Abbatum ad romanam Curiam accedentium abusum contra Ordinis statuta non valens generale Capitulum sustinere, generali Ordinis procuratori in eadem Curia, districte praecipit et iniungit quatinus omnes et singulos abbates ad dictam Curiam accedentes capi et incarcerari faciat, nisi se coram dicto procuratore infra tres dies repraesentent eosque ibidem minime permittat residere, nisi eidem procuratori legitime constiterit suorum monasteriorum aut Ordinis causas accomodas prosequi ad portandum habitum honestum et religiose conversandum residentes compellendo.

57. Abbatibus de Morimundo, de Caritate et de Bello prato in Lotharingia committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas utriusque sexus Ordinis personas, quas reperient domino abbati de Crista et suo monasterio legitime et efficaciter obligatas... *etc., ut in forma consueta.*

58. Ad idem committitur abbatibus de Campania et de Eleemosina, pro abbate de Claritate Dei.

59. Ad idem committitur abbatibus de Nigro lacu et de Landesio, pro abbate de Pratea.

60. Pro statu et pace universalis sanctae matris Ecclesiae ac unione eiusdem, necnon pro tranquillitate regum et principum christianorum, ac bona dispositione et serenitate temporis, praesens generale Capitulum omnibus et singulis personis Ordinis utriusque sexus iniungit, ordinat, praecipit et mandat, quod de cetero omnibus diebus dominicis et festis sermonum, in singulis Ordinis monasteriis, fiat processio per claustrum, et decantetur in prima statione *Exurge Deus, adiuva nos*, in secunda dicatur cantando *Aspice, Domine de sede sancta tua*, etc., cum suo versiculo et in tertia antiphona *Salvator mundi, salva nos*, etc., cum collectis adiunctis, *Ecclesiae, Deus a quo*, etc., et *Concede nos*, etc.

61. Praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat omnia et singula facta et actitata per dominum Cisterciensem et suum commissarium abbatem de Campania in depositione abbatis de Oratorio, et institutione fratris Ioannis Graillonis, s. th. pr., in abbatem ipsius monasterii de Oratorio, et aliis in processibus ipsius abbatis de Campania contentis, nihilominus committendo domino Cistercii una cum dominis abbatibus de Maceriis et de Caritate facultatem audiendi et fine debito terminandi negotium, in plenaria generalis Capituli saepedicti potestate, super illis dumtaxat super quibus a domino Cistercii usque ad proximum festum beati Ioannis Baptistae habuerint dilationem.

62. Abbatibus de Maceriis, de Balerna, de Bellavalle, de Caroloco, de Castellariis, de Moroliis, de Gratia Dei Pictaviensi, de Bella brancha, de Ré, de Buzayo, de Villa nova, de Claromonte, de Savignyaco, et de Oliva, praecipit et mandat praesens generale Capitulum sub poena depositionis, quatinus omnibus excusationibus postpositis et reiectis, scolares idoneos et habiles, cum debitis et sufficientibus provisionibus infra festum beati Remigii proxime futuri mittant Parisius ad collegium Sancti Bernardi, alioquin si oppositum fecerint, ab eis et a quolibet ipsorum exigetur summa in Benedictina contenta.

63. Abbati de Eberbaco praesens generale Capitulum committit visitationem et correctionem secundum statuta Ordinis monasterii monialium Sancti Ioannis propre Alczeyam faciendam, per hoc sequens triennium in plenaria ipsius Capituli generalis potestate.

64. Abbatibus de Bonavalle Viennensis, et de Campis bonis, Vivariensis dioecesium, committit generale Capitulum, quatinus

diligenter se informent an grangia vocata Bonus Locus pertinens monasterio Vallis crescentis, Dienensis dioecesis, sit sterilis an fructuosa eidem monasterio, referantque sequenti Capitulo generali quidquid fideliter invenerint, ut eidem monasterio secundum relata possit provideri.

65. Electionem, installationem et confirmationem 7 die mensis februarii anno Domini 1441 de persona fratris Mathiae in abbatem monasterii in Sitich nostri Cisterciensis Ordinis, per abbatem monasterii de Runa, Salzeburgensis dioecesis, patrem abbatem immediatum praefati monasterii in Sitich, rite et canonice factas et celebratas, *etc.*, *ut in forma consueta.*

66. Provisionem factam in monasterio de Kopronuitia de persona fratris Nicolai Groth per abbatem monasterii de Clara tumba, Cisterciensis Ordinis, auctoritate commissionis Capituli generalis eidem super hoc traditae, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

67. Processum per abbatem de Oliva factum et omnia contenta in eodem quoad electionem et provisionem monasterii de Casuis, generale Capitulum tamquam iuri consonum ratificat, confirmat et approbat.

68. Abbatibus universi nostri Cisterciensis Ordinis generale Capitulum inhibet et praecipit ne de cetero quoscumque monachos Ordinis nostri, virtute quarumcumque dispensationum obtentarum vel obtinendarum recipiant. Insuper abbates licentiam transeundi ad Ordinem monachorum nigrorum concedentes suis monachis idem Capitulum ipso facto denuntiat excommunicatos, et ab omnibus personis Ordinis regularibus vult censeri.

69. Ut uniformitas in Ordine de cetero observetur, praesens generale Capitulum statuit, ordinat, diffinit et districte praecipit tam abbatibus quam monachis et aliis regularibus personis nostri Cisterciensis Ordinis, quatinus tam in habitu, victu et aliis cerimoniis in Ordine servari consuetis a sanctis patribus nobis traditis, quam in omnibus aliis honestatem et religionem concernentibus, sub poenis suspensionis a divinis, omnes studeant uniformiter et regulariter vivere.

70. Omnes et singulas rehabilitationes per abbatem de Molinis, Leodiensis dioecesis, facta in monasteria de Ellancio, praesens generale Capitulum cassat, irritat et penitus annullat.

71. Abbatibus de Ebracho et de Hesterbach committit generale Capitulum per praesentes, quatinus diligenter se informent

an electio facta in monasterio de Machera, Trevirensis dioecesis, fuerit canonice et secundum statuta nostri Cisterciensis Ordinis celebrata, quam si ita invenerint fuisse factam, auctoritate praefati Capituli generalis confirment, ratificent et approbent.

72. Generale Capitulum ex nunc omnes commissiones per dominum Cistercii defunctum, ac alios Ordinis abbates quomodocumque concessas penitus revocat, cassat et annullat, atque ne sit confusio diffinit idem generale Capitulum, quod de cetero in omnibus commissionibus fiendis apponatur illa clausula, videlicet : Salvo iure et sine praeiudicio patrum abbatum.

1442

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, statuta sunt haec apud Cistercium in mense maii, in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1411, *n*o 7.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

7. Domino Pontigniaci et abbatibus de Fonteneto et de Rigniaco et eorum cuilibet per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque

---

1442. *Fontes* : L^3 : 1-93 ; *M* : 20, 45, 67, 72, 83 ; P^2 : 1, 20, 45, 67, 72, 76, 83. [a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Eugenio Papa IVo ; ...rege Francorum ; Philippo duce Burgundiae : P^2.

sexus, quas in quibuscumque pecuniarum summis vel rebus aliis repererint obligatas monasterio Quinciaci et conventui ipsius, ad satisfaciendum eisdem viriliter cogant et debite compellant, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

8. Ad idem pro abbate de Longovado committitur abbatibus de Albaripa et de Moris.

9. Ad idem committitur abbatibus de Valle Beatae Mariae, s. th. pr., de Ioyaco et de Regali monte, pro monasterio Prulliaci.

10. Ad idem committitur Domino Morimundi et abbatibus de Caritate, de Caroloco, Longovado et de Albis petris, pro monasterio de Crista.

11. Ad idem committitur domino Pontigniaci et abbatibus de Prulliaco et de Valle Beatae Mariae, s. th. pr., pro monasterio de Ioyaco.

12. Ad idem committit generale Capitulum de Longovado et de Rippatorio monasteriorum abbatibus, pro monasterio Claraevallis.

13. Ad idem committit generale Capitulum abbatibus de Prulliaco et eorum cuilibet, pro monasterio Pontigniaci.

14. Electionem, installationem et confirmationem prima die mensis februarii anni 1441 de persona fratris Henrici Bruslay, plenum in sacra pagina baccalaureum, cursorem religiosorum monasterii Beatae Mariae de Bella brancha, Cenomanensis dioecesis, in abbatem monasterii de Claritate, per abbatem de Fonte Danielis et de Campania commissarios reverendissimi in Christo patris domini Cistercii, patris abbatis eiusdem monasterii de Claritate, factas et celebratas, secundum statuta nostri Cisterciensis Ordinis, ut in decreto, cui haec praesens nostra diffinitio annectitur plenius continetur, idem praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat.

15. Ad idem fiat pro fratre Ioanne Vramt, monacho expresse professo monasterii Doberan, nostri Cisterciensis Ordinis, electo canonice in abbatem dicti monasterii de Doberan et confirmato per abbatem monasterii Amelongesbornae praedicti Ordinis, Hildeshemiensis dioecesis, patrem abbatem dicti monasterii Doberan, sexto idus quae fuit decima martii anni 1442 more romano.

16. Ad idem fiat pro fratre Ioanne de Tyno, sacerdote professoque et priore monasterii de Signiaco, nostri Cisterciensis Ordinis, Remensis dioecesis, in abbatem monasterii Teraceniae

de Bonofonte, dictorum Ordinis et dioecesis, per meritam depositionem, legitimamque destitutionem domini Iacobi de Maronisart ipsius monasterii regimini ultimo praesidentis, et confirmato per abbatem Signiaci, patrem abbatem ipsius de Bonofonte monasterii secunda de mensis ianuarii anno Domini 1441, more gallicano.

17. Omne contentum et totum tenorem habitos in litteris quibus nostra praesens diffinitio annectitur, quia ad utilitatem non modicam monasterii de Albaripa videnter apparent, ut clarius patet et continetur in praedictis litteris, generale Capitulum ratificat, approbat et ex certa scientia confirmat.

18. Cum fratre Remigio, monasterii de Acceyo, qui timore poenae et correctionis eidem imponendae, suadente humani generis hoste, regulari habitu minime dimisso, spatio fere trium mensium in saeculo vagus apostatando remansit, se divinis immiscendo, et quia, ut relata sui abbatis comperitur, poenitentiam sibi iniunctam devotissime peregisse dignoscitur, generale Capitulum praedictum fratrem Remigium absolvit benigniter, et super irregularitate propter hoc contracta, misericorditer dispensat cum eodem, volens quod ad omnes Ordinis actus legitimos, abbatiali dignitate dumtaxat seclusa, promoveatur pariter et assumatur.

19. Consimiliter cum fratre Ioanne de Nigella et Ioanne Gorgas, qui habitu regulari minime derelicto, per sex hebdomadas apostataverunt, generale Capitulum dispensat, ut hoc non obstante ad omnes Ordinis actus legitimos, etiam, etc...

20. Unionem, annectionem sive incorporationem monasterii monialium de Buxeto monasterio Aquaebellae, in Tricastinensi [c] dioecesi, alias auctoritate Ordinis sive Capituli generalis factam, quae etiam a diu suum sortita est effectum, generale Capitulum auctoritate apostolica ex indulgentia Summorum Pontificum ex post ipsi generali Capitulo in talibus specialiter concessa, approbat, ratificat et confirmat, ac etiam eidem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eamdem renovat.

21. Omnia contenta in litteris domini Morimundi, quibus haec nostra diffinitio annexa, contra fratrem Leonhardum Weyman monasterii de Caesarea monachum, praefatum Capitulum ratificat et confirmat.

---

[c] Castriensi : *MP*2.

22. Auditis et consideratis fratris Conradi abbatis de Luzela corporis debilitate et senio, generale Capitulum super hoc fide dignis relatibus informatum, ipsum abbatem a via Capituli generalis deinceps habet favorabiliter excusatum.

23. Fratres Ioannem Guerdon, diaconum et Ioannem Guendon, nullum sacrum ordinem habentem, monachos Fontis Danielis, non obstante quod ipsi ambo per aliquod temporis spatium apostataverint, quia tamen poenitentiam sibi super his iniunctam lacrimabiliter peregerunt, generale Capitulum rehabilitat et cum eis dispensat, ut ad Ordinis legitimos actus, abbatiali dignitate dumtaxat seclusa, promoveri valeant simul et admitti.

24. Propter diversa infortunia, paupertates et desolationes quas patitur monasterium de Langonio a longe tempore, generale Capitulum pietatis intuitu praeteriti temporis cuncta contributionum arreragia per abbatem et conventum ipsius monasterii debita, quittat penitus et benigne omnino remittit.

25. Cum fratre Petro Nuzi, monacho monasterii de Reliquiis, qui, licet de contagio carnis convictus extitit, nihilominus poenitentiam ob tantum scelus eidem a suo abbate iniunctam lacrimabiliter et cum eiulatu devotissime peregisse dignoscitur, generale Capitulum dispensat benigniter, quatinus ad omnes actus Ordinis decentes et legitimos hoc non obstante promoveatur et admittatur, abbatiatu dumtaxat secluso.

26. Abbatibus monasteriorum de Fonte salutis et de Fonte Regis coniunctim generale Capitulum praecipiendo committit, quatinus ad monasterium Caesariense quantocius accedant personaliter, et si inibi repererint quod ad utilitatem et profuturum dicti de Caesarea monasterii sit aliqua et certa bona vendere aut etiam impignorare vel pecuniam ad vitas hominum recipere pro solutione debitorum, quae se ultra decem et octo millium florenorum extendunt, ut continetur in supplicatione eorum de Caesarea, super quod dictum Capitulum conscientias praedictorum abbatum de Fonte salutis et de Fonte Regis penitus exonerat, eisdem de Caesarea auctoritate generalis Capituli concedant, ut ipsi aut impignorare aut pecuniam ad vitas hominum recipere possint usque dumtaxat ad summam quatuor millium florenorum et non ultra.

27. Licet frater Coquille, monachus monasterii de Campania, per triennium vel quasi, habitu regulari derelicto, per saeculum vagabundus apostataverit in suae salutis detrimentum, quia

tamen ad suum monasterium regressus poenitentiam sibi iniunctam devote peregit, generale Capitulum cum praedicto fratre dispensat benigniter, quatinus promoveatur ad omnes Ordinis actus legitimos et admittatur, abbatiali dignitate tantummodo seclusa.

28. Electionem, installationem et confirmationem decima die mensis martii anno Domini 1441 more gallicano de persona fratris Petris de Montigneyo moderni, cellerarii monasterii Claraevallis in abbatem monasterii de Rippatorio, nostri Cisterciensis Ordinis, Trecensis dioecesis, per dominum Claraevallis, patrem abbatem praedicti de Rippatorio monasterii factas et celebratas, prout in decreto... etc.

29. Generale Capitulum absolvit et habilitat fratrem Ioannem de Puteolis ut, non obstante quod ipse monasterium de Signiaco, in quo professus est, illicentiatus exivit et per decennium in saeculo remansit, reversusque ad ipsum monasterium humiliter se habuit et peregit poenitentiam sibi iniunctam, ad omnes Ordinis actus legitimos admittatur, nullo secluso, et promoveatur.

30. Attenta armatorum multitudine, quibus ad praesens circumdatur monasterium de Belloprato Tullensi, abbatem ipsius monasterii a via praesentis Capituli, ad quod comparendum citatus fuerat, Capitulum antedictum habet favorabiliter supportatum.

31. Capitulum generale abbatem monasterii de Villerio Metensi, qui citatus fuerat ad comparendum Capitulo generali in propria persona, quia praepediente ipsum corporis infirmitate et imbecillitate non valens venire, habet favorabiliter ista vice excusatum.

32. Capitulum generale cum fratre Desiderio Delmonte, monacho monasterii de Claroloco, qui super carnis contagio extitit convictus, dispensat, ut non obstante quod conversatus fuerit cum armatis et quod de carcere exiverit in quodam castro et quod quemdam fratrem Goffridum eiusdem monasterii, monachum fugitivum deceptorio adduxerit usque prope monasterium, qui compehensus fuit et incarceratus pluribus de causis, eidem fratri Desiderio ab aliis fratribus monasterii frequenter improperatur de traditione, et quod propter praedicta sit inhabilis, ut, non obstantibus, possit ad omnes actus Ordinis, officia, dignitates, etiam abbatiatum si sua suffragentur merita, promoveri valeat et assumi.

33. Ad instantiam abbatis de Claroloco cum fratre Ioanne Nicolai, monacho ipsius monasterii de Claroloco, ut non obstante quod fratrem Ioannem Perini eiusdem monasterii monachum usque ad effusionem sanguinis percussit infra clausuram monasterii, dispensatur per generale Capitulum, quatinus poenitentia sibi ab abbate proprio imponenda propter hoc, possit ad omnes actus Ordinis legitimos, citra tamen abbatiatum, promoveri valeat et admitti.

34. Licet frater Franciscus de Guyse, monachus monasterii de Fusniaco, manus violentas iniecerit in quemdam religiosum et in ecclesia eiusdem monasterii, non tamen usque ad sanguinis effusionem, et propter hoc per priorem loci fuit sibi aditus ecclesiae prohibitus, et postea a spiritu maligno ductus perrexit ad subpriorem ipsius monasterii gratia confidendi, qui subprior noluit ipsum absolvere, sicut nec potuit, imo ad abbatem eumdem fratrem, ut debebat remisit. Qui quidem frater ad alium confessorem quam ad abbatem ivit, etiam facta confessione, se divinis suae salutis immemor immiscuit, quibus sic peractis punitionem carceris merito sustinuit aliasque poenitentias sibi iniunctas humiliter adimplevit et devote, attamen praedictis non obstantibus generale Capitulum praedictum fratrem Franciscum remittens ad suum abbatem, absolutionem excommunicationis et dispensationem irregularitatis inde contractae per ipsum fratrem, eidem abbati ut eum absolvat ab excommunicatione quam ipse incurrit, et secum dispensat super irregularitate, quam se divinis immiscens contraxit, totaliter committit.

35. Cum fratre Thoma de Salmasiis, monacho de Cheminione, qui spiritu maligno ductus, in saeculo vagabundus in apostasia se divinis immiscens, irregularitatem contraxit, quia tamen ad suum monasterium regressus poenitentias sibi iniunctas humiliter et devote peregit, generale Capitulum dispensat et absolvit, ut his non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, abbatiatu secluso, admitti valeat et assumi.

36. Abbati de Fusniaco committitur per generale Capitulum, quatinus ad monasterium monialium de Fervax quantocius personaliter accedens, inibi se informet de quodam tractatu ineundo cum domino temporali de Pyoisi super quibusdam terris arabilibus et manso, in quo solebat esse grangia dicti monasterii de Fervax, affectis et obligatis ab antiquo magnis redditibus praedicto domino de Pyoisi, et si dictus tractatus fuerit utilis vel

inutilis eidem monasterio de Fervax in sequenti Capitulo habeat veraciter reportare.

37. Abbati de Prulliaco committit generale Capitulum, quatinus quantocius commode poterit ad monasterium de Ioyaco personaliter accedens, abbatem dicti monasterii viriliter cogat et debite compellat per censuram Ordinis et alias iuris et iustitiae vias, ad reddendam rationem et computationem, de et pro toto tempore quo ipse rexit in abbatiali dignitate monasteria de Charmeya et de Recluso, abbati Vallisclarae immediate subiecta.

38. Generale Capitulum sufficienter et debite informatum quod alias per dominum Morimundi ultimate defunctum pro aliquo fore facto per fratrem Gregorium perpetrato, ipse dominus Morimundi praedictum fratrem absolvit et rehabilitavit.

39. Generale Capitulum sufficienter informatum, quod frater Gregorius, monachus monasterii de Andreo super quodam fore facto per dictum fratrem perpetrato, videlicet quod sine licentia abbatis sui perrexit ad dominum Morimundi ultimate defunctum, per ipsum dominum Morimundi fuit absolutus et rehabilitatus dictus frater. Quapropter praefatum generale Capitulum praedictum fratrem Gregorium iterato absolvit benigniter et rehabilitat, si opus sit, praecipiens sub poena excommunicationis omnibus et singulis dicti de Andreo monasterii personis regularibus, omnibusque aliis de Ordine nostro Cistercii, ne eidem fratri Gregorio aliquid super hoc improperent, sive ausu temerario impediant quominus gratia sibi facta uti valeat et gaudere.

40. Licet frater Nicolaus aliter Sicutta, monachus monasterii de Andreo, qui sine licentia de nocte monasterium exivit, nullum nefas vel scandalum perfecerit, et poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregerit, generale Capitulum dictum fratrem absolvit et rehabilitat benigniter ac etiam restituit ad omnes Ordinis actus legitimos, nullo secluso.

41. Fratrem Stanislaum Polonorski, qui spatio quatuor mensium maligno spiritu ductus per saeculum vagus apostatavit, quia tamen ad monasterium de Andreo, ubi professus est, poenitentias sibi propter hoc iniunctas humiliter cum effectu peregit, generale Capitulum ad omnes Ordinis actus legitimos, etiam abbatialem dignitatem, benigniter et misericorditer plenarie admittit.

42. Abbatissae et conventui monasterii monialium de Insulis, prope Antissiodorum, generale Capitulum confert et concedit, quatinus quamdam masuram sive plateam, situatam et existen-

tem in civitate Antissiodorensi tradant in emphitesosim Regnaldo dicto Chopine, pro redditu annuo viginti solidorum turonensium bonae et sufficientis monetae pro nunc currentis, licet forsitan futuris temporibus posset diminui, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

43. Electionem, installationem et confirmationem nona die mensis iulii anno Domini 1440 de persona fratris Mathei de Trachy, religiosi et prioris monasterii Ursicampi in abbatem monasterii de Frigido monte, nostri Cisterciensis Ordinis, Belvacensis dioecesis, per abbatem Longipontis praedicti Ordinis, Suessionensis dioecesis, commissarium abbatis de Ursicampo, patris abbatis ipsius de Frigido monte monasterii immediati, rite et canonice,... *etc. ut in forma consueta.*

44. Generale Capitulum abbatibus de Fonte salutis et de Fonte regis monasteriorum iniungit *etc., ut supra nº 26.*

45. Abbati de Caduino specialiter committitur per generale Capitulum, quatinus universis et singulis abbatibus nostri Cisterciensis Ordinis monasteriorum in Regno Arragoniae et in partibus adiacentibus existentium, auctoritate Capituli generalis sub poena excommunicationis et depositionis ab abbatiali dignitate, ne deinceps aliquas congregationes vel ordinationes facere praesumant, sicut facere consueverunt, contra statuta papalia et nostri Cisterciensis Ordinis sanctiones, uti dominus Cistercii et Capitulum generale fide dignis relatibus veraciter informantur tempore retroacto in monasterio de Rota ; item, auctoritate qua supra praedictis abbatibus praecipit sub pari poena quatinus omnes et singulas ordinationes, quae factae fuerunt ubi supra, deleant totaliter et destruant et de cetero nullius valoris vel roboris existant omnesque abbates in hoc culpabiles citet ad sequens Capitulum generale.

46. Excusantur a via praesentis Capituli generalis abbates qui ipsum scripserunt vel procuratores seu nuntios ut excusarentur de non veniendo miserunt, illi tamen qui causas excusationis legitimas non habent, neglexerunt ad illud venire, auctoritate praetacti Capituli denuntiantur poenas in statutis Ordinis contentas incurrisse.

47. Permittit Capitulum generale quod abbas monasterii de Baudelo modernus de consensu conventus, sine quacumque obligatione, instituat duas missas qualibet hebdomada in praefato monasterio celebrandas diebus videlicet mercurinis et sabbatinis,

unam de defunctis pro benefactoribus Ordinis, aliam vero pro Ecclesia et patriae Flandrensis pace et conservatione.

48. Districte praecipitur abbatibus monasteriorum de Novocastro et de Mulbruno, quod quantocius poterunt accedant ad monasterium monialium de Pavertal [*Frauental*] in quo quidem visitent, corrigant et reforment, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, instituantque ac destituant cum plenaria Ordinis potestate.

49. Praesens generale Capitulum ordinat quod frater Arnulphus... monachus monasterii de Ellancio in proximo festo Sancti Remigii lecturam Bibliae ordinariam in collegio Sancti Bernardi Parisius exsequatur, ad quem quidem actum peragendum abbas eiusdem monasterii sibi sufficienter de expensis pro praesenti anno, sub poenis excommunicationis et suspensionis a divinis provideat, dispensatque nihilominus praefatus abbas erga ipsum fratrem Arnulphum, quod hinc ad festum Magdalenae proximum resideat in eodem collegio.

50. Abbates de Lutzella et de Sancto Urbano Capitulum generale a via ipsius hac vice tenet favorabiliter excusatos, eisdem benigne concedit, ut semel confessores Ordinis eligere possint, qui auctoritate praedicti Capituli eos in foro conscientiae a casibus ipsi reservatis Capitulo absolvant.

51. Dominis abbatibus de Firmitate, de Claravalle, de Morimundo, s. th. pr., et domino Pontigniaci, de Maceriis, de Valle Beatae Mariae, de Ursicampo, s. th. pr., de Prulliaco, de Dunis, de Villario in Brabantia, de Alna, de Caritate et de Caricampo committitur per generale Capitulum et eorum cuilibet, quatinus omnes et singulas utriusque sexus personas regulares, quas in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis repererint obligatas monasterio Cisterciensi et eius conventui, ad satisfaciendum *etc. ut in forma consueta.*

52. Ad idem committitur abbatibus de Valle Beatae Mariae, s. th. pr., et de Regali monte, pro monasterio monialium de Ponte Dominarum.

53. Diffinit Capitulum generale, quod de processu inter abbatem et conventum monasterii de Laude et abbates monasteriorum de Dunis, de Baudelo, et abbatissam ac conventum monialium de Biloca, dominus Cisterciensis convocet quot et quos voluerit de abbatibus Ordinis, qui una secum ipsum processum

videant, iustitiamque faciant ac ministrent partibus, in plenaria Ordinis potestate, iustitiae complementum.

54. Capitulum generale ex certis et rationabilibus causis vult, quod omnes Ordinis personae subditae monasterio de Bellavalle sint exemptae a iuridictione abbatis moderni eiusdem monasterii.

55. Supplicationem per abbatem monasterii de Caesarea, s. th. pr., praesenti generali Capitulo, exhibitam, super processu per dominum de Morimundo, s. th. pr., contra fratrem Conradum Weyman, monachum dicti monasterii de Caesarea facto, cui praesens diffinitio annectitur, praefatum Capitulum approbat et ratificat.

56. Sub censuris Ordinis praecipitur per generale Capitulum abbatibus de Bellavalle et de Monte Sanctae Mariae ac cuilibet ipsorum, quatinus scolares ad collegium Sancti Bernardi Parisius cum debitis pensionibus, hinc ad festum Sancti Remigii mittant sub poenis in statutis contentis.

57. Generale Capitulum abbatem Bullionis citatum et debite vocatum ac expectatum reputat contumacem.

58. Praecipitur abbatibus Ordinis, quatinus vitium proprietatis, quilibet ipsorum erga suos subditos, prout in regula continetur, omnino extirpent.

59. Abbati de Quinciaco praecipitur, ut illos suos tres monachos fugitivos videlicet... *(locus vacuus)*, quantocius poterit, capiat et incarceret.

60. Inhibetur per hoc praesens generale Capitulum abbati de Buxeria Eduensi ne det suis licentiam monachis ad alium Ordinem transeundi, quod si secus praedicti monachi fecerint, capiat ipsos quocumque eos reperiat et incarceret.

61. Si vero, quod absit, inter abbates et conventus Ordinis contentio interdum oriatur, vult generale Capitulum, quod ad nullum recurratur per aliquem aut aliquos ipsorum, praeterquam ad patrem visitatorem loci, Capitulum generale, pro dissentionibus terminandis.

62. Committitur domino de Pontigniaco, quatinus se informet de regimine et statu abbatis de Bardella, citetque ipsum nihilominus ad generale Capitulum proxime futurum, eumque castiget iuxta sua demerita.

63. Ratificatur per generale Capitulum processus factus per abbatem Fontis frigidi contra abbatissam monasterii monialium

de Eula super asportationem bonorum mobilium monasterii de Olivis, praecipiendo nihilominus eidem de Fonte frigido, quatinus ipsam puniat et corrigat iuxta sua demerita, sub censuris Ordinis etiam cum invocatione brachii saeculariis.

64. Ad idem committitur praedicto de Fonte frigido contra abbatem monasterii Vallis Debona [*Vallisbonae*] super illis bonis, quae secum asportavit dum erat bursarius Fontis frigidi.

65. Districte praecipitur, et sub poenis ac censuris Ordinis in statutis contentis mandatur abbatibus de Bolbona, de Sancta Cruce, de Fonte frigido et de Populeto qui annuatim redditus recipiunt, quorum vigore tenentur mittere scolares in studium Parisiense, nec pro nunc ibidem aliquos habent, quatinus infra festum Sancti Remigii proximum, quilibet ipsorum scolarem cum debitis provisionibus mittat ad collegium Sancti Bernardi Parisius, sub... etc.

66. Capitulum generale certam renuntiationem quarumdam vinearum et terrarum in territorio Pruvinensi constituorum, quae nullius valoris monasterio de Ioyaco, ut asseritur, sunt, per abbatem et conventum dicti monasterii factam eo quod decanus et capitulum Beatae in Valle Pruvinensi ab eisdem abbate et conventu annuatim decimas aut certam compensationem exigebant, omnino approbat et ratificat.

67. Vult generale Capitulum ac districte praecipit abbati monasterii Fontis frigidi, patri abbati monasterii de Populeto, quod moneat praefati monasterii de Populeto abbatem, quatinus desistat uti quodam privilegio, in praeiuducium communium privilegiorum Ordinis impetrato, de non mittendo ad studia generalia scolares suos, quodque si desistere nolit citetur ad proximum generale Capitulum personaliter compariturus.

68. Processum factum per dominum Cisterciensem adversus quemdam fratrem Henricum Hervé intrusum in monasterio de Oratorio, istud praesens Capitulum generale ratificat et approbat.

69. Promotionem etiam factam de fratre Nicolao Hirci ad praefatum monasterium de Oratorio promoto, ipsum Capitulum generale confirmat favorabiliter, etiam scribendo domino nostro Sanctissimo Pontifici ac dominis cardinalibus in favorem dicti promoti, quatinus Ordinem confirmare dignetur in suis correctionibus et statutis, personas insuper Ordinis praedicti eidem monasterio de Oratorio subditas antedictum Capitulum a iuris-

dictione ipsius fratris Henricii etiam eximit, in plenaria Ordinis potestate, denuntiat nihilominus ipsum Capitulum eumdem Henricum esse excommunicatum et alios secum existentes excommunicatos, eos et quemlibet ipsorum citando ad futurum generale Capitulum personaliter comparituros, praecipiendo sub censuris Ordinis omnibus personis regularibus eiusdem, quatinus ipsos evitent tamquam excommunicatos.

70. Abbas de Lanvaux, citatus per fratrem Vincentium Cariloci, commissarium domini Cisterciensis, quia non comparuit contumax reputatur, committitur abbas de Boquien in plenaria Ordinis potestate, quatinus praefatum de Lanvaux et abbatem de Langonio coram ipso citet, processumque huiusmodi fine debito terminando, etiam ipse de Lanvaux personaliter et peremptorie ad generale Capitulum proxime futurum citatur.

71. Abbas de Valle bona citatus ad hoc praesens generale Capitulum et non comparens contumax reputatur, citatusque ad proximum generale Capitulum personaliter compariturus.

72. Non obstante privilegio novissime impetrato quo cavetur, quod nullus abbas de Ordine possit resignare monasterium sibi commissum nisi in consistorio secreto Sedis Apostolicae, aut in Capitulo generali eiusdem Ordinis, idem Capitulum declaravit quod per illud privilegium non aliquod preiudicium patribus abbatibus inde generatur.

73. Inhibetur sub censuris Ordinis abbati de Caduino et cuidam fratri Iacobo de Lanis, eiusdem Ordinis religioso secum super praefato monasterio de Caduino contendenti, ne coram aliquo iudice litigent, vel alius alium in causam trahat, nisi in Capitulo generali aut coram domino Cisterciensi, ad quod quidem Capitulum proxime futurum citatur, casu quo tunc non erunt concordes super huiusmodi contentione.

74. Praecipitur fratri Ioanni de Geilhusen, quondam abbati monasterii de Mulbruno, quatinus fratrem Ioannem de Ybzsteim, monachum monasterii de Eberbaco, s. th. pr., reducat ad praefatum monasterium quantocius poterit, inhibendo sub poena excommunicationis abbati et monachis eiusdem monasterii de Eberbaco, ne sibi aliquid improperent de sibi impositis criminibus, licet omnino probatis, sed eum benigne et favorabiliter recipiant ipsumque pertractent tamquam sacrae theologiae professorem, secundum Ordinis nostri statuta, processibus hactenus per abbatem de Mulbruno in huiusmodi causa factis in suo

robore permanentibus, non obstantibus quibuscumque oppositionibus vel appellationibus contra eum.

75. Instrumentum accordii initi et transactionis factae super monasterio de Goiono inter abbates Berdonarum et de Gemondo, cui praesens diffinitio annectitur, ipsum Capitulum approbat et ratificat.

76. Illam congregationem, quam abbates in partibus germanicis vigore illius commissionis, quam hoc praesens generale Capitulum alias eisdem concessit, sic praefatum Capitulum mitigat et temperat, ut nihil in praeiudicium statutorum Capituli generalis vel Ordinis inter se tractênt, nec occasione ipsius congregationis aliquis abbas a veniendo annuatim ad Capitulum generale Cisterciense se excuset. Nolens etiam praefatum Capitulum quod propter ipsam congregationem aliquis abbas Ordinis compellatur invitus ad adeundam praefatam congregationem, nec propter expensas abbatum illuc existentium recipere pecunias, nihilominus ipsos abbates et quoscumque alios, cuiuscumque nationis existant, qui secundum statuta solent aut debent ad Capitulum generale venire, praefatum Capitulum citat.

77. Pro monasterio Fontisregis ad ruinam, proh dolor ! deducto, praesens generale Capitulum providere volens, eidem compatiens, omnes abbates et quemlibet ipsorum provinciae in qua praefatum monasterium est situm, exhortatur ut abbati eiusdem monasterii subveniant ad reparationem ipsius secundum ordinationes Ordinis antiquas, quatinus ibidem servitium continuetur divinum.

78. Ad supplicationem abbatis monasterii de Fonte salutis, petentis, ut possit quamdam curiam solitariam prope quoddam castrum permutare seu in meliores usus commutare, propter diversa et multa gravamina praefatae curiae quotidie imminentia, generale Capitulum annuit et concedit committitque abbatibus monasteriorum de Caesarea et de Ebraco coniunctim, quatinus se informent, et si videant esse pro utilitate et commodo praefati monasterii ipsam permutationem seu commutationem, auctoritate praefati Capituli confirment et approbent.

79. Ad supplicationem abbatis de Caritate contra abbatem monasterii de Ioyaco petentis, quod quaedam bona mobilia pertinentia fratri Dionisio Plessi, olim monacho eiusdem monasterii Ioyaci, nunc autem de Caritate, eidem de Caritate restituat, committitur abbati de Prulliaco, ut secundum Ordinis nostri statuta, partibus iustitiae ministret complementum.

80. Committitur domino de Morimundo reformatio omnium et singulorum monasteriorum et personarum Ordinis utriusque sexus per totam nationem germanicam et per nonnullas dioeceses postmodum declarandas.

81. Generale Capitulum statuit et diffinit, committitque abbati de Caritate, quod illos tres principales conspiratores, videlicet fratres Ioannem Vinlodi, Ioannem de Moneto et Philibertum de Poligniaco, monachos monasterii de Bolbona, secundum Ordinis nostri statuta contra et adversus conspiratores Ordinis edita, puniat et castiget.

82. Committitur ad idem abbati de Ioyaco, de fratribus conspiratoribus de Bonofonte.

83. Abbati monasterii de Caritate praecipitur districtissime, quatinus caminos et ostia camerarum quae sunt in dormitorio monasterii de Balerna, quantocius poterit accedendo ad praefatum monasterium, omnino destruat et extirpet, vult etiam idem generale Capitulum quod frater Guillelmus de Sororgio [d] monachus eiusdem monasterii privetur illa pensione, quam solet a dicto, monasterio recipere, etiam officio prioratus.

84. Denuntiatur auctoritate Capituli generalis frater Ogerus, nuper abbas monasterii de Bullione, excommunicatus, rebellis, inobediens et inhabilis ad quaecumque beneficia in Ordine obtinenda, deponiturque ac privatur, suis exigentibus demeritis, dignitate et administratione abbatiali, quodque carceribus mancipetur, non exiturus ab ipsis, donec de eo Capitulum generale aut dominus Cisterciensis disposuerit, inhibendo omnibus et singulis personis regularibus eiusdem monasterii sub excommunicationis poena, ne eidem fratri Ogerio aliqualiter obediant seu aliquomodo cum ipso participent.

85. Deputati sunt per Capitulum generale domini de Firmitate et de Claravalle ac abbas de Maceriis, s. th. pr., una cum domino Cistercensi ad videndum modos per quos in provinciis Lugdunensi et Bisuntinensi negotia Ordinis communia conservabuntur, etiam cum impositione subsidiorum in praedictis provinciis imponendorum cum potestate coercendi, sub poena suspensionis a divinis, omnes et singulas eorumdem provinciarum personas.

86. Praecipitur districtissime omnibus abbatibus Ordinis, qua-

---

[d] Prorgio : *MP*[2].

tinus quoscumque fugitivos et apostatas ipsius repererint, capiant, incarcerent ac eos in firmis carceribus detineant, usque ad nutum Capituli generalis.

87. Committitur abbati de Caduino, quod quoscumque repererit monachos fugitivos et apostatas incarceret, etiam alios portantes mordiantos, clamides, mantellos et diversorum colorum habitus ab ipsis auferendo et praecipitur eidem, quod omnes abbates, qui tenentur mittere Parisius scolares compellat, sub excommunicationis et censuris Ordinis poenis, cum debitis provisionibus, etiam Tolosam.

88. Confirmantur per hoc generale Capitulum omnes anno praeterito in Capitulo generali editae diffinitiones.

89. Praecipit Capitulum generale abbatibus de Fonteneto, de Bellavalle, de Monte Sanctae Mariae, de Precibus, de Reliquiis, de Sancto Albino, de Buzayo, de Villanova, de Moroliis, de Castellariis, de Gratia Dei, de Valentia, de Ré, de Pratea, de Nigrolacu, de Bonavalle Viennensi, de Fontemorum, de Longovillari, de Boeriis, de Fusniaco et de Mansiade, quatinus quilibet ipsorum unum scolarem ad collegium Sancti Bernardi Parisius cum debitis provisionibus mittat, sub poena excommunicationis, infra festum Sancti Remigii proxime futurum.

90. Similiter abbatibus de Roseriis et de Miratorio unum, de Aceyo et de Theoloco unum, de Loco crescenti, de Bithania et de Clarofonte unum.

91. Citatur abbas de Escharlereis ad futurum generale Capitulum praecipiturque sibi, quatinus fratrem... *(locus vacuus)* monachum monasterii de Buxeria remittat ad proprium monasterium, sub poena depositionis et excommunicationis.

92. Dispensatur per generale Capitulum cum fratre Ioanne Hostalis monacho monasterii de Aquabella, quod non obstante professione quam alias fecit in Ordine Praedicatorum, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus admittatur, si sua exigant merita, praeterquam ad abbatialem dignitatem, districtissime inhibetur abbati praefati monasterii de Aquabella, ne de cetero aliquem sub poena excommunicationis et privationis abbatiatus aut aliquos de Ordine Medicantium in professum aut professos recipiat.

93. Quoniam propter hoc Capitulum generale a sanctis patribus fuit institutum, ut Ordinis unitas servetur, mores reformentur, oppressis iustitia ministretur, et querulose abbas Fontis-

frigidi exposuit et sufficienter probavit, multa et enormia gravamina sibi ab abbate Grandis silvae contra ordinem iuris et iustitiae illata, prout ex processibus et instrumentis super hoc confectis plenius continetur; dominus etiam Morimundi multas querimonias contra praefatum abbatem Grandis silvae proposuit et debite probavit, propter quos nedum excommunicari, sed etiam a dignitate abbatiali merito deponi debuit, omnibus diligenter consideratis, saepedicto abbati Grandis silvae debite personaliter et peremptorie ad respondendum sibi obiectis citato, ipsoque minime, nec per se nec per suum procuratorem comparente, praesens Capitulum generale volens tanta mala et scandala sub dissimulationis velamine praeterire, saepedictum abbatem Grandis silvae contumacem reputavit, et ad ultiora contra ipsum procedere volens, ne talia facere qualia ipse fecit, alii abbates praesumant, ipsum declarat iniuste et inique processisse contra abbatem Fontis frigidi, debereque secundum statuta Ordinis poena talionis puniri, annullans et nullos fore decernens omnes processus per ipsum abbatem Grandis silvae contra eumdem abbatem Fontis frigidi post appellationem factos, ipsum citando ad quadragesimum diem postquam praesentes fuerint sibi exhibitae ad comparendum personaliter et peremptorie coram domino Cisterciensi, per quemcumque religiosum Ordinis, aut notarium publicum, visurum et auditurum expensas ipsius occasione factas taxare et usque ad sententiam depositionis inclusive secundum eius demerita contra ipsum procedi, si tamen dies fuerit juridica, alioquin ad sequentem diem immediate iuridicam cum protestatione quod sive compareat sive non, contra ipsum, ut iuris foret et rationis, procedetur. Et quia minime debet dominari qui subesse non novit, et excommunicatus nullam censetur habere iurisdictionem, hinc est quod saepe nominatum abbatem Grandis silvae per dominum Morimundi, tunc abbatem de Oratorio, auctoritate Ordinis rite, iuste et canonice, ut patet ex actis, excommunicatum, aggravatum, reaggravatum, et suspensum ab omni administratione spirituali et temporali, quibus in sententiis iam quasi per octo menses animo indurato perseverare non formidavit, unde merito dubius in fide censeri deberet, multis etiam aliis considerationibus inductum, sententias per saepe dictum dominum de Morimundo contra ipsum abbatem Grandis silvae, approbat et ratificat, ab eius iurisdictione et visitatione absolvendo omnes abbates et religiosos sibi subiectos, inhibendo sub

excommunicationis latae sententiae poena, omnibus Ordinis Cisterciensis subiectis, quatinus in nullo eidem obediant, sed ipsum tamquam excommunicatum et suspensum evitent, quousque beneficium absolutionis obtinere meruerit.

1443

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, statuta sunt haec apud Cistercium, die vigesima septima mensis maii, in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro christianissimo domino nostro domino Carolo Francorum rege... *etc. ut in anno* 1424.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro reverendissimo in Christo patre ac domino, domino cardinali Placentino, quondam nostri Ordinis protectore, cuius anima Deo vivat, dicatur in singulis monasteriis Ordinis universi una missa solemniter pro defunctis infra proxime futurum eiusdem Ordinis Capitulum generale.
6. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

DIFFINITIONES GENERALES.

7. Cum Ordo noster... contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.
8. Capitulum generale ordinat, quod moneantur abbates et personae Ordinis sub comminatoria excommunicationis poena, ne tunicas nigras amplius deferant.
9. Cum praesens generale Capitulum Domino nostro Sanctissimo Pontifici reverenter supplicare intendat, ut reverendissi-

1443. *Fontes* : L^3 : 1-98 ; *M* : 8, 69, 71, 72, 73, 85, 87, 92, 95 ; P^2 : 1, 8, 9, 12, 68, 69, 71, 72, 73, 81, 85, 86, 87, 92, 95. [a] *Titulus apud* L^3.
[b] Sub Eugenio IV, Carolo Francorum rege, Philippo duce Burgundiae : P^2.

mum in Christo Patrem Dominum Azorinensem [c], Sacrosanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem, Ordini nostro det in benevolum protectorem, omnibus personis Ordinis ut pro eius statu felici rogent, exhortatur et iniungit.

[DIFFINITIONES] SPECIALES.

10. Committit generale Capitulum abbati de Berola, quatinus recipiat resignationem abbatialis dignitatis abbatis moderni monasterii Sanctae Fidis, si resignare voluerit, non obstantibus quibuscumque ordinationibus praefati Capituli generalis.

11. Conceditur per generale Capitulum quod frater Bernardus Doliet, conversus monasterii Sanctae Fidis, possit effici monachus, absque tamen sacrorum ordinum susceptione.

12. Citationem quam abbas de Claritate Dei ad instantiam abbatis de Bella brancha contra et adversus abbatem de Barbello decreverat, volendo eum trahere usque ad civitatem Turonensem, generale Capitulum declarat esse nullam, inhibetque de cetero eidem ac aliis commissariis per Ordinem deputatis ne tantos abusus praesumant attentare.

13. Dominis abbatibus de Firmitate, de Claravalle, de Morimundo, s. th. pr., et domino Pontigniaci, de Maceriis, de Valle Beatae Mariae et de Ursicampo, s. th. pr., de Prulliaco, de Dunis, de Villari in Brabantia, de Alna, de Caritate et de Caricampo committitur per generale Capitulum et eorum cuilibet, quatinus omnes et singulas utriusque sexus personas regulares Ordinis, quas in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis repererint obligatas monasterio Cisterciensi, *etc. ut in forma consueta.*

14. Ad idem committitur abbatibus de Rippatorio et de Longovado, pro monasterio Claraevallis.

15. Ad idem committitur abbati de Bullione pro domino de Balerna et suo conventu, contra abbatissam de Onans.

16. Ad idem committitur abbatibus de Pontigniaco, de Prulliaco et de Barbello, pro monasterio de Ioyaco.

17. Ad idem committitur abbatibus de Valle Nostrae Dominae s. th. pr., de Ioyaco et de Barbello, pro abbate et monasterio Prulliacensi.

18. Ad idem committitur abbatibus de Prulliaco, de Fonte Ioannis et de Ioyaco, pro domino et conventu de Pontigniaco.

---

[c] Agorinensem : L^3.

19. Ad idem committitur abbatibus de Valleclara et de Valle Regis, pro abbate et monasterio Igniacensi.

20. Ad idem committitur domino Morimundi, s. th. pr., de Crista et de Caroloco, pro abbate et monasterio Clariloci.

21. Ad idem committitur domino abbati de Pontigniaco et abbati de Valle Sanctae Mariae, s. th. pr., et de Vallibus Sernay, pro abbate et monasterio de Caduino, et cuilibet in solidum.

22. Ad idem committitur domino Morimundi de Crista et de Caroloco, pro abbate et monasterio de Dulcivalle.

23. Generale Capitulum cum fratre Ioanne de Ternereya, professo monasterii de Vallibus in Ornesio, dispensat benigniter ut non obstante quod semel habitu regulari dimisso per tres annos vel circa in saeculo vagabundus apostatando, ad omnes actus Ordinis legitimos atque dignitates, quia poenitentiam sibi super hoc iniunctam humiliter peregit, his non obstantibus promoveatur et restituatur, abbatiali dignitate seclusa.

24. Super supplicatione fratris Michaelis de Congniaco, monachi monasterii de Maceriis professi et sacerdotis, petentis quod super apostasia per ipsum duobus annis per saeculum evagando perpetrata, habitu regulari dimisso, ad omnes Ordinis gradus et honores rehabilitetur, Capitulum generale sibi concedit, seclusa tamen abbatiali dignitate.

25. Resignationem et renuntiationem fratris Ioannis de Crepicordio, nuper abbatis monasterii de Vaucellis, ab abbatiali dignitate dicti monasterii nec non electionem, installationem et confirmationem die tertia mensis augusti anno Domini 1442, de persona fratris Arnulphi de Ara, tunc monachi expresse professi monasterii de Laude, in abbatem praefati monasterii de Vaucellis per dominum Clarevallensem factas et celebratas, *etc. ut in forma consueta.*

26. Abbates Ordinis qui miserunt excusationes vel fecerunt se excusari de non veniendo ad praesens Capitulum generale excusantur ista vice, alii vero qui non venerunt et potuerunt venire nec fecerunt se excusari, denuntiantur incurrisse censuras Ordinis contra non venientes ad ipsum Capitulum in statutis Ordinis promulgatas, praecipiendo nihilominus praesentibus abbatibus, quatinus eos citent aut citari faciant ad proximum Capitulum generale.

27. Praesens Capitulum generale cum fratre Ioanne de Thybmonte, professo monasterii de Cheminione, super apostasia et

irregularitate per ipsum triennio vel circa per saeculum evagante, habitu regulari dimisso, divinisque se immiscendo, perpetratis, pro quibus iniunctas sibi poenitentias humiliter sustinuit, misericorditer dispensat, ut praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis actus legitimos restitui valeat et promoveri, seclusa tamen abbatiali dignitate.

28[a]. Cum ad notitiam generalis Capituli pervenerit, quod abbas Populeti occupet seu occupare nitatur iniuste et indebite certos redditus pertinentes monasterio de Sanctis Crucibus in civitate Ilerdensi, ipsum Capitulum committit abbatibus de Benifassano et de Verola quod se super hoc informent, et auditis partibus ministrent eisdem iustitiam, in plenaria Ordinis potestate.

29. Contributionis quotam monasterio Albaeripae pro annis moderno et immediate sequenti impositam vel imponendam, praesens generale Capitulum, attenta bonorum dicti monasterii tenuitate, moderatur ad medietatem et reducit.

30. Ad idem pro monasterio de Vallibus in Ornesio.

31. Ad petitionem abbatis Albaeripae cum fratre Pariseto de Lingonis, monacho et sacerdote sui monasterii, dispensatur misericorditer, ut non obstante apostasia, quam semel prot res vel quatuor menses apostatando per saeculum habitu regulari dimisso noscitur incurrisse, super quo iniunctam sibi poenitentiam humiliter peregit, ad omnes dicti Ordinis actus legitimos, inclusa etiam abbatiali dignitate, promoveri valeat et admitti.

32. Abbatibus de Novali Sanctae Mariae et de Lapide Sancti Michaelis per generale Capitulum committitur visitatio, provisio et gubernatio monasterii monialium Sanctae Catherinae in Ysenaco, Maguntinae dioecesis, et quod a dicto monasterio expellant quemdam sacerdotem saecularem, qui se dicit praepositum illius monasterii, quodque restituant abbatissam si iniuste fuerit deposita, in plenaria Ordinis potestate.

33. Abbati de Maceriis, s. th. pr., sub gravissimis poenis praecipit generale Capitulum, quia a pluribus annis circa monasterium de Stulzelbrune sibi immediate subiectum minime fuit visitatum, quatinus ipsum monasterium quantocius fieri poterit, per se vel per alium visitet aut visitari faciat.

34. Praecipitur abbatibus de Walkenrede et de Walkenrode

---

[a] *Quoad errorem codicis L*[3]*, recole dicta in nota pg. 403 ; de n° 28-68 et 93-96, cf. supra ann. 1434 n° 18 sq.*

per generale Capitulum, quatinus privent [sua pensione] abbatem seniorem de Amelungesburne, in plenaria Ordinis potestate.

35. Praecipitur domino de Claravalle, s. th. pr., quatinus monasteria in Dania et Suecia sibi subdita per se vel per alium quantocius fieri poterit visitet aut visitari faciat.

36. Quia quidam frater Balthasar, olim abbas in Czentia, est rebellis et inobediens Ordini, ac etiam per dominum Morimundi, s. th. pr., propter sua demerita excommunicatus extitit, Capitulum generale ipsum excommunicatum denuntiat et ab omnibus Ordinis personis praecipit evitari seu cum eodem quoquomodo conversari.

37. Ad instantiam inclytorum principum, dominorum comitum Wurtemberg conceditur per praesens generale Capitulum quatinus monasterium monialium Vallis Sanctae Mariae, alias Frawenzimmer cognominatum, transmutetur ad monasterium de Cuulbach [*Kirchbach*] alias Ordinis Sancti Benedicti, nunc autem Ordini nostro per eosdem principes emptum ac eidem incorporatum, quodque ibidem moniales praedicti loci collocentur sub eisdem observantiis sub quibus nunc in praedicto monasterio vivunt, ita etiam quod in ipso monasterio deputetur aliquis sacerdos de Ordine divina ibidem celebraturus, conceditur insuper quod praefati principes aliqua bona mobilia extra sua dominia constituta transmutare, alienare vel vendere, ac in alia bona super quibus omnibus dantur inspectores domini abbates de Salem et de Fonte Regis.

38. Ad supplicationem abbatis de Bonarequie, attenta sui corporis invaletudine et quod iam ultra quinquaginta annos rexit laudabiliter suum monasterium, Capitulum generale sibi confert in manus sui patris abbatis ipsum monasterium suum resignare.

39. Praecipitur abbati de Fonte frigido per generale Capitulum, quod compellat abbatem de Populeto sub censuris Ordinis ad mittendum duos scolares ad studium Parisiense infra festum sancti Remigii proxime futurum, cum debitis provisionibus, et si, quod absit, neglexerit, compellat eum ad solvendas expensas quas ipsi scolares fecissent in dicto studio per annum studendo. Cum hoc etiam moneatur idem de Populeto ad tradendum praefato de Fonte frigido certa privilegia, quae habet contra privilegia Ordinis communia, praesentanda postmodum generali Capitulo futuro ; quod si non fecerit ad ipsum Capitu-

lum citetur, visurus et auditurus quod per praefatum Capitulum contra eum concludetur.

40. Mandatur per Capitulum generale abbati de Ponte oltrani ut abbates de Moroliis, de Castellariis, de Gratia Dei in Britannia, de Fonte morum, de Sancto Albino, de Ré et de Pratea et quemlibet ipsorum compellat ad mittendum scolares ad studium Parisiense, cum debitis provisionibus hinc ad festum sancti Remigii proximum, sub censuris Ordinis et poena solutionis expensarum in duplo, quas ipsi scolares fecissent in ipso studio per annum stando, citetque praefatum abbatem de Sancto Albino ad proximum generale Capitulum.

41. Venditiones certi molendini et quarumdam decimarum per abbatem de Populeto novissime factas, Capitulum generale revocat et annullat.

42. Generale Capitulum cum fratre Nicolao de Ciresovilla, monacho de Theoloco, dispensat benigniter, ut non obstante quod apostatavit per undecim annos vel circiter, habitu regulari neglecto, per saeculum vagando, ad omnes legitimos actus Ordinis atque dignitates, quia tamen poenitentiam iniunctam sibi super hoc humiliter peregit, his non obstantibus promoveatur et restituatur, abbatiali dignitate seclusa.

43. Generale Capitulum committit domino de Morimundo et de Berola ac cuilibet eorum in solidum, quatinus se informent de sententia lata per abbatem de Populeto contra fratrem Berengarium Vich, pro abbate Vallisdignae se gerentem, ipso tamen audito, et ipsam confirment aut infirment secundum quod repererint faciendum.

44. Domino Pontigniaci per generale Capitulum committitur ut renuntiationem fratris Ioannis Dencre, novissime abbatis monasterii Fontis Ioannis, in manus patris eiusdem monasterii factam, et provisionem de persona fratris Ioannis Clarim, pro nunc abbatis eiusdem monasterii factam et concessam, ratificat, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate.

45. Committitur domino de Morimundo reformatio omnium et singulorum monasteriorum et personarum Ordinis, utriusque sexus, per totam nationem hispanicam, et per nonnullas dioeceses postmodum declarandas, continuando etiam commissionem alio anno sibi commissam.

46. Inhibetur omnibus abbatibus et singulis personis Ordinis sub poena excommunicationis, ne de cetero quemdam fra-

trem Hemericum Hervei recipiant, seu in monasteriis et locis Ordinis vel alibi secum quovismodo conversentur.

47. Electionem, installationem, confirmationem et translationem die prima mensis ianuarii anno Domini 1443 de persona fratris Francisci Rog, nuper abbatis monasterii de La Real, nostri Cisterciensis Ordinis, in abbatem monasterii de Sancto Bernardo extra muros Valentinos eiusdem Ordinis, canonice factas, *etc. ut in forma consueta.*

48. Electionem, installationem et confirmationem die 24 mensis aprilis anno Domini 1443 de persona fratris Ioannis Lenegio, in abbatem monasterii de Campo Sanctae Mariae nostri Cisterciensis Ordinis canonice, *etc. ut in forma consueta.*

49. Praecipitur abbati de Prulliaco, patri visitatori monasterii de Valle lucenti, quatinus castiget et corrigat iuxta Ordinis nostri statuta, fratrem Petrum Bellemonstre, monachum praefati monasterii, pro eo quod certas iniurias intulit domino Pontigniaci.

50. Confirmantur per hoc generale Capitulum omnes diffinitiones anno praeterito in Capitulo generali editae, praeter illam quae concernit processum abbatum de Grandisilva et de Fonte frigido, quoad poenas in eumdem de Grandisilva inflictas et in eadem contentas.

51. Supplicationem per dominum de Firmitate praesenti generali Capitulo factam, per quam supplicavit quod homines commorantes in villa Sancti Ambrosii, qui sunt servilis conditionis, monasterio de Firmitate efficerentur liberi et affranchisarentur, ipsum Capitulum non admittit sed omnino reiecit.

52. Praecipit generale Capitulum fratri Ioanni de Crepicordio, quatinus domum pertinentem monasterio de Vaucellis sitam in oppide de Crepicordio, in qua consueverunt bona monasterii praedicti reponi, dum tamen altera sibi assignetur infra dictum oppidum, eidem monasterio restituat, reddatque computationes suae administrationis et debita declaret pro tempore quo abbatizavit ; si vero secus fecerit, de pensione sibi per suum patrem abbatem facta nihil recipiat ; committiturque abbati de Boheriis, quatinus praesentem diffinitionem eidem fratri Ioanni intimet et ostendat.

53. Committitur abbati de Grandisilva, s. th. pr., quatinus compellat sub censuris Ordinis ad mittendum scolares ad studium Tolosanum, abbates videlicet de Bolbona duos, de

Gimundo unum, de Bardonis unum, de Scala Dei unum, de Bellapertica unum, de Candelio unum, hinc ad festum sancti Remigii proximum, cum debitis provisionibus.

54. Citentur per abbatem de Fonte frigido ad futurum generale Capitulum abbates de Populeto, de Sanctis Crucibus, de Valle digna ad respondendum ad omnia et singula quae eis obiicientur per promotorem causarum praefati Capituli.

55. Iniungitur per praesens generale Capitulum domino de Firmitate, s. th. pr., patri visitatori de Maceriis, ut abbati praefati monasterii, s. th. pr., sub censuris Ordinis inhibeat, ne aliquibus ecclesiasticis aut saecularibus personis grossa ligna nemorum eiusdem monasterii ad construenda torcularia vendat aut concedere praesumat.

56. Praecipit Capitulum generale abbati de Dunis sub censuris Ordinis, ut mittat fratrem Gerardum Doulcis, religiosum praefati monasterii, ad collegium Sancti Bernardi Parisius, cum debitis provisionibus infra festum sancti Remigii proximum, illuc studeat ac in moribus et scientia proficiat ; quia vero ipsum Capitulum eumdem fratrem Gerardum sic habet propter sua merita recommissum, quod vult eum in praedicto studio retinere, idcirco in eodem studio ipsum retinet in plenaria Ordinis potestate.

57. Electionem, installationem et confirmationem die 27 mensis martii anno Domini 1442 de persona fratris Iacobi de Meldis in abbatem monasterii Longipontis, nostri Cisterciensis Ordinis canonice, *etc. ut in forma consueta.*

58. Ad supplicationem domini de Claravalle, s. th. pr., petentis quod monasterium monialium de Lezinis convertatur in monasterium monachorum, quodque frater Thomas de Rothomago, monachus Claraevallis, efficiatur abbas praefati monasterii de Lezinis, Capitulum generale vult, quod si possit ibidem esse conventus monachorum, confirmetur provisio facta de persona eiusdem fratris Thomae.

59. Appunctuamentum inter abbatem et conventum monasterii de Laude ac abbatissam et conventum monasterii monialium de Biloca factum committitur domino Cisterciensi confirmandum, de plenaria Ordinis potestate.

60. Electionem, installationem et confirmationem diebus 25 mensis ianuarii ac 28 mensis martii anno Domino 1442 de persona fratris Guillelmi Guerini in abbatem monasterii Vallislucentis

nostri Cisterciensis Ordinis canonice, *etc. ut in forma consueta.*

61. Electionem, installationem et confirmationem 6 ianuarii anno Domini 1442, de persona fratris Ioannis de Hirsperg in abbatem monasterii de Cella Sanctae Mariae nostri Cisterciensis Ordinis canonice, *etc. ut in forma consueta.*

62. Electionem, installationem et confirmationem 11 die mensis februarii anno Domini 1443 de persona fratris Vincentii in abbatem monasterii de Aurora, nostri Cisterciensis Ordinis canonice, *etc. ut in forma consueta.*

63. Electionem, installationem et confirmationem 3 die mensis ianuarii anno Domini 1442 de persona fratris Petri de Sancto Secano in abbatem monasterii de Quinciaco nostri Cisterciensis Ordinis canonice, *etc. ut in forma consueta.*

64. Fratres Ioannes Boërii et Iacobus de Lanis contendentes super abbatiatu de Caduino, occasione processus agitati inter ipsos ratione contentionis praedicti abbatiatus submiserunt se Ordini, et quod coram alio iudice non litigabunt occasione praedicta, quam coram deputatis ipsius Ordinis ; ad quae audienda et postmodum ad proximum generale Capitulum referenda sunt deputati dominus de Firmitate et abbas de Maceriis, s. th. pr.

65. Committitur domino de Morimundo, s. th. pr., quod cum transierit per partes Arragoniae, informet se si abbas de Vallebona fuerit iuste per abbatem Fontis frigidi depositus. Si vero iuste, remaneat depositus, sin autem restituatur per praefatum dominum ad monasterium antedictum, auctoritate generalis Capituli.

66. Processibus quos abbas de Grandisilva et de Fonte frigido inter se habebant, coram dominis Diffinitoribus omnino renuntiaverunt iidem abbates, ac remanserunt concordes et pacifici ; idcirco praesens generale Capitulum hanc concordiam ratificat et approbat inhibendo eisdem et cuilibet ipsorum sub censuris Ordinis, ne ipsi de cetero super praemissis aut ex eisdem quovismodo dependentibus molestare, iniuriari vel inquietare alterutrum praesumant.

67. Cum omnis corporis naturalis vel mystici sanitas et pulchritudo in membrorum unione et conformitate consistit, quapropter primi Ordinis patres sancte, pie et iuste constituerunt, ut in cantu, vestitu, cerimoniis, ceterisque observantiis regularibus uniformitas per totum Ordinem observaretur, a qua multi patres discesserunt, quapropter praesens Capitulum sub poena

depositionis praecipit abbatibus, prioribus et regimini praesidentibus Ordinis universi, quatinus efficaciter laborent ut ipsi et sui religiosi in praemissis se habeant secundum morem hactenus in Cistercio observatum.

68. Item, quia monachorum approbatio vel reprobatio ad abbatem et conventum pertinere dignoscitur, omnes rehabilitationes hucusque impetratas vel imposterum impetrandas, sive a Capitulo generali sive a quocumque alio sine consensu et scitu propriorum abbatum, praesens Capitulum cassat, annullat et revocat tanquam subreptitie impetratas, nisi impetrantes causas legitimas allegaverint coram abbate et conventu, quare ita rehabilitari debeant.

69. Item, quia qui potiora bona potioresque honores ab Ordine recipiunt, plus Ordini deservire tenentur, districtius inhibet praesens Capitulum generale abbatibus et regimini praesidentibus Ordinis universi, ne aliquem promoveant ad gradum quemcumque etiam in quacumque scientia, nisi prius coram toto conventu solemniter iuraverit, se nunquam proprium monasterium relicturum sine licentia proprii abbatis vel Capituli generalis petita pariter et obtenta, iurabitque quod nunquam super iuramento per ipsum praestito impetrabit dispensationem et si per alium fuerit dispensatio impetrata quod ipse non utetur, excepto si fuerit in abbatem alicuius monasterii canonice electus; simile iuramentum tenebuntur praestare infra mensem postquam praesens diffinitio ipsis fuerit praesentata omnes iam promoti, aliter mense transacto quousque iuraverint, nullam in conventu vocem habebunt et nihilominus poenam sustinebunt levis culpae.

70. Exhortatur praesens Capitulum generale omnes abbates Ordinis, ne de cetero aliquos monachos ad generale Capitulum mittant sine cuculla et quantum erit eis possibile.

71. Item, quia Ordinis honor maxime ex graduatis dependet, praesens Capitulum dat omnimodam potestatem provisoribus collegiorum Ordinis in generalibus universitatibus constitutorum praesentandi, promovendi ad gradus habendos scolares ibidem studentes, secundum modum et formam in collegio Sancti Bernardi Parisius hactenus observatam, et tenebuntur abbates huiusmodi promotis et promovendis refundere expensas competentes, sub Ordinis formidabilibus poenis, supposito quod iuramenta solita prius iurent.

72. Item, quia ex pensionibus abbatibus cedentibus assignatis multa scandala et gravamina hactenus in Ordine sunt consecuta, talibus cupiens obviare, praesens generale Capitulum omnes pensiones cuicumque abbati, quantumcumque bene merito, assignatas 50 florenos renenses excedentes ad 50 dumtaxat reducit, residuum cassando et annullando, ipsis abbatibus cedentibus sub poena excommunicationis latae sententiae inhibendo ne maiorem pensionem virtute quarumdam litterarum vel pactionum a quocumque impetratarum exigere praesumant.

73. Item, quia propter bonum pacis observandum dudum sancte et pie inter fratres Cartusienses et Ordinem nostrum fuit sancitum et decretum, quod nullum de Ordine ipsorum recipere deberemus sine ipsorum licentia, nec ipsi de nostris, quibus non obstantibus in eiusdem Ordinis nostri praeiudicium et magnum scandalum ipsi fratres Cartusienses plures de nostris recipiunt, quare praesens Capitulum sub poena depositionis inhibet abbatibus Ordinis universi ne, sine licentia eiusdem Capituli generalis, alicui conferant licentiam se transferendi ad quemcumque Ordinem alium, etiam Cartusiensem, abbatibus Ordinis universi praecipiendo, quatinus omnes aliter se transferentes apostatas fore palam et publice denuntient, domino Cistercii committendo, quatinus super hoc priori maioris Cartusiae scribat.

74. Item, quia ex studiorum debito regimine non modicus Ordinis honor dependet, quapropter in locis insignibus studia fundantur et fructificant; igitur praesens Capitulum generale concedit abbatibus Missenae et Thuringiae, quod sibi comparent vel alias acquirent et Ordini incorporent unam domum in civitate Erphundensi pro studentibus eorum, ad quam domum omnes abbates suos scolares mittere tenebuntur, qui per antea tenebantur ad studium Libciense mittere, conceditque ipsum Capitulum studentibus ibidem commorantibus, quod possint uti privilegiis, quibus studentes in aliis universitatibus utuntur, abbati de Walkenrede committendo visitationem et totalem dispositionem et regimen praedictae domus cum potestate ibidem provisorem instituendi et abbates compellendi sub censuris Ordinis, ut ibidem suos scolares mittant et teneant, potestati tamen generalis Capituli derogare praesens Capitulum non intendit, quominus in eodem studio et aliis de provisoribus providere possit.

75. Diffinitionem anno praeterito editam super citatione abba-

tum noviter promotorum, videlicet a quinque annis et citra, praesens Capitulum innovat et ratificat, omnes tales abbates in praesenti Capitulo non comparentes nec per se nec per suos, nisi in proximo Capitulo compareant, ipso facto suspendens ab omni administratione spirituali et temporali, declarans etiam omnes abbates, qui in proximo Capitulo interesse debent, nisi in ipso comparuerint secundum formam statutorum, poenas in ipsis statutis contentas incurrisse, nisi alias fuerit cum ipsis dispensatum.

76. Sororem Emangardam dudum in Fristoff abbatissam, propter suas rebelliones et inobedientias praesens Capitulum excommunicatam denuntiat et privat ab omni pensione sibi assignata, mandans domino Morimundi, quatinus diligenter laboret, ut praedicta soror desistat ab infestatione suae abbatissae, ipsam, si opus est, a proprio monasterio eliminando cum invocatione, si opus sit, brachii saecularis.

77. Abbatem de Alta silva, suo Ordini rebellem et inobedientem, praesens Capitulum citat ad comparendum peremptorie et personaliter ad proximum Capitulum generale, visurum et auditurum processum contra ipsum fieri usque ad sententiam depositionis inclusive, vel allegaturum causam quare ita fieri non debeat, mandans abbati de Belloprato, quatinus praesentem diffinitionem sibi intimet.

78. Omnibus et singulis abbatibus regni Poloniae sub poenis inobedientiae praecipit praesens Capitulum generale,⌜ quatinus fratrem Nicolaum Grot moneant ut ab molestatione et ab infestatione abbatis de Comproninna cesset, quod si facere distulit, ipsum capiant et carceribus mancipent usque ad nutum Capituli generalis, offert tamen se Capitulum ad administrandum sibi iustitiam quotiescumque requisitum fuerit.

79. Sororem Ioannam, abbatissam de Sancta Hoilde, prope Barrum Ducis, propter suas rebelliones et inobedientias, praesens Capitulum excommunicatam fore denuntiat et suspendit ab omni administratione sui monasterii, a quibus sententiis absolvi non poterit, nisi prius humiliata fuerit et ordinationes sibi per dominum Morimundi factas tenere promittat, mandans sub poena excommunicationis abbati de Insula Barrensi, quatinus praesentem diffinitionem celerius executioni demandet ipsamque abbatissam, si in sua rebellione perseveraret, non formidet de monasterio expellere, etiam si opus fuerit invocato brachio saeculari.

80. Secundum diffinitiones dudum salubriter editas, praesens Capitulum districte praecipit abbati de Ponte Oltrani, quatinus diligenter se informet de controversia et lite pendentibus inter fratres Guillelmum Kaerguien ex parte una et fratrem Ioannem Rondeau ex alia parte, super abbatiatu de Lanvaulx, et quod fructus eiusdem monasterii sequestret in manibus alicuius de conventu, qui eidem provideat, ambas partes citando personaliter et peremptorie cum debitis protestationibus ad proximum Capitulum generale, ad audiendam sententiam diffinitivam super ipsorum controversia dari et ad respondendum omnibus et singulis quae contra ipsos per promotorem causarum proponentur. Eidem abbati de Ponte Oltrani praecipitur, quatinus per se vel suum nuntium citet ad proximum Capitulum generale abbates de Villa nova, de Precibus, de Sancto Albino, de Melereyo, de Claromonte, de Bellabrancha, de Morolis, de Castellariis, de Ré, de Veteri villa et generaliter omnes abbates in comitatu Pictaviae constitutos, responsuros ad omnia, quae per promotorem causarum contra ipsos et ipsorum quemlibet proponentur.

81. Translationem prioratus monasterii in Hosten factam per abbatem Campensem, virtute commissionis sibi datae per abbatem Morimundi, praesens Capitulum confirmat, ratificat et approbat secundum modum et formam in processu super hoc confecto contentas, sub poena inobedientiae et aliis gravioribus poenis, omnibus et singulis dicti prioratus regularibus personis, quatinus non solum in hoc sed et in omnibus aliis pareant et obediant.

82. Electionem, confirmationem et installationem per abbatem de Buxeria, Andegavensis dioecesis, commissarium domini Cisterciensis, de persona fratris Vincentii Kaerleau, in theologia baccalarei formati, die 12 mensis aprilis anno Domini 1442 factam, prout in decreto cui praesentes annectuntur, praesens Capitulum approbat, omnes defectus, si qui in eisdem electione, confirmatione et installatione reperti fuerint supplendo, ipsum etiam fratrem Vincentium absolvens omnibus sententiis quas incurrit communicando vel confirmationem accipiendo a fratre Gemerico, intruso in monasterio de Oratorio, et secum dispensando de irregularitatibus, si quas occasione huiusmodi sententiarum incurrerit.

83. Attenta monasterii de Brunbach paupertate et eiusdem

monasterii abbatis senio, per generale Capitulum excusatur idem abbas et monasterium hinc ad quinquennium ab habendum studentem, et a via Capituli generalis.

84. Similiter attento senio abbatis de Ebraco et viarum discrimine, a via generalis Capituli benigniter supportatur.

85. Item, quia crescente hominum malitia augmentandae sunt poenae, praesens Capitulum generale inhibet sub poena conspirationis confessoribus Ordinis universi ne proditores [d] et diffamatores [e] suorum superiorum audeant absolvere, quousque suarum detractionum venena revocaverint, quae animo nocendi in alios transfuderunt et si super hoc publice convicti fuerint, ipso facto sunt inhabiles usque ad nutum Capituli generalis ad omnes gradus legitimos, voces et dignitates Ordinis universi.

86. Item, quia ex conventuum divisione multa mala oriuntur, sub poena conspiratorum inhibet praesens Capitulum generale, ne aliquis conventus vel pars eius convocetur a quoquam ad tractandum vel concilium habendum, sine mandato proprii abbatis, ipso praesente, aut nisi de licentia vicem sui gerentis in eius absentia, et hoc dum illius reditus sine damno monasterii convenienter nequit [f] expectari.

87. Omnibus et singulis Ordinis abbatibus per generale Capitulum sub gravissimis poenis inhibetur, ne suos monachos et religiosos, quacumque de causa, de suis monasteriis emittant, si ibidem eos poterint commode corrigere; quod si nequiverint, ad aliquod eiusdem Ordinis certum monasterium et determinatum et infra tempus in diffinitionibus Ordinis praefixum, teneantur destinare.

88. Omnes gratias et diminutiones contributionum per generale Capitulum aut dominum Cisterciensem modernum seu praedecessores suos, cuicumque Ordinis abbati usque ad praesens factas et diminutas, praesens generale Capitulum revocat, cassat et annullat, statuens ordinationes et diffiniens omnes et singulos eiusdem Ordinis abbates ad antiquas taxas a modo obligari et teneri sub poenis in statutis contentas.

89. Confirmando diffinitionem anno praeterito in Capitulo generali contra abbatem de Bellavalle editam, praesens Capitulum vult, quod ipse de Bellavalle non utatur quacumque potestate

---

[d] perditores : P^2. [e] infamatores : *M*P^2. [f] nequeant exectare : P^2.

erga subdita monasteria de Bellavalle, nec quod aliquis eidem abbati quovis modo obediat, citatur nihilominus idem abbas ad futurum generale Capitulum, responsurus ad ea quae per promotorem causarum ipsius Capituli sibi obiicientur, sub poena privationis abbatialis dignitatis.

90. Capitulum generale diffinit, quod nullus monachus Ordinis, sit abbas, cellerarius, procurator aut rentarius, aliquos saeculares faciat citari coram quocumque iudice.

91. Permittitur... per generale Capitulum quod recipiant aut... possint omnes et singulas resignationes in suis generationibus, in plenaria Ordinis potestate *(sic)*.

92. Diffinitionem Capituli generalis dudum salubriter editam super loco graduatorum, praesens generale Capitulum innovat, ratificat et confirmat, declarando, quod provisor collegii Sancti Bernardi Parisiensis locum immediate habeat post abbatem, in omnibus et singulis monasteriis Ordinis, deinde magister in theologia, postmodum baccalareus formatus immediate subsequantur.

93. Abbatibus de Walkenrede et de Walkenrode per generale Capitulum committitur, ut si iurisdictionem et alia pertinentia monasterio de Hegna in villa de Waldenstorf expediens fuerit secundum statuta Ordinis vendere, cambire et alienare, et in alios bonos usus seu bonorum magis utilium emptionem commutare, facultatem et licentiam concedant in plenaria Ordinis potestate.

94. Abbati monasterii de Hegna, propter nimiam sui monasterii paupertatem, a via generalis Capituli, usque ad quinquennium, per generale Capitulum supportatur.

95. Generale Capitulum plenissime informatum quod in monasteriis de Sanctis Crucibus, de Populeto, de Valle digna, de Sancta Fide, de Petra [g] et aliis plurimis in dominiis illustrissimi regis Arragonum constitutis, abbates, monachi et conversi contra morem et statuta Ordinis albis utantur scapularibus, eisdem abbatibus, monachis et conversis, sub excommunicationis latae sententiae poena, praecipit et mandat idem generale Capitulum, quatinus infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum, dimissis eisdem scapularibus albis, nigra deferant, decernens ex nunc pro tunc excommunicatos omnes et singulas Ordinis

[g] Petro : *MP*².

personas, quae in praemissis per se vel per alium directe vel indirecte praestabunt impedimentum, mandando de Grandisilva et de Fonte frigido abbatibus et eorum cuilibet in solidum, quatinus praesentem diffinitionem praefatis abbatibus nuntient et significent, et ad observandum viriliter compellant in plenaria Ordinis potestate.

96. Pensionem seniori abbati monasterii de Hegna alias assignatam tanquam excessivam, praesens generale Capitulum ad summam decem florenorum reducit, eidem seniori sub poena excommunicationis latae sententiae inhibendo, ne idem senior maiorem summam ab ipso abbate de Hegna amodo exigere praesumat. Eidem abbati de Hegna committens eidem Capitulum, ut omnes et singulos Ordinis apostatas circa suum monasterium evagantes excommunicare, incarcerare et punire possit, invocando etiam si opus fuerit auxilium brachii saecularis.

97. Consideratis monasteriorum de Rippatorio, de Moris et de Longovado penuriis, ac bladorum aliorumque fructuum huius anni modicitate, aliisque oneribus quam plurimis quibus, proh dolor ! ipsa monasteria subiacent, idcirco generale Capitulum misericorditer cum eisdem eorumque abbatibus et officiariis dispensat, ne contributiones ipsas pro anno praesenti impositas solvere teneantur.

98. Ad idem pro abbate et monasterio Signiacensi.

1444

EUGENII PAPAE IV EPISTOLA AD CAPITULUM CISTERCIENSE [a].

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Cistercii ceterisque abbatibus et monachis Cisterciensis Ordinis in generali Capitulo apud Cistercium congregatis, salutem et apostolicam benedictionem. Inter ceteros in Christi Ecclesia Deo militantes monachorum Ordines, Cisterciensem Ordinem

[a] Apud *Nomasticon Cisterciense*, edit. Séjalon, Solesmis, 1892, p. 538 ; Henriquez, *Regula, Constitutiones et Privilegia Ord. Cist.* Antverpiae, 1630, p. 121 ; eiusdem epistolae quaedam extracta leguntur apud D^1.

1444. *Fontes* : L^3 : 1-67 ; M : 9-14, 16, 18 ; P^2 : 1, 8-14, 16, 18, 42.

speciali semper caritatis affectu prosecuti sumus, atque inhaerentes vestigiis praedecessorum nostrorum, a quibus Ordo ipse multis et magnis privilegiis ac favoribus munitus et decoratus extitit, ad ea indefesse proni et propitii fuimus, quae favoris augmentum, conservationem ipsius Ordinis, salutem animarum ac personarum eiusdem, aut ipsi perspeximus, aut alias per alios requisiti expedivisse pro eius conservatione comperimus.

Cum autem vos, prout accepimus, secundum Ordinis vestri constitutiones, generale vestri Ordinis Capitulum diebus rogationum proxime futuris apud Cistercium celebraturi sitis, Nos, quoniam, quod dolenter referimus, de abbatibus et monachis ac personis monasteriorum vestrorum saepe graves querimonias a diversis personis tam ex Hispaniarum quam Galliarum partibus habuerimus, ex debito nostri pastoralis officii devotionem vestram in Domino requirimus et hortamur, quatinus ad huiusmodi notae expurgationem, ad ea studiose et diligenter velitis incumbere, per quae timor Dei sanctus in personis eiusdem Ordinis vestri perseveret, regularis observantiae nervus vigeat, et caritatis vinculum totum ipsum Ordinem complectatur. Hoc facile consequi poteritis, collapsos nimium mores tam generaliter quam specialiter abbatum, monachorum et personarum ipsius Ordinis corrigendo, novas constitutiones saluberrimas edendo, veteres tam praedecessorum nostrorum Summorum Pontificum quam ipsius Ordinis, ut strictius serventur, ordinando et disponendo; et ea quae ad ius et honorem nostrum et Apostolicae Sedis pertinent effectualiter observando, atque omnia alia et singula faciendo, ad quae generalia Capitula huiusmodi a sanctis patribus constituta et ordinata esse noscuntur. Sin autem, prout non creditur, aliqui inter vos ad haec salutaria nostra monita et vobis ex debito Ordinis vestri incumbentia exsecutioni mandanda repugnantes, aut minus bene dispositi invenirentur, Nos adversus huiusmodi personas, ne tot et tanta bona in vestro Ordine impediantur, censuras ecclesiasticas, debitos favores et opportuna praesidia, quibus eorum temeritas compescatur et aliis similia in futurum praesumendi facultas praecludatur, vestrae devotioni pollicemur.

Agite igitur, et habentes prae oculis solum Deum, illa ipsa in huiusmodi celebratione Capituli facere diligenter curetis, ex quibus exortae de monasteriis vestris sinistrae opiniones deleantur, ac laici qui, ut accepimus, quandoque compulsi fuerunt

reformationi monasteriorum vestrorum manus apponere, exemplo vitae et morum vestrorum bene aedificentur; et ad quae Capitula ipsa sunt adinventa et instituta, et quibus Cisterciensis Ordo felicia a Nobis optata capiat incrementa, ac vos demum post aeterna praemia apud Nos et Apostolicam Sedem dignis laudibus ac favoribus potioribus decorari mereamini.

Commisimus praeterea dilecto filio Ioanni abbati monasterii de Oliva in sacra pagina magistro, et vestri Ordinis in romana Curia procuratori generali, aliqua circa praedicta devotioni vestrae ex nostra parte referenda, super quibus eidem praesentium latori volumus tamquam Nobis plenam fidem a vobis impertiri.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, sexto decimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto decimo.

STATUTA EIUSDEM ANNI.

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, statuta sunt haec apud Cistercium die decima nona mensis maii in Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1431.

2. Pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1443.

3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.

5. Pro reverendissimo... cardinali Placentino... *etc. ut in anno* 1443.

6. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

DIFFINITIONES GENERALES

7. Cum Ordo noster... contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.

8. Diffinitionem anno elapso super observatione uniformi-

---

[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Eugenio IV, Carolo Francorum rege, Philippo duce Burgundiae: P^2.

tatis morum per totum Ordinem in cantu, vestitu, cerimoniis ceterisque regularibus observantiis salubriter editam, praesens generale Capitulum ratificans, confirmans et approbans, abbatibus, prioribus et regimini praesidentibus districte praecipit et mandat, quatinus ipsam observent, observarique inviolabiliter faciant, et ne aliquis circa praemissa delinquat per ignorantiam, dictis prioribus, superioribus [c] et alis praesidentibus praesens Capitulum districte praecipit, quatinus in capitulis quotidianis regulam, usus et diffinitiones legant legique faciant et auditoribus exponant.

9. Ut de cetero in Ordine nostro personae recipiantur idoneae divino cultui et aliis obsequiis praestandis congruentes, praesens generale Capitulum statuit, diffinit et ordinat, quod de cetero in ipso Ordine nostro non recipiantur aliqui nisi cum consilio seniorum de conventu seu maioris vel sanioris partis eiusdem conventus, decernens carere viribus quidquid secus actum fuerit.

10. Quia in plerisque monasteriis Ordinis utriusque sexus propter varios abusus officiariorum, qui contra ipsius Ordinis tam apostolica quam regularia instituta, in suis cameris extra infirmitorium carnes decoqui non verentur, multiplices variaeque oriuntur dissolutiones, praesens generale Capitulum huiusmodi abusus abolire cupiens, omnibus et singulis abbatibus Ordinis universi praecipit et mandat, quatinus omnes huiusmodi abusus ubicumque repererint penitus tollant et annullent.

11. Insuper quia plerique religiosorum contra regularem institutionem vitiumque proprietatis incurrere minime formidantes, pecunia congregata, animalia et alia bona frequenter emunt seu emi faciunt, aliquando proprio et saepe nomine alieno, multis super hiis figmentis adhibitis, aliisque ipsa tradunt animalia nutrienda cum augmento vel lucro sibi vel alteri reddenda eorum nomine, seu pro ipsis, et alios multos contractus sinistros tanquam negotiatores exercent, necnon appetentes lucra turpia et sectantes peculium occultant et illicite detinent in suarum periculum animarum, praesens generale Capitulum omnes tales tamquam proprietarios, eo ipso inhabiles ad quodcumque officium, administrationem, regimen et gubernationem in eodem Ordine obtinendum denuntiat, determinat et declarat.

12. Abbatibus Ordinis universi districte praecipit et mandat praesens generale Capitulum, quatinus tam monachis quam

---

[c] subprioribus : P^2.

conversis, tam sanis quam aegrotis [d], sufficienter provideant in victu et vestitu, secundum cuiuscumque monasterii facultates et qualitates regionis, abusum quorumdam conventuum dicentium se annuatim habere debere, ex frivola consuetudine, certam quantitatem vestimentorum, penitus abolens, dictis abbatibus praecipiendo, quatinus illud attendant : « dividebatur unicuique prout opus erat », quibus inhibetur, ne de cetero plures religiosos vel conversos recipiant quam ex facultatibus ipsorum monasteriorum possit congrue provideri, super quo patribus abbatibus et visitatoribus sit debita sollicitudo et cura.

13. Quia nonnullis sinistris obligationibus et mutuis cum quibusdam fictionibus et sinistris coloribus contractis gravia frequenter monasteria suscipiunt incommoda, proinde praesens generale Capitulum praecipit et mandat, quod quicumque monachus vel conversus, quocumque fungatur officio, seu qualemcumque habet administrationem, se vel monasterium suum obligaverit aut aliquod mutuum contraxerit sine abbatis sui licentia speciali, proprietarii et furis poena irremissibiliter puniatur. Abbates autem qui se fideiussores pro quacumque persona constituerint, quamdiu obsides fuerint, non nisi pane et aqua vescantur.

14. Et quia nimia levitate quorumdam abbatum, qui nimis leviter, iuxta morem saecularium [e], se promptos et paratos ad suscipiendum in sacro fonte baptismatis pueros reddunt, nec non ad nuptias frequentandum, ex quibus quidem abusibus non modica frequenter monasteria recipiunt incommoda, proinde praesens generale Capitulum praedictis abbatibus Ordinis universi districtissime inhibet sub gravissimis poenis, ne de cetero huiusmodi nuptiarum actus frequentent aut ad sacros fontes nostrae regenerationis, nisi sint tales, quod honeste non possit denegari, pueros suscipere praesumant, rogans idem generale Capitulum dominum Cisterciensem ceteris autem patribus abbatibus et visitatoribus universis, districte praecipiens et mandans, quatinus huiusmodi diffinitionem diligenter observent, observarique faciant et procurent.

15. Et quia nonnulli monasteriorum officiarii et abbates ad solvendum contributiones, quae pro necessitatibus et usibus communibus annuatim impenduntur, se reddunt difficiles et remis-

---

[d] aegris : *MP*². [e] scolarium : *P*².

sos, contra tam apostolica quam ipsius Ordinis instituta, in praegrande praeiudicium ipsius Ordinis et damnum, praesens generale Capitulum contra et adversus tales de remedio providere cupiens opportuno, omnes huiusmodi et singulos negligentes et remissos ad solvendum dictas contributiones, et quosvis alios impedimentum praestantes publice vel occulte, vel qui futurum quodcumque impedimentum praestabunt, quominus dictae contributiones solvantur, praesens generale Capitulum auctoritate apostolica ipsos excommunicat, excommunicatosque declarat donec et usquequo ad plenariam venerint satisfactionem.

16. Cum [f] dolenter praesentis Capituli audientia suscepit nonnullos in dedecus et opprobrium Ordinis et pessimum exemplum tam religiosorum quam populi fidelis, tempus inutiliter et inordinate ludis, utpote aleis et aliis ludis, in statutis nostri Ordinis prohibitis exponere, qui tamen forma gregis fore debent, praesens generale Capitulum huiusmodi deordinationes, abusus et excessus penitus detestans, in virtute salutaris obedientiae ac sub gravissimis poenis de cetero contra tales infligendis, dictis abbatibus Ordinis universi districtissime inhibet, ne de cetero talibus insolentiis se applicent, dans insuper ipsius firmiter in mandatis, ut religiosos suos per inflictionem poenae levis culpae et regularis disciplinae susceptionem ab huiusmodi ludis deordinatis et aliis dissolutionibus diligenter prohibeant.

17. Et quia ad eiusdem praesentis Capituli pervenit notitiam, nonnullos ecclesiarum praelatos contra nostri Ordinis communia privilegia nonnulla velle attentare, proinde abbatibus Ordinis universi quarumcumque provinciarum districte idem generale Capitulum praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae, ac sub poenis decem librarum turonensium, quatinus de cetero in aliqua provincia si contingat quocumque modo per dictos praelatos aut alios quoscumque aliquando contra aliquod nostri Ordinis monasterium in praeiudicium dictorum communium privilegiorum attentari, omnes et singuli abbates dictae provinciae, ubi hoc contigerit, indilate iuxta formam Ordinis in statutis apostolicis contentam, in aliquo loco conveniant se mutuo non expectantes, advisaturi consiliumque habituri super dictis attentatis et attentandis, sufficiensque subsidium sibi ipsis imposituri pro defensione dictorum privilegiorum, ne per negligen-

[f] Condolenter *M.*

tiam dictorum abbatum praefata Ordinis privilegia, per sanctos patres nostros cum magnis laboribus et sumptibus impetrata et obtenta, depereant, praecipiens omnibus et singulis abbatibus aliisque procuratoribus hic praesentialiter existentibus, quatinus huiusmodi statutum et diffinitionem secum deferant et per omnia alia nostri Ordinis loca denuntient, denuntiarique faciant.

18. Praecipit generale Capitulum omnibus religiosis Ordinis universi, quod celebrando missas suas corpus Christi et calicem studeant taliter elevare, quod assistentes clare valeant inspicere et eorum devotionem augere.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES.

19. Provisionem seu promotionem de persona fratris Roberti Happel factam in abbatem monasterii de Noa, die quarta mensis martii anno Domini 1443 per dominum abbatem de Ioyaco, dicti monasterii immediate patrem abbatem visitatorem canonice factam et celebratam, ut in decreto, cui nostra praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

20. Electionem, installationem et confirmationem prima die mensis aprilis anno Domini 1443, de persona fratris Iacobi de Coloneyo, in abbatem monasterii de Charitate prope Lesinas nostri Cisterciensis Ordinis, *etc. ut supra.*

21. Electionem, installationem et confirmationem 26 die mensis octobris anno Domini 1443 de persona fratris Petri de Pontizarra in abbatem monasterii de Valle Nostrae Dominae, nostri Cisterciensis Ordinis, *etc. ut supra.*

22. Electionem, installationem et promotionem fratris Ioannis de Cuseyo in abbatem monasterii Belliloci per dominum abbatem Morimundi, reformatorem, ac dominum abbatem de Caroloco, patrem abbatem dicti monasterii de Belloloco factas, prout in decreto, *etc. ut supra.*

23. Electionem, installationem et confirmationem die 20 mensis septembris anno Domini 1443 de persona fratris Ioannis Lajon in abbatem monasterii de Buxeria nostri Cisterciensis Ordinis, *etc. ut supra.*

24. Generale Capitulum cessionem spontaneam fratris Iacobi abbatis monasterii de Porta, necnon electionem, installationem et promotionem fratris Ioannis Topphengitzer, monachi dicti

monasterii de Porta expressi professi, ad abbatiatum ipsius monasterii per abbatem de Walkenrede patrem abbatem dicti monasterii de Porta canonice factas, *etc. ut supra.*

25. Electionem, installationem et confirmationem anno Domini 1443, 11 die mensis septembris de persona fratris Mathiae Ranghen in abbatem monasterii de Novocampo, nostri Cisterciensis Ordinis, *etc. ut supra.*

26. Cessionem spontaneam seu resignationem abbatialis dignitatis monasterii de Albaripa per fratrem Symonem de Argilleyo, nec non electionem et promotionem fratris Symonis de Mardeto in abbatem dicti monasterii Albaeripae per dominum Claraevallensem dicti loci patrem abbatem factas et celebratas, *etc. ut supra.*

GRATIAE SPECIALES

27. Praesens generale Capitulum, attendens paupertatem et penuriam monasterii Belliloci, Lingonensis dioecesis, abbatem eiusdem loci suumque monasterium a solutione cuiuslibet contributionis sibi aut suo monasterio pro anno praesenti impositae, quittat benigne penitus et absolvit.

28. Abbati Vallis benedictae, considerata sui monasterii paupertate et penuria, remittit praesens generale Capitulum quottam suae contributionis pro anno praesenti, dummodo de arreragiis, si quae debeant, integre satisfaciat tempore competenti.

29. Conceditur auctoritate Capituli generalis abbati de Ebraco ut possit vendere certa ligna non caedua ad monasterium suum pertinentia et ad putrefactionem tendentia, usque ad summam quingentorum florenorum successivis temporibus recipiendam.

30. Ad supplicationem abbatis de Valcellis annuit generale Capitulum, quod pro relevamine dicti monasterii de Valcellis possit et valeat a devotione fidelium recipere fundationem unius aut duarum missarum quotidianarum, si illas reperiat, attento quod numerus personarum illius monasterii usque ad viginti quatuor ascendere dignoscitur, et nullis praeterquam ordinariis missis ipsius Ordinis praegravatur.

31. Abbatem de Lubens dispensat idem generale Capitulum super contributionibus non solvendis dehinc ad quinquennium ratione sui dicti monasterii, attenta temporis malitia et dicti monasterii paupertate.

32. Ad supplicationem fratris Ioannis Babitonsoris monachi monasterii de Noa, petentis quod super apostasia per ipsum duobus mensibus per saeculum evagando perpetrata, ad omnes Ordinis gradus et dignitates rehabilitetur, praesens generale Capitulum sibi concedit, abbatiali dignitate seclusa.

33. Capitulum generale habito respectu ad paupertatem monasterii de Paradiso, cum abbate dicti monasterii dispensat super solutione contributionum dehinc ad quinquennium.

34. Intuitu pietatis, dispensat generale Capitulum cum abbate de Ardorello, ut ipse non teneatur solvere aliquas contributiones dehinc ad tres annos inclusive, propter penuriam dicti monasterii.

35. Ad humilem requestam abbatis de Lubna, generale Capitulum misericorditer cum fratre Gothfrido, monacho dicti monasterii de Lubna dispensat, ut non obstante quod sine licentia sui abbatis moram traxit circa quasdam moniales nostri Ordinis, hoc tamen fecit de speciali licentia piae memoriae domini Ioannis abbatis Cisterciensis, quin etiam tandem ad se reversus poenitentiam propter hoc sibi ab Ordine iniunctam humiliter et devote peregit, dictum Capitulum ipsum fratrem rehabilitat, et ad omnes Ordinis gradus et voces et dignitates, citra abbatiatum, restituit per praesentes.

36. Sequuntur abbates excusati a via Capituli generalis, videlicet : de Prulliaco, de Barbello, de Ioyaco, de Fonte Ioannis, de Eschalleriis, de Rigniaco, de Valle lucenti, de Valle Beatae Mariae, de Longo ponte, de Theoloco, de Clarofonte, de Caricampo, de Gardo, de Valloliis, de Longo Villari, de Dunis, de Capella Thosan, de Claromarisco, de Laude, de Valcellis, de Camberone, de Villari, de Bonofonte, de Bondelo, de Alna, de Loco Sancti Bernardi, de Grandi prato, de Valle Sancti Lamberti, de Valle Dei, de Aurora, de Sancto Urbano, de Maristella et de Paris.

COMMISSIONES

37. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum de variis et multiplicibus inobedientiis, rebellionibus et impedimentis, quas et quae domino Morimundi, s. th. pr., per generale Capitulum anno elapso ad visitandum et reformandum omnia et singula monasteria utriusque sexus nostri Ordinis in regnis

et dominiis serenissimorum principum et dominorum Castellae et Legionis, Arragonum, Portugalliae et Navarrae regum, ac in provinciis Auxitanensi, Tolosanensi, Narbonensi, Aquensi, Arelatensi, Viennensi, Lugdunensi, Bituricensi, Turonensi et Burdegalensi consistentia specialiter deputato, frater Petrus turbionis affectus, sive quondam abbas Vallisbonae, et soror Beatrix abbatissa monasterii de Eula intulerunt et per nonnullos alios saeculares sibi inferri fecerunt, tam contra apostolica quam nostri Ordinis regularia instituta, secundum quae realiter et de facto excommunicati censentur, nec non inhabiles ad quoscumque nostri Ordinis gradus, honores et promotiones, ipsos tales fore excommunicatos realiter et de facto, et ad quaecumque Ordinis beneficia, praesens generale Capitulum denuntiat et declarat abbati monasterii de Sanctis Crucibus et aliis quibuscumque nostri Ordinis abbatibus, qui super hoc fuerint requisiti, in virtute salutaris obedientiae dans in mandatis, quatinus contra praemissos et eorum quemlibet usque ad sententiam depositionis inclusive procedant, ipsosque fore et esse excommunicatos in suis monasteriis et aliis nostri Ordinis regularibus locis, denuntient et denuntiari faciant, idem generale Capitulum sequestrationem bonorum temporalium dicti monasterii Vallis bonae per praefatum dominum Morimundi in manibus cuiusdam religiosi Fontisfrigidi factam, ratificans, confirmans, innovans et approbans.

38. De bona dispositione naturali et regulari conversatione fratris Ioannis, monasterii de Heisterbach, expresse professi, sibi et Ordini ad proficiendum in studio, generale Capitulum sufficienter informatum abbati dicti monasterii districte praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae ac sub aliis poenis in statutis apostolicis nostri Ordinis contentis, quatinus praedictum fratrem Ioannem ad studium Coloniense, ubi et in quo per aliquos annos bene, religiose et studiose se habuit, infra proximum festum sancti Remigii, cum debita et sufficienti provisione, remittat ipsumque in eodem studio teneat donec et usquequo apicem magisterii attigerit, abbati de Heisterbacho dans in mandatis, quatinus diligentissime huiusmodi diffinitionem debitae executioni tradat.

39. Similiter idem generale Capitulum de et super honesta religione et adeptioni scientiae naturali dispositione scolarium de Caricampo, de Laude, de Salem, de Alna, et de Villa nova in

ollegio nostro Sancti Bernardi Parisius existentium sufficienter et debite per provisorem magistrum regentem et cellerarium dicti collegii informatum, dictos scolares in dicto collegio retinet per praesentes, abbatibus eorumdem inhibendo sub gravibus poenis, ne eos quoquomodo revocent, sed ipsos ibidem cum debita et sufficienti provisione teneant donec et usquequo per gradum et apicis magisterii adeptionem Ordini fructum et honorem afferre valeant, praefatis provisori, magistro regenti et cellerario dicti collegii etiam districte inhibendo, ne dictos scolares, si contingeret revocari de ipso collegio, exire permittant absque domini Cisterciensis licentia speciali super hoc petita et obtenta. Quibus insuper provisori, magistro regenti et cellerario dicti collegii, de quorum circumspectionibus idem Capitulum gerit fiduciam, tenore praesentium plenariam tribuit facultatem compellendi per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia abbates sequentes ad mittendum suos scolares ad dictum collegium infra proximum festum sancti Remigii, cum debitis et sufficientibus provisionibus, videlicet abbatem de Dunis duos, de Bondelo duos, de Capella Thosan duos, de Loco Sancti Bernardi unum, de Villari duos, de Alna duos, de Camberone duos, de Valle Sancti Lamberti unum, de Valle Dei unum, de Grandi prato unum, de Valcellis unum, de Boheriis unum, de Fusniaco unum, de Ursicampo unum, de Regali monte unum, de Caroliloco unum, de Prulliaco unum, de Fonteneto unum, de Curia Dei unum, de Signiaco unum, de Longo Villari unum, de Carocampo unum, de Valloliis unum et de Bonofonte unum, vel ad solvendum duplum expensarum, quas dicti abbates facerent, si eosdem scolares in dicto collegio tenerent, invocato ad omnia et singula praemissa, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum etiam saecularium auxilio et favore.

40. Quamquam dudum, praesertim in ultimo generali Capitulo, omnes gratias et diminutiones contributionum per generale Capitulum aut dominum Cisterciensem modernum aut praedecessores suos cuicumque Ordinis abbati usque ad praesens factas et diminutas generale Capitulum revocaverit, cassaverit et annullaverit, statuens, ordinans et diffiniens omnes et singulos abbates ad antiquae taxae solutionem amodo obligari et teneri sub poenis in statutis contentis, non est tamen intentio praesentis Capituli quin dominus Cisterciensis de huiusmodi taxis et contributionum quottis, prout rationabile et expediens sibi visum fuerit,

habitu respectu ad paupertatem monasteriorum, et de dictorum monasteriorum facultate sufficienter informatus, aliquam partem dictarum quottarum ad tempus remittere possit de gratia speciali, super quo eidem domino Cistercii praesens generale Capitulum plenariam tenore praesentium tribuit facultatem, non obstantibus quibuscumque aliis diffinitionibus per antea in contrarium factis.

41. Ad supplicationem abbatis et conventus monasterii de Claroloco, abbatibus de Villerio, de Bello prato et de Alta silva committit praesens generale Capitulum, quatinus ipsi tres insimul vel duo eorum, tertio legitime se excusante, accedant ad dictum monasterium Clariloci et ibidem se diligenter informent et inspiciant si permutatio cuiusdam dominii una cum censibus, quos habet idem monasterium in villis de Donalivaria et Blenvilla, quam praetendit facere cum Desiderio de dicta Donalivaria procuratore et secretario Regis Siciliae, sit ipsi monasterio Clariloci utilis et signanter attendant, si census seu redditus quos vult dominus procurator tradere dicto monasterio pro dicto dominio una cum suis pertinentiis plus valeant in duplo, quam dictum dominium cum suis attinentiis et quod sint acquisiti iuridice ac sine querela perpetuo possit ipsos dictum monasterium possidere, et si sic esse reperiant dicti abbates ipsam permutationem approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis et ipsius Capituli generalis potestate, dum tamen haec procedat et fiat de communi consensu et unanimi voluntate dictorum abbatum et conventus ac etiam de consilio amicorum monasterii antedicti.

42. Committitur abbatibus de Bolbona et de Calercio quod videant et se informent utrum domus Sancti Sudarii, quae est prope ecclesiam de Tauro [g], possit debite dari et concedi domino Cardinali Fuxi ad faciendum collegium, dum ipse tamen dominus det de redditibus dictae domui Sancti Sudarii, et quidquid inde fecerint referant in proximo sequenti Capitulo generali.

43. Abbatibus de Hymenrode et de Valle Dei, Trevirensis et Leodiensis dioecesium, et eorum cuilibet committit praesens generale Capitulum, quatinus decimam, quam soror Yrmengardis dudum abbatissa de Fristorf occupat et tenet, ad usum dicti monasterii applicent, sequestrentque usque ad adventum Domini abbatis de Morimundo.

---

[g] Fauro : P^2.

44. Abbatibus de Hegena et Arufldorch [*Arnsburg*] committit praesens generale Capitulum, quod se diligenter informent, an permutatio, quam abbas et conventus monasterii de Walkenrode praetendunt facere de certis bonis sitis in Meste, pro mansis, agris, vineis et aliis bonis in Steden, Stufferde, Scieffa, Utenhusen et in Wissenze, cum ceteris suis appendentiis ad quemdam Fredericum de Hospghart militem et suos heredes spectantibus, sit iusta et recta, et quod referant huiusmodi permutationem in proximo generali Capitulo, in plenaria Ordinis potestate.

45. Committitur per generale Capitulum abbatibus de Fonte salutis et de Lankeim, quod inspiciant diligenter et debite se informent an venditio seu permutatio quarumdam villarum et aliorum bonorum minus utilium ad monasterium Ebracense pertinentium, sit et possit esse ipsi monasterio utilis et accommoda pro quibusdam decimis seu aliis, quam abbas et conventus dicti monasterii Ebracensis facere intendunt, et quidquid circa hoc repererint referant in proximo venturo Capitulo generali.

46. Abbatibus de Quinciaco, de Ioyaco et de Fonte Ioannis et eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulas nostri Cisterciensis Ordinis regulares personas, quas repererint obligari vel teneri Domino abbati Pontigniaci aut suo monasterio in quibusdam pecuniarum summis, *etc. ut in forma consueta.*

47. Ad idem abbatibus de Longovado et de Albaripa et eorum cuilibet in solidum, pro domino Claraevallis ac suo monasterio.

48. Ad idem abbatibus de Valleclara et de Igniaco, pro domino abbate de Ursicampo.

49. Ad idem domino abbati de Ursicampo pro abbatissa et monasterio monialium de Vivario Beatae Mariae.

50. Committitur abbati de Lubens, quod visitet et reformet omnia monasteria utriusque sexus sibi et monasterio suo subiecta, videlicet de Claratumba, de Lucana, de Bussovia, de Henrichove, de Kamins, de Grissovia, de Tremis, de Ubebach et de Ameches, secundum antiqua statuta Ordinis, contributiones debitas recipiendo de quibus domino Cistercii habebit reddere rationem; et praesertim quod se transferat ad monasterium monialium de Ouleboth, et quod ibidem visitet, reformet, instituat et destituat in plenaria Ordinis potestate omnia quae repererit visitanda et reformanda.

51. Praesens Capitulum generale sufficienter informatum de

religiosa conversatione ceterisque virtutibus et perfectionibus fratris Arnulphi, monasterii de Ellancio expresse professi, necnon de sufficienti ipsius litteratura sibi et aliis ad proficiendum in studio, quique anno elapso in collegio Sancti Bernardi Parisius ordinarie, bene et honeste ad decus et Ordinis honorem, suisque auditoribus ad profectum lecturam Bibliae peregit, attendensque idem Capitulum et considerans quanta multipliciter Ordo iste propter personarum litteratarum penuriam in suis privilegiis et aliis patiatur discrimina, eumdem fratrem Arnulphum ad legendum sententias in dicto collegio Sancti Bernardi Parisius in immediate sequenti inchoandas constituit, ordinat et deputat, abbati dicti monasterii de Ellancio districte praecipiendo in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus dictum Arnulphum infra proximum Pascha ad dictum collegium Sancti Bernardi Parisius, cum debitis et sufficientibus provisionibus transmittat, ipsumque ibidem teneat donec et usquequo dictarum sententiarum lecturam perfecte et integre compleverit ; et quia nonnulli abbates dicto monasterio de Ellancio proximi a longissimis temporibus nullos scolares tenuerunt nec tenent, praesertim de Signiaco, de Valleregis, de Kaherio, de Caladia, de Valleclara et de Igniaco, proinde omnibus istis abbatibus pro qualicumque supportatione dictae lecturae sententiarum ad solvendum infra proximum praedictum Pascha sequentes summas sub excommunicationis latae sententiae poena, videlicet de Valleregis 12 flor., de Valleclara 5 flor., de Caherio 4 flor., de Caladia 4 flor., de Signiaco 10 flor., et de Igniaco 3 flor., praesens generale Capitulum constringit et obligat, abbati de Regalimonte districte dando in mandatis in virtute salutaris obedientiae, quatinus, quantocius commode poterit, per se vel per alium huiusmodi diffinitionem debitae executioni tradat, dominum Cisterciensem per suas patentes litteras certificando de omnibus et singulis circa hoc per eumdem factis.

52. De gratia speciali conceditur Ioanni de Dobberan, Bernardo de Dargon, Mathiae de Novocampo, Ioanni de Rivo Sanctae Mariae, Ioanni de Hyddense, Stephano de Connas, Harwico de Hilda, Frederico de Purocampo et Ioanni de Soho [*Locco* ?] monasteriorum abbatibus, quod scolares suos in studio Rosthokiensi iam vigenti, sub debitis provisionibus teneant, eisdem libertatibus, privilegiis et gratiis quibus in aliis studiis ab

Ordine privilegiatis, quousque studuerint in artibus gaudeant effective, et ipsius studii provisio et ordinatio ceteraque ad ipsos studentes pertinentia committuntur abbati de Dobberan.

53. Committitur abbati de Ursicampo, quod se informet si abbas de Longoponte recipit 12 salucia, quae abbas de Caduino mittebat suis advocatis Parisius et faciat partibus iustitiam, in plenaria Ordinis potestate.

54. Abbatibus de Aureavalle et de Castellione, Verdunensis dioecesis, qui a longissimis temporibus nullos scolares tenuerunt, nec tenent in collegio Sancti Bernardi Parisius, licet sicut praesens generale Capitulum est sufficienter informatum, possint et potuissent si voluissent, districtissime idem Capitulum praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae ac sub aliis poenis tam apostolicis quam huius Ordinis statutis contentis, quatinus infra proximum festum s. Remigii scolares suos ad praedictum collegium Sancti Bernardi Parisius, cum debitis et sufficientibus provisionibus, transmittant ; alioquin praesens generale Capitulum ex nunc prout ex tunc condemnat eos ad solvendum expensas, quas dicti scolares regulariter vivendo facerent per annum, si eos ibidem tenerent, abbati Vallisclarae omnimodam et plenariam Ordinis potestatem dans exigendi, levandi, requirendi et ad solvendum dictas pecuniarum summas compellendi, invocato ad hoc, si fuerit opus, auxilio brachii saecularis, huiusmodi pecunias in usum praedictorum scolarium et futurorum ibidem degentium, ac in ipsius collegii sustentatione aedificiorum dumtaxat convertendas.

55. Abbati de Monte Sanctae Mariae praecipitur per generale Capitulum, sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra festum Nativitatis Domini proxime futurum solvat et debite satisfaciat Ioanni dicto Quenteau de Salinis, de summa 64 quatuor florenorum monetae currentis in Burgundia, in qua summa idem abbas seu monasterium suum praedicto Ioanni tenentur legitime obligati.

56. Ad supplicationem abbatis et conventus monasterii de Lubens, committit praesens generale Capitulum abbatibus de Lubna et de Grissovia, quod se diligenter informent, utrum alienatio seu impignoratio quarumdam inutilium possessionum et pro nunc perditarum, quam praedicti abbas et conventus praetendunt facere ad tempus pro sui monasterii reaedificatione, sit aut esse possit eidem monasterio utilis et fructuosa, et si in

hoc dicti monasterii utilitatem perceperint, super quo conscientias cuiuslibet ipsorum onerat idem generale Capitulum, ad praedictam impignorationem fiendam cum eisdem abbate et conventu dispensent auctoritate praedicti Capituli generalis.

57. Abbati de Dunis praecipit generale Capitulum, quatinus mittat ad studium Parisiense in collegio Sancti Bernardi fratrem Gerardum Doulcis bene dispositum ad scientiarum acquisitionem, cum debitis provisionibus infra proximum et instans festum s. Remigii, secundum diffinitionem alio anno super hoc plenius editam, sub poenis et censuris Ordinis, dictam diffinitionem renovando et approbando.

58. Abbati de Fonte frigido committit generale Capitulum, quod se diligenter informet super furto per fratrem Stephanum de Genoniaco, monachum monasterii Sancti Marcelli, commisso, et si repererit ipsum culpabilem de praemissis, ipsum corrigat et puniat in plenaria Ordinis potestate.

59. Praecipit generale Capitulum abbati de Ezwetel, Pataviensis dioecesis, quatinus recipiat fratrem Petrum Cellatoris monachum suum, sub ipsius Ordinis disciplina regulari secundum exigentiam demeriti ipsius fratris Petri, et quod de cetero non permittat ipsum de proprio exire monasterio.

60. Ad idem praecipitur abbati de Bellavalle.

61. Praecipit generale Capitulum abbati de Lutzella, quod praecipiat auctoritate Capituli et censura Ordinis cuidam fratri nominato Balthasar, quod non trahat quacumque de causa extra iuridictionem Ordinis abbatem et conventum monasterii de Sengua, Bragnabriensis dioecesis, et quod dictus de Lutzella denuntiet dictum Balthasar excommunicatum, eumdem capiendo et incarcerando, invocato, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

62. De Asseyo et de Roseriis monasteriorum abbates libere contribuerunt et contribuere promiserunt, pro expensarum baccalaurii de Balerna in studio Parisiensi supportatione, quilibet 10 flor. et quolibet anno quousque gradum magisterii dictus baccalaureus adeptus fuerit.

63. Ad humilem supplicationem abbatum de Charitate et de Balerna indulget et pie concedit atque praecipit praesens generale Capitulum, quod in omnibus monasteriis Ordinis existentibus in diocesi Bisuntina deinceps celebretur festum beati Claudii, episcopi et confessoris, et fiat servitium per omnia tam de die quam de nocte sicut de beato Nicolao confessore.

64. Inhibetur abbati Firmitatis hic praesenti, auctoritate Capituli generalis, quod non trahat abbatem de Maceriis ratione debiti mutui extra iurisdictionem Ordinis, attento quod praedictum Capitulum offert se ad iustitiam reddendam et faciendam eidem abbati Firmitatis, qui sibi praesentialiter coram nobis Capitularibus, dictum abbatem de Maceriis totaliter submitti requisivit.

65. Appunctuamentum affranchisationis seu manumissionis Guillelmi Merceriis per dominum abbatem Firmitatis, ut suum conventum certis ex causis erga praefatum Guillelmum ad suos haeredes legitime procreandos factum, prout in litteris dictorum abbatis et conventus super hoc confectis, quibus hae patentes annectuntur, plenius continetur, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat.

66. Contractum admodiationis domus cuiusdam pertinentis ad monasterium de Moris, in civitate Trecensi, inter abbatem et conventum dicti monasterii et Iacobum Ponan, civem Trecensem, et uxorem et liberos eorumdem, factum et initum, prout in litteris dictorum abbatis et conventus, quibus haec patentes sunt annexae plenius continetur, Capitulum generale ratificat, confirmat et approbat.

1445

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, statuta sunt haec apud Cistercium tertia die mensis maii, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1443.
3. Pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1401.

1445. *Fontes* : L^3 : 1-102 ; *M* : 7, 8, 9, 12, 14, 18, 19, 20, 23, 25, 40 ; P^2 : 1, 7, 8, 9, 12, 14, 17-20, 22, 23, 25, 29, 40.

[a] *Titulus apud* L^3. [b] Sub Eugenio IV, Ioanne card. Morinen., Carolo Francorum rege, Philippo duce Burgundiae: P^2.

4. Pro pace... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis... *etc. ut in anno* 1425.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Cum ordo noster ...contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.

7. Quoniam secundum [c] primitivam nostri Ordinis institutionem, in cerimoniis, cantu officioque divino, omnes uniformes esse debemus, nec licet novitates aliquas sine scitu et consensu Capituli generalis in Ordine introducere, et nuper propter quosdam libellos, qui alio nomine *Ordinaria* nuncupantur, quorum aliqui dicuntur in Cistercio confecti, alii in Claravalle, multae diversitates in Ordine exortae censentur, tam in officio divino, quam in aliis observantiis, talibus obviandum praesens Capitulum generale committit priori Cistercii et magistro Richardo de Claravalle, quatinus assumant dictos libellos et diligenter inspiciant si adinvicem sint concordes et usibus antiquis ac diffinitionibus Ordinis consonantes, et omnes diversitates pro posse corrigant, et quidquid fecerint in proximo Capitulo generali praesentent, per ipsum approbandum vel reprobandum.

8. Item, quia tepescente caritate istis novissimis temporibus coguntur abbates ad conversionem pueros etiam indoctos et illiteratos recipere; unde contingit, quod multae Ordinis personae nec litteras intelligere nec legere sciunt, tanto malo obviare cupiens praesens Capitulum generale, districte praecipit abbatibus et regimini praesidentibus Ordinis universi qui huiusmodi iuvenes receperunt vel amodo recipient, quatinus habeant aliquem virum doctum religiosum vel saecularem, qui ipsos iuvenes de primitivis scientiarum instruat et qui compellat ipsos iuvenes studio vacare, nec promoveantur ad ordinem sacerdotalem nisi prius litteraliter loqui sciant, et super hoc diligenter visitatores et reformatores inquirant.

9. Item, quia in litteratis viris maxime deficimus in Ordine, sub poenis in reformatione beatae memoriae Benedicti Papae XII contentis, praecipit et mandat praesens Capitulum generale omnibus abbatibus Ordinis universi, qui secundum ipsam reformationem studentes habere tenentur, quatinus infra festum

---

[c] dum : P^2.

beati Remigii proxime venturum, ipsos suos studentes cum debitis provisionibus destinent ad studium Parisiense, declarans per praesentem diffinitionem omnes abbates, qui super hoc negligentes vel remissi fuerint, transacto dicto termino, poenas contentas in ipsa Benedictina incurrisse, committitque praesens Capitulum generale provisoribus et magistris regentibus collegiorum Ordinis in studiis generalibus consistentium, facultatem omnimodam compellendi abbates sub censuris Ordinis, ut praesentem diffinitionem observent et ut poenas in Benedictina contentas ex integro persolvant.

10. Item, quia per Capitulorum generalium celebrationem honor Ordinis servatur, mores corriguntur, multaque alia ad laudem Dei convenientia statuuntur et ordinantur, quapropter non immerito a principio Ordinis institutum fuit, ut omnes abbates per se vel per suos procuratores sub certis modo et forma in ipso Capitulo comparerent, et hoc negligentibus diversae poenae statutae fuerunt, quas quidem poenas multi abbates, proh dolor ! incurrere non formidant, quapropter sub poenis in statutis apostolicis contentis, praecipit et mandat praesens generale Capitulum omnibus et singulis abbatibus Ordinis universi, quatinus iuxta statutorum Ordinis papalium et regularium morem, compareant in proximo Capitulo generali, et quicumque abbates vel monachi a principibus vel aliis potentibus litteras impetrare praesumpserint, vel ad ipsum Capitulum generale non venient, sint ipso facto excommunicati, a qua excommunicatione absolvi non poterunt, nisi per dominum Cisterciensem vel aliquem ex suis commissariis.

11. Item, licet pluries sane et sancte institutum fuerit ut abbates noviter promoti, cum decreto suae electionis, in proximo Capitulo generali inde sequenti personaliter comparent, huic tamen statuto scientissime confecto multi hucusque parere contempserunt, Capitulum omnes abbates a sex annis et citra promotos, qui in ipso Capitulo hucusque non comparuerunt, nisi in proximo Capitulo generali personaliter compareant, praesens Capitulum generale ab omni administratione per praesentem diffinitionem suspendit, quousque quod praecipitur opere compleant, nisi legitime se excusaverint.

12. Item, licet ex diversis Ordinis statutis antiquis et novis multiplices poenae institutae fuerint contra abbates et monachos qui reformatoribus et visitatoribus rebelles existerent et

qui contra eos qualitercumque potentum auxilia adeunt, et ab ipsis potentibus litteras, preces, minas impetrant, nihilominus non desunt qui talia dietim perpetrant, unde cogitur Ordo diversas contra tales poenas fulminare. Eapropter praesens Capitulum generale omnes tales excommunicatos denuntiat iuxta antiquas Ordinis diffinitiones, necnon omnes eis adhaerentes, consilium, auxiliumque ferentes, mandatque et praecipit praesens Capitulum generale ut tales iuxta *Libellum diffinitionum* in Ramis palmarum palam et publice cum ceteris in capitulis Ordinis a praesidentibus excommunicati denuntientur, et si abbas aliquis super hoc convictus vel confessus fuerit, ipso facto sit ab omni administratione sui monasterii suspensus, in sequenti Capitulo deponendus, si vero fuerit monachus poenam sustineat conspiratorum.

13. Item, licet electiones pure, sancte et pie iuxta traditiones antiquorum patrum fieri debeant, multi et ambitione et avaritia ducti non cessant conventus, ut eligantur, perturbare, potentum litteras, preces et minas impetrare, tantis malis obviare cupiens praesens Capitulum generale omnes tales, qui videlicet vel per se vel per interpositam personam impetraverint huiusmodi litteras, denuntiat fores inhabiles ad omnes Ordinis actus legitimos, praecipitque praesidentibus in electionibus, sub poena depositionis a suis officiis et dignitatibus, ne tales promovere aut confirmare praesumant.

14. Item, quorumdam abusum dicentium non se velle habere abbatem nisi de gremio conventus, praesens Capitulum generale evellere cupiens, declarat iuxta antiquas Ordinis diffinitiones, omnes tales pro illa vice privatos [d] voce quam in electione habere debebant.

15. Item, quia iuxta traditionem Moysis, bestia quae tangit montem morte moriatur, id est idiota praelationem appetens, sub poena privationis a sua dignitate et iurisdictione, inhibet praesens Capitulum generale praesidentibus in electionibus abbatum Ordinis, ne aliquem promoveant vel confirment in abbatem, qui non habuerit qualitates in *Libello diffinitionum antiquarum* contentas.

16. Item, licet pluries praeceptum fuerit, ut patres abbates singulis annis, per se vel per suum commissarium, omnia monas-

[d] privandos debeant : *MP*[2].

teria sibi subiecta iuxta antiquum morem Ordinis visitarent, multi tamen super hoc negligentes hucusque existerunt, unde et multa scandala exinde orta fuerunt; eapropter praesens Capitulum generale committit domino Cisterciensi et quatuor primis, quatinus omnes et singulos abbates, quos super hoc negligentes et remissos repererint, sub censuris Ordinis, ut debitum faciant, viriliter compellant, ac ipsis poenas in statutis Ordinis contentas imponent.

17. Item, quia multi abbates de studentibus tenendis retrahuntur [e] ex hoc, quod ad studium promoti vel se transferant ad alia monasteria, sua deserentes, aut malitiose impetrant ut contra Deum et suam conscientiam ad alium Ordinem se transferant, eapropter statuit et diffinit praesens Capitulum generale, quod nullus amodo mittatur ad studium nec promoveatur ad quodcumque officium, nisi prius coram abbate et conventu solemniter iuraverit, primo quod pro posse suo defendat libertates et privilegia Ordinis; item, quod nunquam se transferat ad aliam domum neque ad alium Ordinem sine licentia sui abbatis, nisi fuerit canonice in abbatem electus; iurabit etiam quod nunquam super praedicto iuramento impetrabit dispensationem nec impetrata per quemcumque, qualitercumque, vel quorumcumque colore quaesito nec quocumque modo, utetur.

18. Item, quia propter defectum observantiae privilegiorum Ordinis, Ordo ipse in multis periclitatur, sub poena depositionis praecipit praesens Capitulum generale omnibus et singulis abbatibus et regimini praesidentibus Ordinis universi, quatinus faciant sibi transcribi copiam privilegiorum communium Ordinis a Summis Pontificibus concessorum, singulariter a Domino Ioanne XXIII, Martino V et Eugenio IV, et quia bona Ordinis in necessitate communia censentur et aliqua sint monasteria adeo depaupertata quod ad tuitionem ipsorum privilegiorum non sufficiant, districtissime praecipit praesens Capitulum Generale reformatoribus et senioribus abbatibus cuiuslibet provinciae aut dioecesis, quatinus ad requestam abbatum oppressorum, in plenaria Ordinis potestate possint congregare ceteros abbates ipsius dioecesis aut provinciae, et eis imponere aliquod subsidium pro relevatione, ut praefertur, abbatum oppressorum, poteruntque rebelles et inobedientes, ut debitum suum faciant, sub censuris Ordinis compellere.

---

[e] contrahuntur : P^2.

19. Item, ut status Ordinis sciri[f] queat et occurrentibus necessitatibus subveniri, praecipit praesens Capitulum generale reformatoribus Ordinis universi, sive per ipsum Capitulum sive per dominum Cisterciensem institutis vel in posterum instituendis, quatinus singulis annis vel per se, cessante legitimo impedimento, vel per suum procuratorem ubi legitimum aderit impedimentum, informent singulis annis Capitulum generale de statu spirituali[g] et temporali monasteriorum suae reformationi subditorum, quoscumque etiam abbates qui ipsis reformatoribus statum suae domus spiritualem et temporalem ad plenum manifestare renuerint, praesens Capitulum denuntiat graviter fore puniendos.

20. Item, licet Summus Pontifex, cui unicuique ius suum reddit et conservat, nullos excommunicatos parte non audita ad plenum absolvit, multi tamen a reformatoribus seu visitatoribus excommunicati, timorem Dei postponentes et Ordinis iurisdictionem parvipendentes, se asserunt ab ipso Summo Pontifice aut a suis delegatis fore absolutos, non curantes et se et alios, quantum in ipsis est perdere et extra communionem Ecclesiae ponere, quapropter praesens Capitulum generale inhibet omnibus personis Ordinis universi, ne talibus per reformatores aut visitatores excommunicatis communicare aut eis obedire praesumant, nisi Capitulo generali aut ipsis reformatoribus sive visitatoribus super hoc consultis, non obstantibus quibuscumque appellationibus per eos factis, cum ab Alexandro Papa III nobis concedatur, quia nullus extra Ordinem nostrum appelleret et si appellaverit, nihilominus sententiis Ordinis subiaceat.

21. Item, quia ideo Capitulum generale annuatim celebratur, ut unicuique iustitiam administret, ad hoc etiam reformatores et visitatores instituuntur, et inhonestum est ut religiosus religiosum eiusdem voti et observantiae coram saecularibus provocet, inhibet praesens Capitulum generale, ne aliqua Ordinis persona cuiuscumque gradus aut dignitatis existat, aliam eiusdem Ordinis personam coram quocumque iudice, qui non fuerit de nostro Ordine citari aut provocari ad iudicium faciat, nisi prius ipso Capitulo generali de iustitiam ministrantibus requisito et consulto.

---

[f] fieri : L^3. [g] speciali : L^3.

22. Item, quia a tempore, quo *Libellus novellarum diffinitionum* fuit compilatus, multae fuerint diffinitiones institutae utiles et necessariae a quamplurimis etiam asseritur multas contradictiones in *Libello diffinitionum* contineri, eapropter committit praesens Capitulum generale abbati Maceriarum, s. th. pr., necnon abbatibus de Charitate et de Buxeria Eduensi, quatinus diligenter scrutentur diffinitiones, ut fertur, a tempore *Libelli novellarum* promulgatas, et signanter tempore bonae memoriae domini Cistercii ultimate defuncti, et quod [h] illas quae ipsis videbuntur esse utiles et necessariae, faciant transcribi et proximo Capitulo praesentari, per ipsum approbandae vel reprobandae ; committit etiam eisdem ut diligenter scrutentur contradictiones, si quae in ipsis diffinitionibus reperiantur, de omnibus quae fecerint Capitulum generale informaturi.

23. Item, quia religiosorum est humilitate ascendere, omnem ambitionem fugere et, his non obstantibus, contra Ordinis diffinitiones antiquas et novas, quidam abbates aut per potentiam saecularem aut propter rerum temporalium affluentiam et etiam diversis aliis coloribus minus bene quaesitis, se aliis coabbatibus suis anteponere praesumant contra antiquas Ordinis diffinitiones, quapropter multa scandala etiam apud saeculares oriuntur ; tantis malis obviare cupiens praesens Capitulum generale statuit et diffinit, quos amodo ubicumque abbates Ordinis convenient, post quatuor primos et abbates de Prulliaco et de Savigniaco, in th. mag., secundum antiquitatem sui gradus incedant et sedeant, et post alii abbates secundum antiquitatem fundationis suorum monasteriorum. Et quicumque abbas, quocumque colore quaesito, contrarium facere praesumpserit, graviter puniatur, nihilominus in proximo Capitulo generali de commisso veniam petiturus.

24. Quia ad notitiam Capituli generalis dolenter pervenit, quod nonulli Ordinis abbates et monachi, suae salutis immemores, litteras et sigilla domini Cistercii falsificare et contrafacere non verentur, huiusmodi scandalosum et enorme peccatum a personis Ordinis radicitus amputare et evellere cupiens, praesens Capitulum generale statuit et diffinit, quatinus si qui tales in Ordine reperti fuerint, si abbas fuerit, sciat se esse deponendum et nihilominus sit inhabilis ad quaecumque officia vel

---

[h] quod illas... utiles et : *desunt apud* L^3.

beneficia in Ordine obtinenda; si monachus vel conversus, capiatur et incarceretur usque ad nutum Capituli generalis, notificaturque ex parte praefati domini Cisterciensis, quatinus in omnibus et singulis eiusdem litteris patentibus nulla fides adhibeatur nisi dictae litterae fuerint signatae suo signo manuali, una cum signo manuali sui notarii et a dorso sigilli dicti domini contrasigillum eiusdem domini fuerit.

25. Omnibus et singulis abbatibus Ordinis universi inhibetur sub poena inobedientiae, ne pro ordinandis suis religiosis aliquas pecunias tradere audeant diocesanis aut eorum notariis, nec dictos religiosos suos pro ordinibus suscipiendis per dictos dioecesanos aut eorum officiales quoquomodo examinari permittant, praecipendo omnibus et singulis abbatibus in praesenti Capitulo existentibus, quatinus huiusmodi diffinitionem diligenter observent, secumque afferant aliis coabbatibus suis eamdem diffinitionem quam citius poterint nuntiaturi.

26. Per generale Capitulum statuitur et ordinatur, quod si aliquae personae ecclesiasticae vel saeculares nitantur nos facere evocari coram quibuscumque conservatoribus privilegiorum Ordinis, cum tales conservatores sint dati nobis in favorem nostrum et contra nos militare non debeant, quia tales conservatores si super hoc requisiti non destiterint, per appellationis remedium vel alias secundum exemptiones Ordinis declinentur et evitentur.

27. Inhibetur omnibus et singulis Ordinis abbatibus et regimini praesidentibus sub poena depositionis, ne amodo submittant se, quacumque occasione data, iurisdictioni episcoporum sive quorumcumque iudicum, qui non sunt de Ordine nostro, renuntiando privilegiis et exemptionibus, et si qui contrarium fecerint per patres abbates visitatores et reformatores taliter puniantur, quod ceteris cedat in exemplum.

28. Graves querimonias et scandalosas conversationes quorumdam apostatarum et religiosorum Ordinis in suae salutis detrimentum per saeculum evagari non reverentium et per diversas ecclesias saecularium celebrantium, praesens generale Capitulum diutius ferre non valens, omnibus et singulis abbatibus Ordinis quorumlibet regnorum et provinciarum in virtute salutaris obedientiae districte praecipit et mandat, quatinus huiusmodi religiosos et apostatas, alter alterum non expectando, capiant seu capi faciant et incarcerent ipsosque in eisdem carce-

ribus detineant, donec ab abbatibus ipsorum fuerint revocati et mandati, invocato brachii saecularis auxilio, et cum expensis abbatum dictorum monasteriorum.

29. Generale Capitulum quaestionem fieri solitam, quando debet celebrari tricenarium eiusdem Capituli, terminare volens statuit, ordinat et diffinit, quatinus dictum tricenarium inchoetur et celebretur feria tertia infra octavam Ascensionis.

30. Quia, sicut ad praesentis Capituli generalis pervenit audientiam, nonnulli Ordinis abbates et abbatissae contra ordinationes apostolicas, personas illegitimas in Ordine recipere non verentur, praesens generale Capitulum talibus obviare cupiens, universis et singulis abbatibus et abbatissis, regimini praesidentibus Ordinis universi, inhibet idem Capitulum, ne amodo audeant aliquas personas recipere in suis monasteriis, nisi tales fuerint legitimae, sufficientes et idoneae, iuxta ordinationem felicis recordationis Benedicti Papae XII ; qui contrarium fecerit, poenas contra tales in statutis Ordinis promulgatas se noverit incurisse.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

31. Translationem domini Roberti Bertin a praesidentia monasterii de Strata, Ebroicensis [i] dioecesis, necnon electionem et promotionem seu provisionem eiusdem domini Roberti in abbatem monasterii de Brolio [Benedicti] praedictae dioecesis Ebroicensis [i] per abbates de Vallibus Sernay et de Regali monte, auctoritate domini Pontigniacensis die 29 mensis octobris anno domini 1443 factas, *etc. ut in forma consueta.*

32. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Iacobi Lathomi, professi monasterii de Strata per abbates de Vallibus Sernay et de Regali monte, auctoritate domini Pontigniacensis die 29 mensis octobris anno Domini 1443 factas, *etc.*

33. Praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat omnia et singula facta et actuata per dominum Morimundi, s. th. pr., circa resignationem fratris Vesiani, quondam asserti abbatis de Bonofonte, dioecesis Convenarum, et institutionem ac provisionem factam de persona fratris Antonii Sole-

[i] Eboracensis : L^3.

rii, s. th. pr., in abbatem dicti monasterii de Bonofonte, dictasque institutionem et provisionem cum omnibus et singulis inde sequentibus idem Capitulum confirmat, ratificat et approbat.

34. Cessionem spontaneam domini Ioannis, nuper abbatis in monasterio de Lenyn, Brandeburgensis dioecesis, in manu sui patris abbatis factam, nec non electionem, promotionem et installationem de persona fratris Nicolai, subprioris dicti ad ipsius praesidentiam abbatiatus per dominum abbatem monasterii in Sichem, ipsius monasterii Lenyn patrem abbatem, 11 kalendas novembris anno Domini 1443 canonice factas, *etc.*

35. Resignationem spontaneam abbatialis dignitatis monasterii de Fulcardimonte, dioecesis Rothomagensis, in manu commissarii abbatis de Savigniaco, immediati visitatoris eiusdem monasterii de Fulcardimonte nuper factam, electionemque seu provisionem paternam de persona fratris Caroli de Cahaignolles, presbyteri, ac monasterii de Savigniaco expresse professi, per ipsum abbatem Savigniaci die 11 mensis decembris anno Domini 1444 celebratam, *etc.*

36. Electionem, promotionem et installationem fratris Michaelis Le Fouacier ad praesidentiam abbatiatus monasterii de Fonte Danielis per patrem abbatem, die 10 mensis septembris anno Domini 1444 debite celebratas, *etc.*

37. Provisionem fratris Berengarii Borgarelli, monachi expresse professi monasterii Vallis magnae, ad abbatialem dignitatem monasterii de Sinaqua, Cavallicensis dioecesis, per dominum Morimundi, s. th. pr., auctoritate generalis Capituli die 23 mensis septembris anno Domini 1444 debite celebratam, *etc.*

38. Sententiam per dominum Morimundi, s. th. pr., latam in monasterio de Oliva, Pampelonae dioecesis 22 die mensis maii contra fratrem Ioannem assertum abbatem de Fiterio, latam, praesens generale Capitulum laudat, confirmat et approbat, mandando dicto fratri Ioanni asserto abbati de Fiterio, sub poenis excommunicationis latae sententiae, depositionis et carceris usque ad nutum Capituli generalis, ut ab inquietationibus, intrusionibus et molestationibus abbatis ipsius monasterii de Oliva cesset omnino et quiescat, committendo abbatibus de Sancta Fide et de Petra, et cuilibet eorum in solidum, eisque praecipiendo in virtute salutaris obedientiae, quatinus hanc diffinitionem per se vel per alium debitae executioni studeant

demandare, imponantque perpetuum silentium eidem Ioanni asserto abbati super impetitionem dicti abbatis de Oliva, sub poenis antedictis.

39. Praesens generale Capitulum debite informatum de probitate, sufficientia et honesta conversatione fratris Nicolai de Fyreyo, monachi de Theoloco, nostri Ordinis Lingonensis dioecesis, eidem fratri praesens generale Captulum committit omnimodam administrationem et regimen totale, spirituale videlicet et temporale, monasterii de Silvacana, cui monasterio de Silvacana idem Capitulum monasterium de Valle Sancta, dudum eidem monasterio de Silvacana annexum, unitum et incorporatum rursus et ex abundanti unit, annectit et incorporat cum omnibus suis iuribus, proventibus, pertinentiis et emolumentis ad praedictum monasterium de Valle Sancta pertinentibus quibuscumque.

40. Praesens generale Capitulum legitime informatum, quod longe ante Sanctissimus Dominus noster Eugenius, divina providentia Papa IV, fratrem Ioannem Magdale [j], s. th. pr., in romana Curia procuratorem generalem, in abbatem monasterii Beatae Mariae de Ovila [k], Seguntinae dioecesis praefecit quia dominus Morimundi, visitator in tota Hispania deputatus, fratrem Ferrandum de Fonte in abbatem eiusdem monasterii de Ovila [k] praefecerat, ideoque dictam fratris Ferrandi provisionem [l] nullam esse, quia contra dispositionem Sedis Apostolicae factam, et quod si dicto domino Morimundi de praefata provisione Domini nostri Papae tunc constasset, nequaquam dicto fratri Ferrando aut alteri, sicut nec poterat, providisset, ad eiusdem domini Morimundi instantiam electionem ultimo celebratam, sine patris abbatis licentia, in eodem monasterio de Ovila, ac praefatam provisionem [l] dicti domini Morimundi factam dicto fratri Ferrando, cassat, irritat et annullat, prout nullae et cassae a suo principio fuerunt, cum omnibus inde secutis; de Spina, de Palaciolis, de Oliva monasteriorum abbatibus et cuilibet ipsorum praecipiendo et mandando, quatinus praesentem diffinitionem praedicto fratri Ferrando intiment et eumdem compellat ad dimittendam possessionem dicti monasterii et omnium membrorum eius, et dictum fratrem Ioannem aut suum procuratorem ponant et inducant in veram et realem possessionem, censura

[j] Magdele: *M*. [k] Oliva: *L*³*M*. [l] pensionem: *L*³.

Ordinis et aliis remediis opportunis, concedendo eisdem et cuilibet ipsorum quoad praemissa plenariam Ordinis potestatem.

GRATIAE SPECIALES

41. Abbates Ordinis, qui miserunt suas excusationes quorum nomina sequuntur ad praesens generale Capitulum et qui propter notoria guerrarum discrimina ad hoc ipsum commode accedere non valuerunt, habet ipsum Capitulum pro hoc anno favorabiliter excusatos, illis dumtaxat exceptis, qui fuerant ad ipsum generale Capitulum personaliter citati et non comparent, sequuntur nomina de Pruliaco, de Barbello, de Valle lucenti, de Ellantio, de Rupibus, de Pratea, de Oliveto, de Lenyn, de Valleclara, de Signiaco, de Valleregis, de Caricampo, de Aceyo, de Balerna, de Valcellis, de Claroloco, de Camberone, de Capella, de Loco Sancti Bernardi, de Villari, de Albaripa, de Crista, de Boheriis, de Fusniaco, de Regalimonte, de Karoliloco, de Valle Beatae Mariae, et omnes abbates nationis germanicae.

42. Ad supplicationem abbatis de Lenyn, frater Caspar, monachus dicti monasterii de Lenyn, super apostasia per ipsum duabus vicibus per saeculum evagando perpetrata, habitu regulari minime dimisso, rehabilitatur per generale Capitulum ad omnes Ordinis gradus et dignitates, abbatiali dignitate seclusa.

43. Misericorditer dispensat praesens generale Capitulum cum fratre Guillelmo Chiffleti, dudum professo monasterii Cariloci et nunc Montis Sanctae Mariae, qui per spatium 40 dierum, instigante inimico naturae, regulari habitu minime dimisso, apostatavit, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis gradus, dignitates et officia, valeat promoveri etiamsi abbatialem dignitatem includat.

44. Praesens generale Capitulum attendens onera gravia Ordini pro nunc incumbentia, omnibus et singulis monasteriis monialium Ordinis universi cuiuscumque conditionis existant, per immediate sequens triennium imponat subsidium per dominum Cisterciensem et quatuor primos taxandum.

45. Abbati Lubensi per generale Capitulum conceditur, ut ipse per se visitet et reformet monasteria sibi immediate subiecta, videlicet de Claratumba, de Heynrichaw, de Camenz, de Bissovia, de Trebniz, de Orvenizko, de Olbok, et quod a nullo alio possit visitari absque speciali mandato Capituli generalis, cui

praecipitur, quatinus anno quolibet visitet et reformet dicta monasteria, sub poenis in statutis Ordinis contentis.

46. Cum abbatibus de Lubens, de Claratumba, de Heynrichaw, de Camenz, de Bissovia, de Trebniz, de Orvenizko, de Olbok, de Grissow, de Hymenlinz, et de Ruda et cum quolibet eorum misericorditer per generale Capitulum conceditur, ut quilibet eorum possit eligere confessorem de Ordine sufficientem et idoneum, qui possit eos absolvere in foro conscientiae a singulis casibus et peccatis, a quibus abbates possunt suos monachos absolvere, quodque possit vices suas committere suis religiosis sufficientibus et discretis.

47. Generale Capitulum dolenter informatum super lugenda desolatione et concrematione monasteriorum Ordinis in partibus Silesiae existentium, abbatibus dictorum monasteriorum ac ipsis monasteriis de gratia speciali praesens Capitulum generale remittit omnes suas contributiones imponendas usque ad sex annos a data praesentium computandos, quittatque eosdem et quemlibet ipsorum de omnibus et singulis arreragiis dictarum contributionum, per eos aut alterum ipsorum Ordini debitis.

48. Generale Capitulum supplicationi fratrum de Calatrava supplicantium, quod possint celebrare festum sancti Alphonsi nuper archiepisopi Toletani, cum XII lectionibus et duobus missis, attento quod in tota illa patria devote colitur a christifidelibus annuatim dictum festum, quapropter ipsam supplicationem adiuvat praesens generale Capitulum intuitu et augmento devotionis dictorum supplicantium.

49. Misericorditer dispensat praesens generale Capitulum cum fratre Daniele Vanburen, monacho monasterii de Bondelo, qui post 15 dies vel circa apostatavit, regulari habitu Ordinis dimisso, ut praemissis non obstantibus, possit et valeat ad omnes gradus, dignitates et officia promoveri, inclusa abbatiali dignitate.

50. Praesens generale Capitulum, attendens penuriam et paupertatem monasteriorum de Albaripa, de Longovado, de Belloloco Lingonensi, de Bethania, de Clarofonte, de Lococrescenti, de Caroloco, de Dulcivalle, de Luzella, de Theoloco, abbates eorumdem monasteriorum et quemlibet ipsorum suaque monasteria a solutione cuiuscumque contributionis sibi aut suis monasteriis anno praeterito impositae quittat benigne et absolvit.

51. Considerata monasterii de Eleemosina paupertate et penuria, de speciali gratia abbati eiusdem monasterii remittit sibi medietatem suae quottae contributionis praesentis anni, una cum omnibus et singulis arreragiis dictarum contributionum, per ipsum abbatem et suum monasterium usque ad praesens Capitulo Ordinis debitis.

COMMISSIONES

52. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant, in provincia Bituricensi, Burdegalensi et tota Aquitania consistentium, domino Claraevallis, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit in plenaria Ordinis potestate cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem postea declarandis.

53. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant in omnibus regnis, patriis et dominiis illustrissimorum Regum et principum Angliae, Scotiae, Daniae, Walliae et Hyberniae consistentium, cum nonnullis aliis provinciis per dominum Cisterciensem nominandis, praesens generale Capitulum domino Morimundi, s. th. pr., per immediate sequens triennium committit cum clausulis opportunis, per dominum Cisterciensem postea declarandis.

54. Ad idem committitur fratri Ioanni Magdale, abbati de Ovila, s. th. pr., in romana Curia Ordinis generali procuratori, pro monasteriis utriusque sexus in dominiis serenissimorum regum Castellae et Portugalliae constitutis, cum clausulis opportunis.

55. Renovatur commissio eiusdem fratris Ioannis Magdale, abbatis de Ovila, s. th. pr., in romana Curia Ordinis generalis procuratoris, pro monasteriis in partibus Italiae et aliis circumvicinis partibus constitutis, in plenaria Ordinis potestate.

56. Monetur magister Petrus, abbas de Balerna, quod ipse infra instans et proximum festum Sanctissimae Trinitatis solvat et reddat cum effectu Ioanni de Forcipibus, apothecario Salinis commoranti, summam 68 florenorum, 11 gr. turonensium, 5 denar. in qua quidem summa tenetur per cedulam suam propria manu signatam obligatus praefatus magister Petrus dicto mercatori, ut apparet per dictam cedulam de data penul-

tima mensis februarii anni 1439. Et in casu oppositionis committitur abbatibus de Roseriis et de Monte Sanctae Mariae coniunctim vel divisim, quod partibus hinc inde auditis ministrent, vel ipsorum alter ministret, iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate, non obstantibus quibuscumque frivolis appellationibus.

57. Committitur abbatibus de Candelio, s. th. pr., et de Caduino coniunctim, quod quantocius commode poterunt se transferant ad monasterium Fontis frigidi et ibidem debite vocato patre abbate monasterii, se diligenter informent super regimini eiusdem monasterii spirituali et temporali, et tam in capite quam in membris et si per huiusmodi informationem abbas dicti loci super malo regimine sufficienter convictus et culpabilis repertus fuerit, quod suspendatur ab administratione temporali, et nihilominus citetur ad proximum generale Capitulum visurus ulterius procedi, prout fuerit rationis visis informationibus super hoc fiendis.

58. Committitur abbatibus de Buxeria, Andegavensis dioecesis, et de Claritate coniunctim, quod se diligenter informent super electione aut promotione fratris Petri Haloiet in abbatem monasterii de Ponte Oltrani, eiusdem Andegavensis dioecesis, et si per informationem sufficientem repererint eumdem fuisse canonice electum seu promotum, quod auctoritate Capituli generalis eumdem confirment, aut alias provideant iuxta formam statutorum Ordinis consuetam.

59. Generale Capitulum mandat et committit abbatibus de Dunis in Flandria et de Laude, quatinus litteras supplicationis eiusdem Capituli illustrissimo domino duci Burgundiae suisque consiliariis, debita cum reverentia porrigant et presentent eisdem humiliter supplicando, quod ob reverentiam Dei et status ecclesiastici permittant de cetero abbates Ordinis personas eisdem subiectas et potissime conspiratores, apostatas, fugitivos, malefactores et Ordini rebelles iuxta dicti Ordinis privilegia et institutiones de suis criminibus et excessibus, via iuris et iustitiae debitae corrigant ac legitime puniant.

60. Praesens generale Capitulum ordinat et diffinit committitque abbati de Caduino, in sacra pag. lic., et singulis abbatibus in provinciis Tolosana, Auxitanensi et Narbonensi existentibus, quatinus principales conspiratores, videlicet fratres Vosianum de Seglano olim abbatem, Vitalem Forutrii, Bertrandum de Ar-

mentario, Blasio de Bassio, Alnardum Morra, Dominicum de Ysorco, Bertrandum de Arbouso, Ioannem de Amplada et nonnullos alios monachos monasterii de Bonofonte, Convenarum dioecesis, denuntient, seu quilibet ipsorum denuntiet excommunicatos et conspiratores et tamquam tales fore puniendos, praecipiendo eisdem et cuilibet ipsorum, quatinus dictos fratres capiant seu capi et incarcerari faciant, usque ad nutum Capituli generalis, invocato ad praemissa, si sit opus, auxilio brachii saecularis, supplicatque cum debita reverentia idem Capitulum nobilissimo domino comiti Covenarum, quatinus ad praemissa benigniter auxilium et favorem impertiri dignetur.

61. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Begar, s. th. pr., et de Busayo, quatinus super quibusdam litibus et controversiis motis, inter de Savigniaco et de Sancto Andrea monasteriorum abbates, cognoscant et iudicent ipsis coram eisdem debite vocatis vel evocandis, et super praemissis fungantur dicti commissarii plenaria potestate Capituli generalis.

62. Committit praesens generale Capitulum abbati de Heysterbach, quatinus monachos professos monasterii de Nepomuc propter guerrarum discrimina aut alias ubicumque dispersos, per censuras et poenas Ordinis compellat viriliter redire ad proprium monasterium.

63. Praesens generale Capitulum committit abbatibus de Caduino et de Bonofonte, quod visitent et reforment ea quae sunt reformanda, tam in capite quam in membris, monasterii de Villalonga, in plenaria Ordinis potestate.

64. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Valle clara et de Igniaco et cuilibet ipsorum in solidum, quatinus ipsi aut alter eorumdem viriliter compellant vel compellat abbatem Bonifontis, Remensis dioecesis, per censuras et poenas Ordinis ad solvendum integre medietatem bursae scolaris de Signiaco Parisius studentis, prout in generali Capitulo anni praeteriti fuit diffinitum, in plenaria Ordinis potestate, et citent vel citet eumdem abbatem Bonifontis ad proxime futurum Capitulum generale.

65. Committitur Domino abbati Pontigniaci, quod sub poenis et censuris Ordinis compellat abbatem et conventum monasterii de Rupibus ad satisfaciendum abbati et conventui monasterii de Quinciaco, tam super quodam debito per eosdem de Rupibus praefatis de Quinciaco deberi praetenso, atque super expensis

cuiusdam contumaciae in qua praefati de Rupibus tenentur dictis de Quinciaco, et partibus auditis administret bonum et breve iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate, inhibendo praedictis de Rupibus sub poenis in papalibus statutis contentis, ne quavis occasione audeant vel praesumant facere conveniri dictos de Quinciaco coram quocumque iudice, praeterquam de Ordine.

66. Committitur abbati de Caduino, quod accedat quantocius commode fieri poterit ad monasterium monialium Elnondes, et se informet super quadam charta visitationis per abbatem Silvanesii et visitatorem immediatum dicti monasterii monialium in sua ultima visitatione ibidem facta, et si dictam chartam visitationis videat procedere contra Ordinis statuta, quod contenta in eadem charta auctoritate generalis Capituli casset, irritet et annullet, mittatque causas et rationes dictae annullationis domino Cisterciensi infra proximum generale Capitulum, et suspendat dictum abbatem Silvanesii ab officio visitationis quoad illud monasterium, quousque per generale Capitulum super praemissis fuerit ordinatum, visitet etiam praefatus de Caduino praedictum monasterium monialium et provideat in regimine spirituali et temporali, prout eidem videbitur expediens.

67. Committitur abbati Grandissilvae, quod se informet super certis redditibus per abbatem et conventum Fontis frigidi Bernardo Septe, mercatori, assignatis ratione quarumdam pecuniarum per dictum mercatorem eisdem abbati et conventui concessarum, et si dictos redditus procedere repererit iustis et rationabilibus causis, quod auctoritate generalis Capituli confirmet et approbet.

68. Committitur domino abbati Pontigniaci, quod super quadam controversia inter abbatem de Caduino et abbatem de Rigniaco quondam mota et adhuc pendente, cognoscat in plenaria Ordinis potestate.

69. Abbatibus de Prulliaco et de Ioyaco committitur per praesens generale Capitulum, quatinus quamcito commode poterunt ad monasterium de Charmeya, Catalaunensis dioecesis, et etiam ad alia quaelibet loca ipsi monasterio circumvicina, personaliter accedentes inquirant diligenter et exacte se informent de fama, moribus et regimine fratris Nicolai Tonnelin, pro abbate dicti loci se gerentis, nec non de causis cuiusdam frivolae appellationis per ipsum Nicolaum contra suum patrem abbatem, abba-

temque Igniaci sibi adiunctum, nuper emissae, et comperta veritate circa praemissa et ea concernentia praefatum fratrem Nicolaum, si sua exegerint demerita, via iuris et iustitiae ac secundum papalia ipsiusque Ordinis instituta a dignitate abbatiali deponant, depositumve nuntient et excommunicatum ubi oportebit, ac etiam alias per incarcerationem seu emissionem, appellatione postposita, viriliter puniant iuxta suorum exigentiam demeritorum, in plenaria Ordinis potestate, invocato etiam, si opus fuerit ad praemissorum executionem, quorumdam iudicum ecclesiasticorum vel saecularium auxilio, consilio et favore.

70. Praecipit praesens generale Capitulum abbatibus de Valle Sancti Lamberti, de Grandi prato iuxta Namurcum et de Valle Dei, Leodiensis dioecesis, sub poenis latae sententiae excommunicationis et ad solvendum duplum expensarum secundum statuta papalia, quatinus infra festum sancti Remigii proxime venturum ipsi tres coniunctim in aequali portione faciant et mittant unum scolarem sufficientem et idoneum, ad proficiendum in moribus et scientia, in collegio nostro Sancti Bernardi Parisius, committens idem Capitulum abbati de Villari in Brabantia quatinus praefatos abbates et eorum quemlibet ad praemissa facienda et solvendum viriliter coerceat et compellat, per censuras Ordinis, in plenaria Ordinis potestate.

71. Abbati de Obra per generale Capitulum committitur visitatio omnium et singulorum monasteriorum Ordinis in provincia et archiepiscopatu Gneznensi existentium, in plenaria Ordinis potestate, per immediate sequens quinquennium, rehabilitationibus, confirmationibus Capituli et camerarum distributionibus exclusis.

72. Ad idem committitur abbati de Prulliaco in filiatione sua.

73. Ad idem abbati de Begar, s. th. pr., pro monasterio de Boquean sibi immediate subiecto.

74. Abbati de Obra par generale Capitulum committitur, quatinus abbatissam monasterii de Oloboz, suo patri abbati rebellem et inobedientem, suspendat et deponat ab abbatiali dignitate.

75. Abbatibus de Longovado et de Ripatorio committitur per praesens generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas quas repererint domino abbati Claraevallis aut suo monasterio obligatas, *etc. ut in forma consueta.*

76. Ad idem abbatibus de Valle clara et de Igniaco, pro abbate

et monasterio Signiacensi et specialiter contra abbatem de Bonofonte.

77. Ad idem abbatibus de Valle clara et de Valle Regis, pro monasterio Igniacensi.

78. Dominis abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Maceriis, de Regali monte, de Ursicampo, de Prulliaco, de Dunis, de Villari, de Alna, de Charitate et de Caricampo committitur per generale Capitulum et eorum cuilibet, quatinus omnes et singulas utriusque sexus personas regulares Ordinis, quas in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis repererint obligatas monasterio Cisterciensi, *etc.*

79. Domino Cisterciensi cum ea qua decet reverentia, praesens generale Capitulum committit, quatinus visitet per se vel per alium diffinitiones militiae Calatravensis per dominum Morimundi s. th. pr. modernum ultimate editas, ipsasque confirmet vel infirmet, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

80. Quoniam qui altari servit de altari vivere debet, quinimo nullus tenetur propriis stipendiis militare, eapropter abbates regnorum serenissimi principis domini regis Castellae et Legionis per dominum Morimundi in monasterio de Orta, Seguntinensis dioecesis, congregati pro reformatione monasteriorum, pro aliquali relevatione expensarum ipsius domini Morimundi, quas occasione eorumdem abbatum fecerat, licet in maioribus summis sibi obligarentur eidem assignaverunt centum quinquaginta florenos Arragoniae, unicuique abbati et abbatissae parvam quotam assignantes et super hoc concordes fuerunt et consenserunt, quinimo ipsas summas sibimetipsis distribueret prout super hoc debite est informatum praesens generale Capitulum, et his non obstantibus, certi abbates quotas eis impositas solvere recusarunt, frivolas proponentes allegationes, cum tamen Ordo in nullo ipsos gravet, neque etiam Capitulum, visitant ut debent, neque in aliquo debitum faciunt, quapropter in omnibus Ordini obligantur; tantorum ergo malorum praesumptionibus necnon ingratitudinibus obviare cupiens, praesens Capitulum generale praecipit et mandat omnibus et singulis abbatibus, abbatissis et regimini praesidentibus regnorum dicti Regis Castellae et Legionis, sub poena excommunicationis latae sententiae et ex consequenti

depositionis, quatinus quotas sibi et eorum cuilibet, ut praefertur, in praedicto monasterio de Orta impositas infra 15 dies postquam praesens diffinitio ipsis vel alteri ipsorum fuerit praesentata, realiter solvant et tradant abbati Sancti Petri de Gomell, vel eius nuntio, cum omnibus expensis eidem occasione factis vel faciendis, alioquin recusantes transacto dicto termino, idem Capitulum excommunicatos denuntiat, non obstantibus quibuscumque appellationibus vel oppositionibus in contrarium factis vel faciendis.

81. Item, quia semper omnes religiosi et maxime abbates tenentur sancte, pie et iuste vivere et pro posse omnem sententiam excommunicationis evitare, et nuper dominus Morimundi debite informatus, quia frater Ioannes Rondeau, tunc se gerens pro abbate monasterii de Lanvaux, abbatiam suam in favorem fratris Yvonis Le Marchiis in manibus commissariorum sui patris abbatis, sine licentia Capituli generalis, resignavit contra privilegia Ordinis apostolica, et per eius resignationem frater Yvo Le Marchiis monasterium adeptus fuit, ex hoc tam ipse quam idem frater Yvo Le Marchiis sententias excommunicationis incurrendo, quapropter dominus Morimundi dictum fratrem Yvonem Le Marchiis excommunicatum denuntiavit et ita publicari per abbatem de Precibus aut suum nuntium praecipit et nihilominus praefatus frater Yvo sententias Ecclesiae parvipendens, et suo Ordini rebellis et inobediens, litteras dicti domini Morimundi de manibus sui nuntii rapuit, eidemque nuntio multas iniurias fecit, nec in praesenti Capitulo, licet debite citatus, comparuit. Eapropter eumdem fratrem Yvonem idem Capitulum excommunicatum denuntiat et deponendum, praecipitque et mandat, sub poena suspensionis a divinis ipso facto, abbatibus de Busayo et de Precibus et cuilibet ipsorum, quatinus infra mensem, postquam praesens diffinitio eisdem vel alteri ipsorum praesentata fuerit, saepedictum fratrem Yvonem per omnia monasteria Ordinis in Britannia consistentia et alia loca opportuna nec non in valvis Ecclesiae cathedralis Venetensis, ut praefertur, excommunicatum publice denuntiari procurent seu alter eorum procuret, et personaliter ad monasterium de Lanvaux accedentes seu alter eorum accedat et se informet si contra privilegia apostolica, ut praefertur, fuerit promotus, si iniurias nuntio domini abbatis Morimundi intulerit, et si ita repererint, seu alter eorum repererit, ipsum ab omni administratione dicti monasterii de

Lanvaux deponant, ac ab abbatiali dignitate removeant in plenaria Ordinis potestate, de omnibus quae fecerint proximum Capitulum informaturi ; insuper ipsum citantes seu alter ipsorum citet per se vel per aliquem notarium vel religiosum ad proximum Capitulum generale visurum contra ipsum ad ulteriora procedi.

82. Fratrem Iacobum Trosselli, monachum monasterii Fontisfrigidi, per dominum Morimundi sub poena excommunicationis latae sententiae monitum, quatinus infra praesens Capitulum generale satisfaceret fratri Egidio de Roya, religioso et notario domini Cisterciensis de summa 15 florenorum arragonensium sibi per dictum fratrem Egidium confessa, quia non fecit, idem Capitulum excommunicat, et quia nonnulla bona ad monasterium Vallis bonae pertinentia, occasione cuius dictae provinciae eidem fratri Iacobo, tunc administratori eiusdem monasterii Vallis bonae fuerunt concessa, in dicto monasterio Fontisfrigidi sunt arrestata, praesens Capitulum committit abbati de Caduino, quatinus vendat dicta bona usque ad dictam summam 15 florenorum, eidem dicto fratri Egidio quantocius poterit transmittendam, absolvendoque eumdem fratrem Jacobum Troselli in plenaria Ordinis potestate.

83. Abbatem de Monte petroso, quia suas contributiones solvere monitus renuit, sententiam excommunicationis incurrendo, ad praesens generale Capitulum citatum, quia non comparet, idem Capitulum reputat contumacem, citando ipsum ad comparendum coram domino Cisterciensi ad primam diem iuridicam post festum Sancti Ioannis Baptistae proxime futurum, responsurum ad omnia et singula, quae contra eum proponentur cum protestatione, quod nisi comparuerit nihilominus contra ipsum prout iuris fuerit procedetur, huius diffinitionis executionem abbati de Bonavalle Viennensi committendo.

84. Ad idem pro abbate de Septem fontibus, cuius executio fratri Philippo de Fonteneto, monacho monasterii de Pratea committitur.

85. Quia ad notitiam praesentis Capituli generalis dolenter pervenit, quod frater Ioannes de Lyen, monachus monasterii de Loco Sancti Bernardi, in detrimentum suae salutis, litteras et sigillum domini Cisterciensis et signum manuale notarii ejusdem domini falsificare et contrafacere praesumpsit, idcirco praesens Capitulum eumdem fratrem Ioannem mandat per abbatem

suum incarcerari et in eisdem detineri usque ad nutum Capituli generalis.

86. Fratrem Gaspardum Nigrelli assertum abbatem de Valle sancta per dominum Morimundi, s. th. pr., excommunicatum, et ad praesens generale Capitulum citatum, praesens generale Capitulum, quia citatus non comparet, reputat contumacem, ipsumque aggravat et reaggravat, districte praecipiendo abbatibus Delphinatus provinciae et cuilibet ipsorum, quatinus praefatum fratrem Gaspardum capiant seu capi faciant et incarcerent, in ipsis carceribus firmis detinendo usque ad nutum Capituli generalis, invocato, si necesse fuerit ad praemissa, auxilio et favore brachii saecularis.

87. Diffinitionem anno praeterito editam contra fratrem Petrum Turlyonis, quondam abbatem monasterii Vallisdebona, praesens Capitulum approbat, confirmat et innovat, praecipiendo abbati Sanctarum Crucium, s. th. pr., quatinus ipsum fratrem ubicumque repertus fuerit capiat et incarceret usque ad nutum Capituli generalis, in plenaria Ordinis potestate.

88. Abbatibus de Carraceto et de Sancto Petro de Gomell praecipitur per generale Capitulum, quatinus sub poena excommunicationis amodo si contingat esse litem vel controversiam super alicuius monasterii abbatiatu dicti regni, propter huiusmodi lites seu controversias nullo modo bona ad dicta monasteria pertinentia dividant seu unicuique contendentium partem tribuant, sed quamdiu lis erit de monasterio fiat sequestratio bonorum dicti monasterii in manu patris abbatis, ita tamen ut dispensatio dictorum bonorum penes priorem et officiarios dicti remaneat, qui officiarii habebunt rationem reddere coram dicto patre abbate ne huiusmodi lites et controversia dirigantur cum expensis dicti monasterii.

89. Generale Capitulum informatum de litigio inter duos contendentes super abbatia de monasterii de Vaica motum, committit abbatibus de Sandovale et de Palaciolis coniunctim, quatinus dictum litigium terminent, in plenaria Ordinis potestate.

90. Fratrem Martinum Vargaz, monasterii Vallisbonae assertum abbatem, per generale Capitulum pluries et multipliciter excommunicatum, gravatum et reaggravatum, tamquam conspiratorem et invasorem privilegiorum Ordinis, et tanquam talem per dominum Morimundi publicatum et denuntiatum, praesens

generale Capitulum ex abundanti excommunicat, aggravat et reaggravat, praecipitque et mandat abbati de Spina, quatinus ipsum capiat seu capi faciat et incarcerari usque ad nutum Capituli generalis, invocato auxilio brachii saecularis.

91. Abbati de Insula Barrensi, sub poenis tam depositionis ab abbatiali dignitate quam etiam excommunicationis latae sententiae, per generale Capitulum inhibetur districtius, ne de facto seu visitatione qualicumque monasterii monialium de Sancta Hoylde, domino Claraevallensi, s. th. pr., immediate subiecti, de cetero quovis modo intromittere se praesumat, praecipiendo idem Capitulum praefato domino Claraevallensi, quatinus ipsum monasterium per se seu per alium vel alios diligenter visitet et informet.

92. Monentur per praesens generale Capitulum fratres Iacobus Trocelli et Antonius Beroni, dudum administratores monasterii Vallisdebonae, sub poenis excommunicationis latae sententiae et carceris, quatinus certam pecuniae summam, quam ipsi debent honorabili viro Guillelmo Morelli, mercatori Perpigniani, ut ipse mercator asseruit, solvant eidem mercatori fideliter et integre, ut tenentur, infra festum Omnium Sanctorum proxime venturum.

93. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum, quod quidam contractus traditionis unius grangiae in finagio Charmetitae, et ad monasterium Belliloci, Lingonensis dioecesis, pertinentis inter abbatem et conventum dicti loci ex una parte et Ioannem Baudesson et Ioannae eius uxorem ex altera factus et habitus fuit, et est eidem monasterio Belliloci nedum inutilis verum etiam notorie damnosus et onerosus, ac etiam a statutis nostri Ordinis plurimum exorbitans, idcirco per dictum Capitulum iam dictum contractum cum omnibus ad ipsum spectantibus revocat, irritat, cassat penitus et annullat.

94. Praecipitur per generale Capitulum abbati de Balerna, s. th. pr., quatinus solvat realiter et cum effectu bacalaureo suo bursam integram anni praeteriti et anni praesentis, infra festum Remigii proxime futurum, quod nisi fecerit, praesens Capitulum denuntiat ipsum abbatem, ex nunc prout ex tunc, dictas poenas et censuras incurrisse, a quibus non possit absolvi nisi prius quod praecipitur impleverit cum effectu.

95. Abbatibus de Bardonis et de Scala Dei et cuilibet eorum per generale Capitulum praecipitur, quatinus per se vel per

alium sufficientem et idoneum abbatem visitent annuatim et reforment omnia et singula, quae in monasterio de Orta, de Monte salutis et de Bonofonte fuerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, absolvitque praesens generale Capitulum dictorum monasteriorum, videlicet de Orta, de Monte salutis et de Bonofonte abbates ab omnibus et singulis visitatoribus Regni Castellae institutis vel instituendis, absque speciali mandato Capituli generalis.

96. Praesens generale Capitulum diffinit, ordinat et statuit, quod attentis maximis Ordinis necessitatibus et agendis, omnes et singuli abbates Regni Castellae et Portugalliae solvant suas contributiones secundum taxam prout in Cistercio habetur, non obstantibus quibuscumque constitutionibus vel consuetudinibus in contrarium hactenus factis, mandando eisdem abbatibus et cuilibet ipsorum, sub poena in Benedictina et aliis Ordinis statutis contentis, quatinus huiusmodi contributiones integre solvant receptoribus per dominum Cisterciensem aut Capitulum generale deputandis, revocatque et deponit tam dominus Cistercii quam praesens generale Capitulum omnes et singulos receptores hactenus institutos.

97. Praecipitur abbati de Sinaqua, quod se infomet super quibusdam malefactoribus tam regularibus dicti monasterii quam aliis, qui aliqua bona mobilia ad dictum monasterium pertinentia furtim substraxerunt, et quos per informationem culpabiles repererit, eos puniat et corrigat secundum casus exigentiam, in plenaria Ordinis potestate, invocato, si sit opus, auxilio brachii saecularis.

98. Auctoritate Capituli generalis absolvuntur prior et officiarii monasterii Fontisfrigidi a quibuscumque censuris Ordinis et sententiis excommunicationis, si quas incurrerunt temporibus retroactis propter defectum solutionis quotarum, eisdem seu monasterio impositarum ratione contributionum aut alias, eisdem concedendo licentiam, quod possint accomodare seu manulevare usque ad summam centum librarum et non ultra, eisque inhibendo omnem aliam accomodationem seu manulevationem sub poena carceris donec dictas contributiones solverint cum effectu ; praecipitur insuper abbati dicti monasterii, quatinus infra proximum generale Capitulum redimat tres calices et caput baculi pastoralis et aliqua iocalia ad dictum monasterium pertinentia et per dictum abbatem impignorata, sub poena suspensionis a divinis.

99. Generale Capitulum sufficienter informatum, quod contractus habitus inter abbatem et conventum monasterii Maceriarum ex una parte et discretum virum Galtherum Corneti, civem Cabilonensem ex altera, super quodam annuo redditu in litteris super hoc confectis mentionato, quibus nostrae praesentes annectuntur, ad utilitatem dicti monasterii Maceriarum notorie processerit, eapropter dictum contractum cum litteris eidem annexis iuxta et secundum dicti contractus formam et tenorem, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat.

100. Praesens Capitulum generale assertum abbatem monasterii de Aquabella per dominum Morimundi excommunicatum et ad praesens generale Capitulum citatum, quia non comparet, decernit contumacem, praecipitque abbatibus de Caduino et de Bonofonte, s. th. pr., quatinus ad praemissum monasterium de Aquabella personaliter accedant atque se informent si dictus assertus abbas fuerit de Ordine Mendicantium et si habuit dispensationem sufficientem super hoc ; insuper se informent de vita et conversatione eius, quod si repererint dictum fratrem in dicto fore deponendum, ipsum deponant et alium instituant iuxta Ordinis formam consuetam, in plenaria Ordinis potestate.

101. Cum inter venerabilem fratrem Ioannem Bohem, abbatem de Caduino, in s. pag. lic., et Iacobum de Lanis, decretorum doctorem, liti finem imponere cupiens, ordinationi et dispositioni Capituli generalis se submiserunt renuntiando liti, et causae, dictus Ioannes personaliter constitutus et Iacobus per procuratorem idoneum, de procuratorio sufficienter fundatum, cuius procurationis tenor sequitur in haec verba : In nomine Domini. Amen. Noverint universi, etc., et per litteram manu propria scriptam. Unde praesens generale Capitulum ordinat, prout sequitur et summaliter diffinit, quod dictus frater Iacobus revertatur ad monasterium suum de Anisorio, unde primo fuit professus, mandando abbati eiusdem monasterii, ut eidem tamquam monacho proprio de necessariis provideat iuxta et secundum statuta Ordinis, dictus autem Ioannes abbas de Caduino pro suis necessitatibus communibus 12 salucia annis singulis, vita comite ipsum de Lanis durante eidem dare et ministrare tenebitur, 6 videlicet in Nativitate Domini et sex in nativitate Beati Ioannis Baptistae de mandato Capituli generalis, quorum primus terminus erit in festo Nativitatis Domini proxime venturo, imponendo eisdem contendentibus super prae-

dicta lite perpetuum silentium, sub poena carceris, cuius diffinitionis executor abbas dicti monasterii de Anisorio committitur, in plenaria Ordinis potestate.

102. Generale Capitulum abbatem monasterii de Valle magna per dominum Morimundi excommunicatum, et ad praesens generale Capitulum citatum visurum procedi contra eumdem via iuris, quia non comparet, decernit contumacem, cuius contumacia exigente, idem Capitulum decernit excommunicatum, praecipiendo abbati de Caduino et omnibus aliis, quatinus eumdem abbatem de Valle magna excommunicatum et aggravatum publice denuntiet et denuntiari faciat, et nihilominus citetur ad proximum generale Capitulum pro secundo edito, visurus procedi contra eumdem prout fuerit rationis cum intimatione, etc.

1446

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, statuta sunt haec apud Cistercium, die vigesima tertia mensis maii, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc. ut in anno* 1431.
2. Pro christianissimo ... *etc. ut in anno* 1443.
3. Pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1401.
4. Pro pace ... *etc. ut in anno* 1416.
5. Pro felicis ... *etc. ut in anno* 1425.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Cum Ordo noster ... contributionem novem millium florenorum ... *etc. ut in anno* 1411, *n°* 7.

7. Abbates ordinis universi... *etc. ut in anno* 1401, *n°* 6. Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos habet dictum Capi-

---

1446. *Fontes* : *L*³ : 1-90 ; *M* : 9 ; *P*² : 1, 9, 88.

[a] *Titulus apud L*³. [b] Sub Eugenio IV, Ioanne card. Morinens. Ordinis protect., Carolo rege Francorum, Philippo duce Burgundiae : *P*².

tulum excusatos, videlicet de Dunis, de Villari, de Bodello, de Cambrone, de Alna, de Capella Thosan, de Loco Sancto Bernardi, de Regali monte, de Valle digna, de Sanctis Crucibus, de Valle magna, de Heymerode, de Varenis, de Francis vallibus, de Fonte frigido, de monasterio Sancti Bernardi Valentinensi, de Albis petris, de Bonavalle Ruthenensi, de Caduino, de Sconagia, de Lapide Sancti Michaelis, de Mulbruno, de Andreow, de de Suleow, de Moris, de Loco Regio, de Fontemorum, de Nigrolacu, de Pratea, de Valencia, de Oliveto, de Castellariis, de Gratia Dei, de Moroliis, de Cheminone, de Ré, de Sancto Bernardo, de Columba, de Albiniaco, de Prato benedicto, de Capella, de Claromarisco, de Vaucellis, de Pinu, de Valle benedicta, de Valle Regis, de Bonoradio, de Gardo et alios qui suas excusationes miserunt, quos certis ex causis generale Capitulum pro ista vice duxit favorabiliter excusandos.

8. Inhibetur per generale Capitulum omnibus et singulis abbatibus Ordinis universi, quod non permittant aliquos religiosos tunicas nigras deferre, prout alias extitit diffinitum, nec servire aut commorari in villis aut curiis magnatum pro missis celebrandis aut alias quovismodo ; et si qui reperti fuerint, indilate sub poena excommunicationis, per suos abbates revocentur ad proprium monasterium, et si dicti proprii abbates super hoc suum non faciant debitum quod per commissarios in praesenti diffinitione deputatos compellantur ; non obstantibus quibuscumque litteris pro eius executione committit generale Capitulum de Ursicampo et Igniaco monasteriorum abbatibus in provincia Remensi, de Pontigniaco et de Prulliaco monasteriorum abbatibus in provincia Senonensi et cuilibet ipsorum in solidum, ut circa praemissa culpabiles poenis et censuris Ordinis taliter corrigant, quod ceteris cedat in exemplum, ad [correctionem] abbatum qui tales permittant insolentias contra Ordinis statuta, invocato, si opus sit, auxilio brachii saecularis, in plenaria Ordinis potestate.

9. Quia in pluribus et diversis monasteriis Ordinis multa generantur scandala propter disparitatem habituum, cum uniformitas debeat observari, prout alias extitit salubriter ordinatum, quodque tam de iure naturali quam divino membra debeant conformari capiti, ordinat et diffinit generale Capitulum, quod in omnibus et singulis monasteriis utriusque sexus Ordinis universi, teneatur uniformitas praesertim in habitu sicut in Cister-

cio observatur et antiquitus extitit observatum, diffinitionem super praemissis alias factam confirmando et approbando, poenasque et censuras in aliis diffinitionibus contentas declarando et renovando.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

10. Cessionem spontaneam Domini Ioannis de Alta villa, nuper abbatis monasterii de Rigniacio, Antissiodorensis dioecesis, in manu sui patris abbatis factam, necnon electionem, promotionem et installationem de persona fratris Petri de Rupella, presbyteri et monasterii Claraevallis expresse professi, in praesidentiam abbatiatus dicti monasterii de Rigniaco per dominum abbatem Claraevallis die 24[a] mensis martii anno Domini 1445 more gallicano, celebratam, *etc. ut in forma consueta.*

11. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Iacobi Sux, professi monasterii de Laude ad abbatiatum ipsius monasterii per dominum Claraevallensem die 10[a] mensis iunii anno Domini 1445 debite et canonice, *etc. ut in forma consueta.*

12. Promotionem et installationem de persona fratris Philiberti Guneleti, monachi Bellaevallis, in abbatem monasterii de Bethania, Bisuntinensis dioecesis, per abbatem de Balerna commissum a domino abbate Firmitatis, vicegerente domini Cistercii, die 4[a] mensis decembris 1445 factam, prout, *etc. et additur :* supplendo defectus, si qui sint aut fuerint commissi circa dictam promotionem.

13. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Stephani Brousset ad abbatiatum monasterii de Longovado, per dominum abbatem Claraevallis die 21[a] mensis octobris anno Domini 1445 debite et canonice, *etc. ut in forma consueta.*

14. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ioannis de Tibimonte ad abbatiatum monasterii de Cheminione, per abbatem Triumfontium, patrem visitatorem dicti monasterii de Cheminione die 6[a] mensis februarii anno Domini 1445 debite celebratam prout, *etc. ut in forma consueta.*

15. Cessione spontaneam fratris Ioannis de Tiquos, nuper abbatis monasterii de Bonofonte, nec non provisione seu promotione et installatione de persona fratris Ponserdi de Lobia ad abbatiatum monasterii de Bonofonte, per abbates monasterio-

rum de Prulliaco, de Igniaco et de Valleregis, commissarios super hoc per generale Capitulum specialiter deputatos, die penultima mensis aprilis anno Domini 1446 factam et celebratam, prout *etc. ut in forma consueta.*

16. Provisionem et installationem de persona fratris Gaufridi Bruneti, professi monasterii de Savigniaco, Abrincensis dioecesis, ad monasterium de Bellobeco, Rothomagensis dioecesis, per commissarios ab abbate de Savigniaco deputatos die 20ª mensis augusti anno Domini 1445 via Spiritus Sancti factam celebratam, prout, *etc. ut in forma consueta.*

17. Promotionem seu provisionem de persona fratris Egidii Baudonnart ad abbatiatum monasterii de Charmeya per abbatem Vallis clarae suum visitatorem die 25ª mensis octobris anno Domini 1445 prout *etc. ut in forma consueta.*

18. Provisionem seu promotionem et installationem de persona fratris Ioannis Anstallis ad abbatiatum monasterii de Aquabella, Tricastinensis diocesis die 10ª mensis iulii anno Domini 1441 debite factam, prout, *etc. ut in forma consueta.*

19. Promotionem et installationem de persona fratris Ioannis Lanchenorie alias de Therines, professo monasterii de Belloprato, Belvacensis dioecesis, per abbatem Ursicampi, s. th. pr., dicti loci patrem abbatem, ad abbatiatum ipsius monasterii de Belloprato per electionem canonicam 13ª die mensis septembris anno Domini 1445, prout, *etc. ut in forma consueta.*

20. Resignationem spontaneamque cessionem fratris Petri Fusoris ab abbatiali dignitate monasterii de Caricampo, Ambianensis dioecesis, in manu domini Pontigniacensi eiusdem loci patris abbatis, die 19ª mensis ianuarii anno Domini 1445 factam, necnon electionem et provisionem fratris Ioannis de Valieres ad praesidentiam et regimen monasterii de Caricampo per ipsum dominum Pontigniaci die 30ª eiusdem mensis factas et celebratas, prout, *etc. ut in forma consueta.*

21. Electionem seu provisionem de persona fratris Ioannis Confin ad abbatiatum monasterii de Valle clara, Laudunensis dioecesis, per commissarios domini Claraevallensis, s. th. pr., die 14ª mensis iulii anno Domini 1445 factam et celebratam ac per ipsum dominum Claraevallis postmodum acceptatam, prout *etc. ut in forma consueta.*

22. Promotionem fratris Symonis de Speciosa valle, Herbipolensis dioecesis, per abbatem de Caesarea, Augustensis dioece-

sis, dicti loci visitatorem, per electionem canonicam die 18ª iunii anno Domini 1445 factam et celebratam, prout *etc. ut in forma consueta.*

23. Electionem canonicam et provisionem de persona fratris Baldewini, professi monasterii in Riddagshusen in abbatiatum eiusdem monasterii per abbatem in Amelungsborn, dicti monasteri de Riddagshusen visitatorem, anno Domini 1445 in vigilia Corporis Christi factam prout, *etc. ut in forma consueta.*

24. Resignationem seu cessionem spontaneam fratris Ioannis de Warmacia ab abbatiali dignitate monasterii Mulbrunensis in manus abbatis Novicastri, sui patris abbatis, de licentia domini Cisterciensis, die 25ª mensis octobris anno Domini 1445 factam, ac electionem seu promotionem fratris Bertholi de Veyhingen in artibus liberalibus magistrum, ad abbatiatum ipsius monasterii de Mulbrunnen per eumdem patrem abbatem die 28ª mensis octobris per electionem canonicam factam et approbatam, prout *etc. ut in forma consueta.*

25. Spontaneam cessionem liberamque resignationem abbatialis dignitatis monasterii de Valle lucenti, Senonensis dioecesis, per fratrem Guillelmum Guerini, nuper dicti monasterii abbatem, in manu domini abbatis de Prulliaco, sui patris visitatoris, auctoritate Capituli generalis die 9ª mensis octobris anno Domini 1444 factam, necnon electionem seu provisionem de persona domini Henrici Odonis alias de Latigniaco, religiosi monasterii Cisterciensis ac in sacra pagina baccalaurei, ad praesidentiam dicti monasterii Vallis lucentis, per ipsum suum patrem abbatem die penultima mensis maii anno Domini 1445 per viam compromissi, ut plenius in instrumento exinde confecto continetur, factas, *etc. ut in forma consueta.*

26. Promotionem et installationem fratris Ioannis Marggrenensis de Braclis, magistri in artibus et s. th. bacc., professi monasterii in Walkerode ad abbatialem dignitatem eiusdem monasterii per abbates commissarios abbatis Campensis, ipsius monasterii de Walkerode visitatoris, 12º kalendas aprilis anno Domini 1446 per electionem canonicam factas et celebratas, prout ... *etc. ut in forma consueta.*

GRATIAE.

27. Capitulum generale sufficienter informatum, quod con-

tractus habitus inter abbatem et conventum monasterii de Vallibus Sernay et Petrum Cosson, burgensem de Corbelyo, Parisiensis dioecesis, tam suo quam nomine Ioannae eius uxoris, super traditione cuiusdam grangiae cum pertinentiis eiusdem, vulgariter noncupatae grangiae de Varivilla, sub certo annuo censu una cum antiquis omnibus, prout in litteris dictorum abbatis et conventus super hoc confectis plenius continetur, ad utilitatem dicti monasterii processit, ideo ad evitandum maius incommodum, praefatas litteras et contenta in eisdem quibus haec praesens diffinitio annectitur, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat.

28. Contractum habitum inter reverendum in Christo patrem abbatem Sancti Martini Eduensis et eius conventum ex una parte, et abbatem et conventum de Fonteneto ex altera super quadam conventione inter praenominatos acta, prout in litteris, *etc. ut in nº praeced.*

29. Ad instantiam et requestam domini abbatis de Firmitate, s. th. pr., ac sui conventus, contractum et conventionem inter ipsos ex una parte et Martinum Flachien ac Hugoninum eius filium ac liberos eorumdem factas et initas, super manumissione et franchisia eorumdem ac etiam de certo redditu et aliquibus coranatis seu ioranatis eisdem abbati et conventui per eosdem Martinum et Hugoninum suosque liberos annuatim de cetero persolvendis, omniaque et singula in litteris, *etc. ut supra.*

30. Ad supplicationem domini abbatis Pontigniaci, dispensat misericorditer praesens generale Capitulum cum fratre Nicolao de Divione, qui spreto religionis habitu apostatavit 24 annis evagando per saeculum, quod non obstantibus praemissis ad omnes Ordinis gradus et dignitates valeat promoveri, abbatiali seclusa.

31. Ad supplicationem abbatis de Caricampo, dispensat praesens generale Capitulum cum fratre Egidio Dauredonig, qui spreto religionis habitu, multis vicibus fuit convictus discurrens illicentiatus aliter quam per portam exiens, ut non obstantibus... seclusa... *etc.*

32. Ad idem dispensat generale Capitulum cum fratre Ioanne Dauredonig, qui spreto religionis habitu, duabus vicibus claustrum exiens illicentiatus per mundum discurrens 4 mensibus vel circiter in saeculo remansit et postea incarceratus per aliquod tempus carceres fregit, quibus non obstantibus... *etc. ut supra*, nº 30.

33. Ad supplicationem abbatis de Belloloco, Ruthenensis dioecesis, dispensat generale Capitulum cum fratribus Petro Rignaldi et Petro de Cassoyuli, monachis dicti monasterii super eo quod citra 4 annos iuvenili fuerint comprehensi in contagio carnis lascivia ducti, super super quo poenitentiam humiliter egerunt, quod non obstantibus... *etc.* etiamsi abbatialem includant dignitatem.

34. Ad idem dispensat generale Capitulum misericorditer cum fratre Guillelmo Benedicti, monacho monasterii Bonaevallis Ruthenensis dioecesis, qui citra tres annos in casu consimili fuit deprehensus, quo poenitentiam peregit, quod etiam non obstante... *etc. ut supra n*° 33.

35. Ad supplicationem abbatis de Rivo Sanctae Mariae, dispensat favorabiliter generale Capitulum cum fratre Hermano Scarnileben, sacerdote et professo in dicto monasterio, qui per modicum tempus apostatavit per saeculum evagando, habitu regulari minime relicto, ut praemissis non obstantibus... *etc.* citra abbatiatum.

36. Ad humilem supplicationem abbatis de Purocampo, generale Capitulum dispensat benigniter cum fratre Hennino Iuderi, subdiacono et professo dicti monasterii de Purocampo, ut non obstante apostasia, quam diaboli suggestione per aliquod tempus perpetravit, quia sponte reversus poenitentiam sibi iniunctam ob hoc humiliter dicitur peregisse, ad omnes, *etc.*

37. Ad petitionem abbatis in Bebenhusen, cum fratre Conrado Scrub, sacerdote et monacho suo, per generale Capitulum gratiose dispensatur, ut non obstante quod certum crimen uni de suis confratribus imposuit, in cuius probatione deficit, ad omnes, *etc.*, inclusa etiam abbatiali dignitate.

38. Ad supplicationem abbatis Ursicampi, s. th. pr., generale Capitulum cum fratre Ioanne Cartier, monacho monasterii de Bello loco expresse professo, misericorditer dispensat ut non obstante carnali contagio, de quo convictus fuit prole etiam exinde subsecuta, super quo poenitentiam ei iniunctam humiliter fecit, ad omnes, *etc.* abbatiali etiam inclusa dignitate, *etc.*

39. Ad instantiam abbatis de Ellancio, generale Capitulum dispensat benigniter cum fratribus Ioanne Philiponneto et Petro Paynia, suis religiosis professis, ut non obstante apostasia per ipsos et eorum quemlibet, habitu regulari dimisso, pluries perpetrata, pro qua poenitentias eisdem iniunctas humiliter

peregerunt, ad omnes, *etc.*, abbatiali etiam inclusa dignitate, *etc.*

40. Ad instantiam abbatis in Rivo Sanctae Mariae, Verdensis dioecesis, Capitulum generale dispensat misericorditer cum fratre Hermano Sthermbeken, sacerdote et professo dicti monasterii, ut non obstantibus quod suadente diabolo per aliquot dies apostataverit, quia voluntarie reversus iuxta Ordinis disciplinam iam aliquandiu emendavit, ad omnes, *etc.* abbatiali etiam inclusa dignitate, *etc.*

41. Ad petitionem abbatis de Hymenrode, Capitulum generale misericorditer dispensat cum sorore Dorothea, moniali monasterii de Marrot, ut non obstante vitio incontinentiae per eam perpetrato, puerperio etiam inde subsecuto, super quo poenitentiam sibi iniunctam humiliter fecisse perhibetur, ad omnes, *etc.* dempta solum abbatiali dignitate, *etc.*

42. Cum sorore Margaretha de Bilant, moniali dicti monasterii Sancti Petri in Goch, ut non obstante puerperio, quod fecisse dignoscitur, et super quod per triennium humiliter poenituit, ad omnes *etc.*, abbatiali dignitate seclusa, *etc.*

43. Generale Capitulum annuit petitioni fratris Sancii, abbatis de Fulhenchiis, Rivensis dioecesis, quatinus attenta ipsius corporis invalitudine possit et valeat resignare secundum Ordinis statuta, in manibus abbatis de Bolbona, Mirapiscensis dioecesis, cui abbati de Bolbona committit generale Capitulum, qua facta resignatione, simpliciter et absolute procedat ad novi abbatis electionem canonicam iuxta et secundum Ordinis formam, qua facta, possit et valeat novum abbatem confirmare, si eumdem sufficientem et idoneum repererit, et alia facere, quae in talibus requiruntur, in plenaria Ordinis potestate.

44. Conceditur per generale Capitulum fratri Ioanni, abbati Sanctae Mariae Fernensis dioecesis, quatinus attenta eius corporali debilitate, quandocumque sibi placuerit abbatialem dignitatem suam in manibus sui patris abbatis iuxta formam et statuta nostri Ordinis, iure et libere dimittere valeat et resignare.

45. Ad supplicationem abbatis de Lapide Sancti Michaelis, dispensat generale Capitulum quatinus attentis infirmitatibus continuis quas patitur idem abbas, possit et valeat suam abbatiam resignare, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in manibus sui patris abbatis iure et libere absque aliqua conditione, aut in manibus abbatis de Novali Sanctae Mariae, si pater abbas

commode non valeat adire dictum monasterium ; quo casu committit generale Capitulum eidem abbati de Novali quod fungatur in praemissis potestate et autoritate dicti patris abbatis.

46. Abbati de Purocampo, Lubicensis dioecesis, conceditur per generale Capitulum, quatinus attentis infirmitatibus suis frequentibus quibus multipliciter praegravatur, si et quandocumque cedere sponte voluerit abbatiali dignitati, hanc in manibus visitatoris iuxta formam Ordinis iure et libere et absque qualicumque conditione dimittere valeat et resignare.

47. Abbati de Rivo Sanctae Mariae, Verdensis dioecesis, conceditur per generale Capitulum, quatinus attentis corporalibus aegritudinibus et molestationibus quibus multipliciter praegravatur, in manus patris abbatis iuxta formam Ordinis cedere valeat, si voluerit, abbatiali dignitati et utroque regimini sui monasterii absque tamen conditione seu affectione quibuslibet inordinatis.

48. Abbati de Ebraco conceditur per generale Capitulum, ut sibi unum de monachis suis in confessorem eligere valeat, qui ipsum in casibus generali Capitulo reservatis, dicti Capituli auctoritate absolvat, ipseque abbas sui monasterii ac monasteriorum pro semel immediate ei subiectorum, utriusque sexus, in dictis casibus et dicta auctoritate impendere valeat beneficium absolutionis.

49. Indulgetur per generale Capitulum abbati in Bildhusen ut pro semel eligere sibi valeat confessorem de Ordine idoneum, qui eum absolvat in foro conscientiae in et de omnibus et singulis casibus dicto generali Capitulo reservatis, ipseque abbas omnes et singulos sibi immediate subditos solummodo absolvere valeat in foro conscientiae de omnibus et singulis casibus supradictis.

50. Generale Capitulum indulget abbati de Ellancio, ut possit absolvere pro semel in foro conscientiae omnes et singulos eidem subditos in et de omnibus et singulis casibus *etc.*, quodque ipsemet eligere possit... *etc.*

51. Praesens generale Capitulum ad supplicationem abbatis in Bildhusen dispensat misericorditer cum sorore Dorothea de Thungen, moniali professa in Frawenrod, ut non obstante carnali contagio in quo recidisse dignoscitur, puerperio subsecuto, attenta poenitentia per ipsam humiliter peracta, ad omnes eiusdem Ordinis legitimos gradus et honores, abbatiali solum dignitate seclusa, *etc.*

52. Cum abbate de Bullencuria, Trecensis dioecesis, benigne dispensat praesens Capitulum generale, super transgressione statuti generalis Capituli per ipsum ignoranter perpetrata, eo quod decretum suae promotionis iam ante duos annos novissime lapsos factae, per ipsum Capitulum minime confirmari requisivit, prout vult idem statutum, et hoc absque cuiuscumque praeiudicio, usque ad proxime sequens ipsius Ordinis Capitulum generale.

GRATIAE SPECIALES

53. Capitulum generale provisionem seu pensionis concessionem fratri Petro Fusoris, nuper abbatis monasterii de Caricampo, Ambianensis dioecesis, per novum abbatem et conventum dicti loci assignatae ac per dominum Pontigniacensem dicti loci visitatorem acceptatam, prout in litteris, *etc.*

54. Permittit et concedit Capitulum generale abbati monasterii de Nepomuk, Pragensis dioecesis, quatinus annuente suo conventu ipse cum suis religiosis celebret ac celebrari facere possit annuatim festum beatae Annae, matris gloriosae Virginis Mariae, cum XII lectionibus et historia et duabus missis.

COMMISSIONES

55. Abbatibus de Balerna, de Roseriis et de Caroloco et cuilibet eorum in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis quas repererint domino abbati de Charitate aut suo monasterio obligatas in quibuscumque pecuniarum summis, *etc. ut in forma consueta.*

56. Ad idem committitur abbatibus de Fonteneto et de Rippatorio, pro domino Claraevallis.

57. Dominis abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Morimundo, de Claravalle, de Dunis, de Villari, de Prulliaco, de Regali monte, de Maceriis, de Bonavalle Pictaviensi et cuilibet ipsorum in solidum, quatinus omnes et singulas personas Ordinis quas repererint Domino abbati Cisterciensi aut suo monasterio obligatas, *etc. ut supra.*

58. Ad idem committitur de Gardo et de Caricampo monasteriorum abbatibus, pro domino abbate Ursicampi.

59. Ad idem committitur de Regali monte et de Vallibus

Sernay monasteriorum abbatibus, pro domino abbate Maceriarum.

60. Ad idem committitur Dominis abbatibus de Firmitate, de Fonteneto et de Vallelucenti et cuilibet in solidum summarie et de plano, pro domino abbate de Pontigniaco.

61. Ad idem committitur dominis abbatibus de Ursicampo, de Igniaco et de Ioyaco et cuilibet in solidum pro domino abbate Prulliaci.

62. Cum super quadam controversia inter abbatem et conventum monasterii de Caroliloco, actores ex una parte, et abbatem et conventum de Barbello, defensores, ex altera, nuper fuerit constitutus iudex per Capitulum generale magister Ioannes de Bonoportu, s. th. pr., et abbas quondam monasterii Beatae Mariae de Valle, coram quo partibus contendentibus fuit processus inchoatus et per longa tempora deductus, sed quia dictus magister Ioannes fuit morte praeventus, antequam praefatus processus potuit fine debito terminari, ideo praesens generale Capitulum subrogat et committit ad terminandum dictum processum de Regalimonte et de Vallibus Sernay monasteriorum abbates, et quemlibet ipsorum in solidum loco alterius, eisdem praecipiendo, quatinus vocatis partibus si per alteram partium fuerint requisiti Parisius compareant dictae partes, coram ipsis, aut altero eorumdem uno ipsorum legitime impedito, ad procedendum in dicto processu secundum retroacta et resumpto processu, partibusque auditis administrant breve et bonum iustitiae complementum summarie et de plano, in plenaria Ordinis potestate.

63. Praecipit generale Capitulum abbati Veteris montis, Coloniensis dioecesis, visitatori monasterii in Hegena, quatinus audito fratre Ioanne Molitoris de Treysa, sacerdote monacho professo in dicto monasterio de Hegena, ponderatisque diligenter motivis ipsius, quibus petit abolvi a professione sui abbatis et profiteri in alio monasterio ; quae si rationabilia et saluti animae dicti fratris salutaria iudicaverit, auctoritate generalis Capituli a professione proprii abbatis sui absolvat et licentiam in alio monasterio Ordinis nostri profitendi concedat.

64. Committitur abbati de Luckana, Gnesnensis dioecesis, per generale Capitulum, quatinus fatres Ioannem et Hermanum qui in dicto monasterio apostatando recesserunt, si reverti voluerint, recipiat et si puniendos eos invenerit puniat, sin autem

qui asserunt se habuisse licentiam ab abbate de Obra, tunc reformatore in illis partibus, iuxta dictamen suae conscientiae cum ipsis agat.

65. Praesens generale Capitulum committit, mandat et praecipit in virtute salutaris obedientiae de Cambrone et de Grandi prato monasteriorum abbatibus, coniunctim vel divisim, quatinus de materia controversiarum et querelarum inter fratrem Ioannem Eustachii, dudum abbatem de Nizella ex una parte, et abbatem de Molinis, fratrem Iacobum de Tamires et fratrem Ioannem de Eleniez ex altera, ratione dicti monasterii de Nizella, motarum tam occasione cuiusdam appellationis per dictum fratrem Ioannem Eustachii interiecta quam alias, quae quidem appellatio in Curia romana pendebat indecisa coram reverendissimo in Christo patre domino cardinali Morinensi, et quia dictus frater Ioannes Eustachii dictae appellationi renuntiavit et per praesentes renuntiat cum emergentibus et inde sequente se submittendo iurisdictioni Ordinis, ideo praedictum Capitulum praecipit ut supra praenominatis commissariis et cuilibet ipsorum in solidum, quatinus vocatis partibus et auditis hinc inde earum rationibus et allegationibus, summarie et de plano iuxta et secundum Ordinis statuta faciant et administrent bonum et breve iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

66. Committit Capitulum generale abbati de Balerna, quod se informet super contentis in supplicatione abbatis Montis Sanctae Mariae petentis, quod possit tradere ad censum in perpetuum, quasdam terras pertinentes suo monasterio situatas in villagio dicto Vinilly prope villam Poligniaci, et quod in sequenti Capitulo referat si dicta traditio vergat in utilitatem dicti monasterii Montis Sanctae Mariae.

67. Committit Capitulum generale abbati de Balerna, quatinus se informet super quadam querela exorta inter fratrem Ioannem de Dampbenoys et dominum Nicolaum de la Marche, curatum ecclesiae Sancti Theodoli, inhibendo si sit opus, dicto fratro Ioanni, ne tractet dictum curatum ad curiam domini officialis Bisuntini sed coram ipso Domino abbate de Balerna, cui dictus curatus se submittit summarie et de plano.

68. Abbatibus de Aquabella et de Sinaqua committit generale Capitulum coniunctim vel divisim, quatinus quantocius commode fieri poterit se transferant aut alter eorum se transferat ad monasterium monialium de Sancta Catherina, Avenionensis dioe-

cesis, de Sancta Clara Cartenterensis [*Carnotensis*] diocesis et de Sancta Crucis Aptensis dioecesis, situata in provincia Provinciae et in principatu Aurancae, et ibidem reforment et visitent omnia et singula quae invenerint visitanda et corrigenda, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

69. Committit generale Capitulum provisori collegii Sancti Bernardi Parisius, subpriorique et cellerario dicti collegii tam coniunctim quam divisim, quatinus omnes et singulos abbates potentes mittere et sustentare scolares in dicto collegio et non miserunt et super hoc moniti fuerunt, compellant sub poenis et per censuris Ordinis ac per alia iuris et iustitiae remedia ad solvendum medietatem bursae communis, quam communi estimatione possent exponere dicti scolares, nisi super hoc suum fecerint debitum infra terminum per ipsis commissarios aut per alterum eorumdem assignatum vel assignandum, et de pecuniis super praemissis recipiendis ad reparationem et utilitatem dicti collegii applicandum tenebitur provisor dicti collegii plenam et integram Capitulo generali aut domino Cisterciensi reddere rationem.

70. Ad instantiam abbatis in Caesarea, magistrum in th., committit praesens generale Capitulum abbati Mulbrunensi moderno, quatinus citet fratrem Leonardum quondam abbatem Caesareensem et nunc professum in Fonte regis, et omnes alios quos tangit ad comparendum personaliter coram se eo quod clynodia et pecuniam monasterio Caesareensi pertinentia habeat, et de provisione centum florenorum quomodo utatur, et alia quae circa hoc videbuntur opportuna compleat et faciat iustitiam, autoritate memorati Capituli generalis.

71. Committitur per generale Capitulum abbatibus de Paradiso et de Lubens et eorum cuilibet in solidum, quatinus de quibusdam controversiis et querelis inter abbatem de Obra et fratrem Wenceslaum, professum monasterii Velyn diligenter inquirant, seque informent debite et sufficienter, et auditis hinc inde partibus, comperta veritate, faciant et ministrent utrique parti bonum et breve iustitiae complementum, in plenaria eiusdem Ordinis potestate.

72. Capitulum generale committit abbati de Purocampo visitationem et reformationem monasterii de Portu Sanctae Mariae, Bremensis dioecesis, pro solo hoc anno iuxta formam Ordinis exercendam, propter nimiam distantiam patris abbatis

dicti monasterii de Portu Sanctae Mariae, in plenaria generalis Capituli potestate.

73. Ad instantiam illustris principis ducis Sleswicensis, propter interfectionem prioris monasterii Rurisregii in suo ducatu existentis, committit generale Capitulum reformationem et visitationem dicti monasterii Rurisregii abbati de Purocampo, pro solo hoc anno dumtaxat, iuxta formam Ordinis exercendam, tam in capite quam in membris, in plenaria praesentis Capituli generalis potestate, referendo quid fecerit in proximo generali Capitulo.

74. Mandat et praecipit generale Capitulum abbati de Amelungsborn, visitatori monasterii in Riddagshusen, quatinus audito fratre Hermano Fabro converso, dicti monasterii in Riddagehusen professo, si repererint, quod idem frater propter certas et rationabiles causas salutem animae suae tangentes non possit ulterius pacifice et quiete stare in praefato suae professionis monasterio, det ei licentiam auctoritate ipsius generalis Capituli profitendi in aliquo eiusdem Ordinis monasterio bene ordinato.

75. Praesens generale Capitulum abbatibus de Bonavalle et de Stella Pictaviensis dioecesis committit, quatinus ipsi, per se vel per alios seu per alium ad hoc idoneos et sufficientes, omnes et singulos fructus, redditus et proventus monasterii de Palatio Beatae Mariae, Lemovicensis dioecesis, in quo propter duorum contendentium dissensionem divinum servitium minime persolvitur, aedificiaque ruinam notorie minantur, recipiat, recipi faciant, reddantque rationem et reliqua, quibus oportebit et ad necessitatem et utilitatem religiosorum ibidem Deo servientium, et ad reparationem et retentionem eorumdem aedificiorum applicent fideliter et convertant, ad commodum nihilominus et utilitatem illius qui finaliter de iure dignitatem abbatialem dicti monasterii meruerit obtinere, invocato, si sit opus ad praemissa, auxilio brachii saecularis, donec et quousque causa inter praedictos contendentes fuerit decisa.

76. Abbatibus Bonae cumbae et de Bona valle Ruthenensi committitur per generale Capitulum, quatinus inquirant diligenter ac debite se informent de contentis in supplicatione abbatis de Sylvanesio petentis, quod possit facere quamdam permutationem de quadam grangia ac certis redditibus et aliis bonis inter ipsum et quemdam nobilem permutanda, et si repererint dictam permutationem eidem monasterio fore utilem et commodam, referant in sequenti Capitulo generali.

77. Generale Capitulum praecipit et committit abbatibus de Andreow, de Paradiso et de Lubens qui nunc sunt vel pro tempore fuerint, quatinus ipsi tres vel eorum alter, aliis se legitime excusantibus, citent vel citet coram se abbatem monasterii de Velyn et conventum ipsius ad audiendum querelas fratris Wenceslai, quondam abbatis ibidem, de et super pensione et provisione sibi in resignatione assignata et promissa per dictos abbatem et conventum, sed minime, ut asserit, exhibita ; quas quidem querelas coram dicto generali Capitulo productas si veras et iustas invenerint, supradictos abbatem et conventum de Velyn auctoritate generalis Capituli et per poenas excommunicationis et suspensionis a divinis et alias poenas opportunas ad satisfaciendum dicto fratri Wenceslao, quoties et quando opportunum fuerit, viriliter compellant. Et si per praedictos commissarios decretum fuerit, quod praenominatus frater Wenceslaus in praescripta provisione in resignatione sibi assignata quiete stare non poterit, ex tunc ad aliud monasterium nostri Ordinis secundum taxam diffinitionum sibi dari compellant sub poenis superius annotatis, ipsum etiam Capitulum indulget et relaxat praefato fratri Wenceslao omnes poenas Ordinis, si quas incurrisset pro eo pro iniuria sibi facta, ut asserit, sine licentia abbatis sui ad generale Capitulum se transtulit pro iustitia consequenda.

78. Generale Capitulum dominum abbatem de Maceriis, s. th. pr., pro idoneo procuratore domini abbatis de Hymenrode, Coloniensis dioecesis, cum potestate etiam subdelegandi recipit et admittit in omnibus et singulis causis et negotiis ipsum abbatem de Hymenrode tangentibus vel concernentibus qualitercumque.

79. Generale Capitulum sufficienter informatum de conspiratione, inobedientia et rebellione aliisque nonnullis criminibus, seditionibus et vitiis frequenter et saepius per fratrem Franciscum Mery, professum monasterii de Villari in Brabantia perpetratis, mandat et praecipit abbati dicti monasterii Villariensis, quatinus vinculatum in compedibus et manicis ferreis incarceret, ac in firmis carceribus detineat ac detineri faciat, nec ipsum emittat seu absolvat quovismodo absque iussu et licentia speciali eiusdem Capituli generalis.

80. Decrevit generale Capitulum, quod frater Ioannes Eustachii, quondam abbas de Nizella deferat seu deferri faciat praesenti Capitulo aut domino Cistercii omnia munimenta sua, qui-

bus se iurare praetendit contra suam partem adversam ratione dicti monasterii de Nizella, quibus visis generale Capitulum ministrabit dicto fratri Ioanni breve et bonum iustitiae complementum, altera parte, si sit opus, evocanda.

81. Inhibet generale Capitulum abbatibus provinciae Senonensis ne solvant collectas seu taillias, quae imponuntur per diocesanos seu laicos, deputanturque de Pontigniaco et de Prulliaco monasteriorum abbates et quilibet ipsorum in solidum, ad convocandum abbates dictae provinciae in sufficienti numero ad imponendum super ipsos subsidium pro omnibus sustinendis in his, maxime quae concernunt privilegia generalia Ordinis et circa praemissa fungantur in plenaria Ordinis potestate.

82. Ad idem deputatur per generale Capitulum, in Pictavia et Xanctonia, de Bonavalle Pictaviensi et de Pinu monasteriorum abbates.

83. Ad idem deputantur in provincia Remensi, de Ursicampo et de Igniaco monasteriorum abbates.

84. Pensionem assignatam fratri Petro Regnandi, quondam abbati de Stella, per abbatem Bonaevallis Pictaviensis, revocat generale Capitulum, praecipiendo eidem fratri Petro, quod nihil recipiat aut de aliquo se intromittat sine licentia sui abbatis.

85. Generale Capitulum recommendat magistro Ioanni Hysteyn in s. th. doct., monacho professo monasterii de Eberbaco, Maguntinensis dioecesis, et imponit eidem sermonem fiendum prima die proximi generalis Capituli, citatque per praesentes abbatem dicti monasterii de Eberbaco ad proximum generale Capitulum promotori dicto generali Capitulo ad obiicienda responsurum, praecipitque idem generale Capitulum saepedicto abbati de Eberbaco, quatinus ministret equum et expensas necessarias ad supradicta peragenda antedicto magistro Ioanni, prout de honestate congruit statui eiusdem observando in praemissis et per omnia diffinitionem de doctoribus antiquitus editam et approbatam.

86. Capitulum generale mandat et praecipit abbati de Aquabella, Tricastinensis dioecesis, sub poena excommunicationis latae sententiae, quatinus infra festum Omnium Sanctorum proxime venturum abbati de Bonae vallis Viennensis dioecesis solvat realiter summam 18 florenorum monetae currentis, in qua tenetur eidem abbati Bonaevallis obligatus.

87. Capitulum generale sufficienter informatum, quo frater Ioannes de Serus, assertus abbas Signiaci per dominum Claraevallis debite citatus fuit ad praesentem generale Capitulum, promotori causarum Capituli ad obiicienda responsurus, qui non comparuit nec pro se misit, licet debite vocatus et expectatus fuerit, ideo dictum Capitulum eumdem fratrem Ioannem reputat et declarat contumacem poenasque et censuras Ordinis incurrisse, citatque ipsum ad proximum sequens Capitulum personaliter compariturum, cum intimatione etc. quod sive venerit sive non via iuris et iustitiae viriliter procedetur.

88. Ordinatur per Capitulum generale, quod scribatur nomine dicti Capituli, cum qua decet reverentia christianissimo principi domino nostro Francorum regi suisque consiliariis, super materia controversiae et querelarum monasterii de Signiaco, supplicando eisdem,quatinus dignentur remittere causam cum inde sequendis dicto Capitulo generali, fine debito terminandam iuxta et secundum formam privilegiorum et statutorum Ordinis.

89. Praesens Capitulum generale ad supplicationem abbatis de Roseriis attente monet et exhortatur omnes et singulos abbates existentes in provincia Bisuntina, quod eidem abbati de Roseriis subveniant usque ad summam 20 florenorum turonensium, attentis laboribus et expensis quas idem de Roseriis sustinuit in prosecutione quorumdam privilegiorum, quorum executio vergit in profectum et utilitatem monasteriorum dictae provinciae Bisuntinensis, ad cuius summae taxationem committitur dominus abbas de Charitate, in s. pag. lic. iuxta et secundum numerum et facultates monasteriorum in dicta provincia situatorum.

90. Ad idem committitur abbatibus de Claravalle et de Longoponte, pro abbate et monasterio Igniacensi.

1447

Ex [a] anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo.

1447. *Fontes* : *M* : 4-6, 9-12 ; P^2 : 1-12 ; *W* : 12.
[a] *Titulus apud* P^2.

1. Sub Nicolao V Papa moderno ; Ioanne cardinali Morinensi Ordinis protectore ; Carolo Francorum rege ; Philippo duce Burgundiae ; Ioanne VIII abbate Cistercii 39°.

2. Reformationem omnium et singulorum monasteriorum et aliorum locorum conventualium utriusque sexus, ac omnium et singularum personarum ubicumque existentium et ubicumque contigerit eas commorari, vel esse nostri Ordinis Cisterciensis, in quibuscumque mundi partibus consistentium, quae, prout ad Capituli generalis audientiam pervenerunt, reformatione plurimum indigent, domino [Cistercii] [b] per se vel per alios, abbatem vel abbates ab eo deputandos seu deputandum ipsum Capitulum generale reverenter in ipsius Capituli generalis et dicti Ordinis quantum potest plenaria potestate, iure tamen patrum abbatum salvo, eidem domino [Cistercii] supplicans dictum Capitulum quatinus ad ipsa monasteria et loca conventualia vel loca alia tam studiorum generalium quam alibi existentia per se vel per alium, seu idoneos alios... *etc.*

De contributionibus ... *etc.* Universis igitur ... *etc.* Praesenti diffinitione totali robore duratura.

3. Ut plenius constet et appareat quae et qualia Ordo habet privilegia, abbatibus omnibus Ordinis universi praesens generale Capitulum praecipit et mandat quatinus domino Cistercii infra proximum generale Capitulum mittant vel afferant inventaria omnium et singulorum privilegiorum communium Ordinis in suis monasteriis existentium.

4. Praesens generale Capitulum diffinitionem dudum rationabiliter editam renovando, omnibus abbatibus et conventibus Ordinis praecipit et mandat, quatinus in proximo generali Capitulo aut infra afferant vel mittant domino Cistercii vitas, notabilia gesta et actus notabiles sanctorum ac notabilium virorum, qui in suis monasteriis existunt aut de eisdem egressi fuerint.

5. Patribus abbatibus et visitatoribus quibuscumque praesentibus et futuris, praesens generale Capitulum inhibet ne quibuscumque religiosis committant officium visitationis et reformationis quorumcumque monasteriorum utriusque sexus ; sed secundum antiquam diffinitionem super hac materia editam procedant.

---

[b] *Verbum* Cistercii *legitur tant. in fine huius statuti.*

6. Mandat generale Capitulum omnibus visitatoribus deputatis, praesentibus et futuris, quatinus annis singulis vel ad minus indefectibiliter in fine commissionum suarum,personaliter veniant informare ipsum generale Capitulum de gestis per eos, virtute dictarum commissionum.

7. Super supplicatione domini Morimundi, s. th. pr. petentis quod acta et instituta per eum in monasteriis Ordinis Cisterciensis in regno Angliae et principatu Walliae constitutis, videantur et examinentur per dominum Cistercii expresse informet, si sint iusta et rationabilia, eaque ratificet, confirmet et approbet in plenaria Ordinis potestate.

8. Generale Capitulum dispensat cum fratre Stanislao, professo monasterii de Andrewo, ut possit uti quadam provisione sibi facta per Sedem Apostolicam super quodam monasterio Ordinis sancti Benedicti.

9. Quia pro parte abbatum Angliae Capitulo generali conquestum est, quod in diversis monasteriis bursarii peculium sibi congregant, unde certas indulgentias a curia romana et alibi animarum suarum dissonas impetrant, imo saepe contra abbates suos conspirantes, tam regulares quam saeculares muneribus corrumpunt, et sic dissensiones et scandala multiplicant, nec pro utilitate et necessitate monasterii necessarios sumptus effundere curant, sed dissimulant ; necnon et de his, qui praetextu indulgentiarum quae de conscientia Summi Pontificis non emanaverunt, eligunt sibi confessores ad libitum in suarum periculum animarum ; placuit Capitulo generali remedium in talibus opportunum providere, et auctoritatem domino Cisterciensi super hoc providenti delegare, qui quidem dominus Cistercii vices suas in hac parte de Fontibus et de Valle Dei in Anglia monasteriorum abbatibus, et in ipso regno Angliae reformatoribus ad plenum subdelegavit in ipsius Capituli generalis ac totius Ordinis plenaria potestate.

10. In virtute salutaris obedientiae praecipitur omnibus et singulis abbatibus regnorum Angliae et Scotiae quatinus secundum antiquum morem Ordinis faciant fieri sigilla sua.

11. Desolationi verisimili scandalosae, et totali destructioni Militiae de Calatrava, quae possent accidere propter controversiam quae est super magisterio dictae Militiae de Calatrava inter Alphonsum, illustrem filium regis Navarrae, ex una, et dominum Petrum Giron camerarium maiorem serenissimi principis

regis Castellae ex alia, praesens generale Capitulum occurrere volens, praedictos Alphonsum et Petrum pro magisterio Calatravae se gerentes citat peremptorie ad comparendum cum omnibus iuribus suis per se, vel per procuratorem, coram domino Cistercii et quatuor primis abbatibus, ac aliis quos dominus Cistercii duxerit convocandos, ad quintam decimam diem februarii proxime futuram, quibus audiendi, decernendi et diffinitive sententiandi, super dicta causa ac ponendi silentium perpetuum, dat plenariam potestatem, appellatione remota.

12. Praesumptionibus quorumdam monachorum et monialium Flandriae, pro tunc generale Capitulum obviare volens eo quod ut videantur aliis sanctiores diebus sabbatis [c] ieiunant, mandat idem Capitulum ut ibidem servetur Ordinis uniformitas.

1448

EPISTOLA NICOLAI PAPAE V AD CAPITULUM CISTERCIENSE [a]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Cistercii aliisque abbatibus et monachis apud Cistercium pro generali Capitulo celebrando congregatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi omnes religionis christianae Ordines paterna diligimus caritate, Ordinem tamen vestrum Cisterciensem, ob nostram ad sanctum Bernardum reverentiam atque devotionem, singulari quodam complectimur affectu, ut non solum defendere illum et tueri gravaminibusque levare, sed pro viribus augere atque ornare intendamus. Itaque vos in Domino exhortamur ut ea in congregatione, diligentia solito attentiore, reformationem vestrorum monasteriorum facere curetis. Qua in re illud primum esse debebit, ut Summorum Pontificum statuta et facta in aliis generalibus Capitulis decreta vestra, specialiter de veniendo

---

[c] sabbatinis : *MW*. [a] Apud *Nomasticon Cisterciense*, edit. SÉJALON, Solesmis, 1892, p. 539 ; HENRIQUEZ, *Regula, Constitutiones et Privilegia Ord. Cist.* Antverpiae, 1630, p. 124.

statutis temporibus ad Capitulum generale, de scolaribus ad generalia studia mittendis et alia huiusmodi observentur. Nos enim, si a vobis aut vestrum parte erimus requisiti, adversus praedictorum statutorum et decretorum transgressores acerrime procedemus.

Unde Cistercii et quatuor primis Ordinis abbatibus compellendi ceteros, sive abbates, sive monachos in Capitulo congregatos, ad praedictam observationem, concedimus praesentium tenore auctoritate apostolica potestatem. Et ut omnibus vobis bene, ut speramus, et obedienter mandata exsequentibus, praemium a Nobis coeleste non desit, vobis ipsis qui in Capitulo intereritis, ut confessorem eligere possitis, qui a commissis et ab excommunicationum sententiis aliisque censuris et poenis, etiam si talia forent propter quae Sedes Apostolica esset merito consulenda, vos semel tantum infra mensem, postquam haec fuerint in Capitulo praesentata, iniuncta poenitentia possit absolvere, auctoritate praedicta concedimus facultatem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, pridie Idus Iulii, pontificatus nostri anno secundo.

[DIFFINITIONES]

Ex [a] anno 1448.

1. Sub Nicolao V Papa ; Ioanne cardinali Morinensi ; Frederico rege Romanorum ; Carolo rege Francorum ; Philippo duce Burgundiae.

2. Ut uniformitas in Ordine observetur, prout a primis patribus ipsis extitit ordinatum, inhibet praesens Capitulum generale abbatibus, abbatissis, cantoribus ceterisque personis Ordinis universi, ne sine licentia speciali ipsius Capituli audeant novas historias aut hymnos novos in suis monasteriis cantare, nisi secundum quod in Cistercio et aliis primis monasteriis hactenus extitit observatum, et signanter praecipit ut haec diffinitio quoad festum Corporis Christi et festum Patris Nostri Beati Benedicti observetur, et abbas sive abbatissa quae contrarium fecerint

1448. *Fontes* : *Clm* : 2-5, 13-17 ; *M* : 2, 3, 4, 6, 8, 9, 10, 12 ; *P*² : 1-12 ; *W* : 18.

[a] *Titulus apud P*².

sint ipso facto a divinis suspensi usque ad condignam satisfactionem.

3. Item, ut scandala evitentur et conscientiis personarum provideatur, sub excommunicationis poena et ex consequenti a suis officiis et dignitatibus depositionis, inhibet praesens generale Capitulum abbatibus, abbatissis, ceterisque regularibus personis Ordinis universi, ne amodo audeant uti aut gaudere quibuscumque privilegiis apostolicis, aut a concilio Basileensi impetratis, super esu carnium aut aliis Ordinis diffinitionibus, nisi prius ipsa privilegia fuerint Capitulo generali praesentata, et ab eodem acceptata ; quinimo declarat omnes illos qui huiusmodi privilegiis contra Ordinis statuta impetratis uti praesumpserint poenas in statutis ipsis contentas incurrisse.

4. Item, diffinitiones super hoc alias editas innovando et approbando, sub poena depositionis a suis dignitatibus, inhibet praesens Capitulum generale abbatibus, abbatissis et regimini praesidentibus Ordinis nostri, ne amodo audeant se aut sua monasteria obligare secundum quemdam modum a iurisperitis graviter introductum, videlicet se et sua subdendo et submittendo coercitioni et iurisdictioni quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium, renuntiando omnibus privilegiis et exemptionibus [b], etc., sed fiant huiusmodi obligationes more antiquitus sueto et sine huiusmodi submissionibus.

5. Item, quia ex indiscretione et nimia austeritate praesidentium, multae periclitantur animae, prout debite est praesens generale Capitulum informatum, inhibet idem Capitulum abbatissis universi Ordinis sub poena depositionis a suis dignitatibus et monialibus sub talionis poena, ne aliquam sororem monialem vel conversam super aliquo crimine debite emendato molestare praesumant, aut sibi qualitercumque detrahere, quinimo postquam cum huiusmodi monialibus seu conversis fuerit per superiores dispensatum, suis meritis exigentibus, vult et mandat idem Capitulum ut huiusmodi in suo gradu et ordine teneantur, et quod omnibus praecipiendo patribus abbatibus et visitatoribus, ut sub Ordinis censuris viriliter laborent ut praesens diffinitio per omnia observetur ; contravenientes, rebelles et ex consequenti denuntiando inhabiles, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocando.

---

[b] executionibus : *M.*

6. Omnibus abbatibus et regimini praesidentibus eorumque officiariis sub poena depositionis a suis dignitatibus et officiis praecipitur, quatinus suis visitatoribus, reformatoribus et commissariis ad plenum satisfaciant de expensis rationabilibus quas facient occasione suae visitationis.

7. Inhibet praesens Capitulum generale, ne de cetero procuratores et capellani monialium instituantur, nisi de licentia patrum abbatum earum aut reformatorum.

8. Abbati de Caduino generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae et sub depositionis poena districte mandat et praecipit, quatinus infra annum postquam a praesenti Capitulo reversus fuerit ad penates [c], ordinet et teneat in Sancto Sudario Tolosae quatuor Ordinis religiosos ibidem commoraturos, ac divinum servitium iuxta morem Ordinis devote et iugiter celebraturos.

9. Item, abbati de Caduino sub inobedientiae et depositionis poena districte praecipit et mandat praesens generale Capitulum, quatinus quemdam de Ordine Praedicatorum in habitu nostri Ordinis existentem et in praedicta domo Sancti Sudarii commorantem, praedicto sibi habitu prius ablato, confestim expellat, auctoritate totius Capituli praedicti generalis, et sub poenis antedictis.

10. Omnibus et singulis abbatissis Ordinis in regnis Hispaniae et Arragoniae existentibus, per generale Capitulum praecipitur et sub poena depositionis firmiter iniungitur, quatinus teneant seu teneri faciant portas suorum monasteriorum secure clausas et continue, prout fieri solet et debet in ceteris Ordinis monasteriis bene reformatis.

11. Abbati de Bellavalle sub poena excommunicationis praecepit praesens generale Capitulum quatinus revocet monachos suos qui sine debita licentia se transtulerunt ad Ordinem nigrorum monachorum, quodque contra eos procedat per omnes vias et censuras ac Ordinis privilegia.

12. Generale Capitulum declarat quod bullae Summorum Pontificum bonae memoriae, quibus conceditur facultas omnibus indifferenter accedendi ad annum iubileum, nullo modo se extendere ad futurum iubileum, sed dumtaxat ad illud iubileum cuius tempore fuerunt datae.

---

[c] ad praesens : *M.*

13. Item, scandala quae ex vago discursu religiosorum Ordinis saepius eveniunt, providere volens praesens Capitulum generale, sub poena depositionis a sua dignitate inhibet abbatibus, abbatissis et regimini praesidentibus Ordinis universi, ne aliquem monachum aut etiam monialem emittere audeat nisi secundum quod Ordinis statuta nova et vetera canunt. Et primo inhibet ne aliquis emittatur ad propriam requisitionem et cuius culpa in proprio monasterio emendari possit. Et quicumque praesumpserit abbatem suum, ut emittatur, molestare, nisi resipuerit, carceri mancipetur. Emittendo vero provideatur ut statuta canunt. Et mittatur ad certum et determinatum monasterium, in quo si recipi non poterit, ad proprium revertatur. Et qui ad se emissum recipere renuerit, taxam in statutis contentam poenam tenebitur, nisi super hoc rationabilem allegaverit causam de qua domino Cistercii et quatuor primis indicare habebunt.

14. Item, indemnitati monasteriorum providere volens, praesens Capitulum generale inhibet ne aliqui abbates aut etiam abbatissae vel etiam regimini praesidentes audeant pensiones ad vitam aut ad reemptionem vendere sine licentia suorum patrum abbatum et de scitu et consensu maioris et sanioris partis suorum conventuum, et qui contrafecerit tamquam dilapidator et periurus ipso facto a sua dignitate deponatur.

15. Item, quia contributiones communes pro communi utilitate Ordinis sunt ordinatae, et ipsis deficientibus necesse est ut Ordo ipse pereat, praecipit et mandat praesens Capitulum generale abbatibus, bursariis, ceterisque administratoribus Ordinis universi quantocius quotas sibi ab antiquo impositas et secundum quod in registris Cistercii habetur, ex integro exsolvere studeant, nisi aliqui super hoc a Capitulo generali habeant dispensationem. Et quicumque hoc facere recusaverit, qualemcumque in contrarium allegando consuetudinem, ipso facto pro excommunicato habeatur, et in sequenti Capitulo generali personaliter comparere tenebitur, poenam suae praesumptionis condignam recepturus ; similem poenam sortiatur quicumque auxilium saecularium, ne huiusmodi contributiones solvat, implorare praesumpserit, antiquis diffinitionibus super hoc editis in suo semper robore permansuris.

16. Item, praesumptioni sive ambitioni quorumdam religiosorum et religiosarum obviare desiderans praesens Capitulum

generale sub poena privationis a sua iurisdictione inhibet patribus abbatibus et visitatoribus ne aliquem seu aliquam in abbatem seu abbatissam promovere studeant quae sciverint qualitercumque suas promotiones procurasse. Et quicumque ausus fuerit contra visitatorem abbatiam aliquam obtinere per potentiam saecularem aut aliunde, quousque a sua nequitia destiterit, pro excommunicato habeatur, et talis tamquam conspirator ab omnibus habeatur. Et quicumque monachus sibi obedierit sive etiam monialis similem poenam sortiatur.

17. Item, quemdam abusum inter certos patres abbates et suos filios abbates constitutum, videlicet quod ob suam visitationem nihil debet et nec expensas recipere, cum ex hoc Ordinis bonum impediatur, praesens Capitulum generale cassat, irritat et annullat, mandando et praecipiendo abbatibus, abbatissis et officiariis Ordinis universi, quatinus non obstantibus quibuscumque huiusmodi contractibus, satisfaciant possetenus et honeste suis visitatoribus de expensis rationabilibus quas faciunt eundo et redeundo ad sua monasteria, visitationis gratia. Et qui hoc facere recusaverit sit ipso facto a divinis suspensus. Si autem ipsis videatur quod aliquando dumtaxat fiet restitutio occasione huiusmodi contractuum, hoc terminandum et concludendum domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus et cuilibet in generatione sua committatur.

18. Ad instantiam quorumdam dominorum, generale Capitulum committit abbati Campensi, quatinus in monasterio de Bottenbroeck pro monialibus collocaret monachos.

1449

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, statuta sunt haec apud Cistercium duodecima die mensis septembris, in eiusdem Ordinis Cisterciensis Capitulo generali.

1449. *Fontes* : L^4 *transcriptionem referens antiqui registri sexti, olim apud Cistercium servati* : 1-87 ; *M* : 9, 12, 17, 25, 27, 35, 70, *et sub forma abbrev.* : 10, 16, 26, 28, 84 ; P^2 : , 9, 12, 13, 17, 25, 27, 35, 41, 70, *et sub forma abbrev.* : 10, 11, 16, 26, 28, 84 ; *W* : 70.

[a] *Titulus apud* L^4; Ex registro 6 : P^2.

ORATIONES.

1. Pro [b] beatissimo ac sanctissimo domino nostro domino Nicolao divina Providentia Papa V; necnon pro reverendissimis in Christo patribus dominis sanctae romanae Ecclesiae cardinalibus, et maxime pro reverendo in Christo patre et domino domino Ioanne divina Providentia tituli Sancti Laurentii in Lucina cardinali Morinensi vulgariter nuncupato, nostri Ordinis in Curia romana benivolo protectore, ac etiam pro reverendis in Christo patribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, abbatissis, et pro religiosis omnibus ac ecclesiasticis quibuscumque, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine, in singulis monasteriis Ordinis universi.

2. Praeterea pro christianissimo et semper augusto domino Frederico, Dei gratia sacri imperii rege Romanorum, necnon pro christianissimo domino Carolo rege Francorum, ac etiam pro illustrissimo principe domino Philippo Dei gratia duce Burgundiae, huiusce monasterii Cisterciensis praecipuo fundatore, et generaliter pro aliis omnibus regibus, reginis, ducibus, ducissis, comitibus, comitissis, militibus, militissis, et aliis nobilibus et dominis fidelibus in pace et unitate sanctae matris Ecclesiae existentibus, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, alia de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine Maria a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

3. Insuper pro burgensibus, mercatoribus, laboratoribus et maxime pro benefactoribus Ordinis nostri, ac pro universo populo sancto Dei in pace et unitate sanctae matris Ecclesiae constituto, dicatur una missa de Spiritu Sancto in singulis monasteriis Ordinis universi.

4. Ceterum pro pace et unitate sanctae matris Ecclesiae celebretur in hebdomada una missa dumtaxat per abbatem assignanda, cuius introitus sit: *Salus populi ego sum*, collecta *Ecclesiae* cum sequentibus, in singulis monasteriis Ordinis universi.

5. Postremo pro felicis et inclitae recordationis dominis nos-

[b] Sub Nicolao V, Ioanne card. Morin. Ord. protect., Frederico rege Romanorum, Carolo rege Francorum, Philippo duce Burgundiae, Ioanne abbate Cistercii : P^2.

tris Philippo, Ioanne et Carolo, quondam Francorum regibus et reginis ac praedecessoribus eorumdem defunctis, et praesertim pro domino Ioanne duce Burgundiae, et coniugibus eorumdem defunctis, et generaliter pro omnibus regibus et reginis, ducibus, ducissis, comitibus, comitissis, baronibus, baronissis, militibus, militissis, et aliis nobilibus defunctis, pro religiosis et aliis omnibus fratribus, familiaribus et benefactoribus Ordinis nostri defunctis, dicantur tres missae de *Requiem* in singulis monasteriis Ordinis universi.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1411, *n*° 7.

7. Generale Capitulum propetenus volens providere manutenentiae et conservationi iurium, libertatum et privilegiorum Ordinis, in quibus plurimum ipse Ordo in multis mundi partibus, ob defectum defendentium et resistentium, laeditur et gravatur, tam ab Ordinariis quam ab aliis dominis temporalibus et personis ecclesiasticis et saecularibus pro tuitione et defensione dictorum iurium, libertatum et privilegiorum ipsius Ordinis ac monasteriorum eiusdem, idem Capitulum generale fecit, constituit et ordinavit, ac per praesentem diffinitionem facit, ordinat et constituit tam coniunctim quam divisim venerabiles et in Christo carissimos de Regalimonte, de Prulliaco, de Valle lucenti, de Dunis, de Capella Thosan, de Laude, de Camberone, de Alna, de Villari in Brabantia, de Charitate, de Buxeria, de Maceriis, de Ursicampo, de Caricampo, de Monte Sanctae Mariae, de Longo vado, de Altaripa, de Grandisilva, de Bonofonte, de Caduino, de Bolbona, de Bonavalle Pictavineisi, de Bonavalle Ruthenensi, de Sanctis Crucibus, de Valle digna, de Rota, de Sacramenia, de Superato, de Alcubatia, de Fossa nova, de Sancto Andrea, de Savigniaco, de Signiaco, de Begar, de Precibus, de Reliquiis, de Bono portu, de Oliva, de Roseriis, de Bullione, de Fonteneto, de Claravalle, de Morimundo monasteriorum abbates, necnon dilectos religiosos fratres Petrum de Flinis, Petrum de Auxona, Egidium de Roya, Iacobum de Leone Slaverii, Ioannem de Pratis, Iacobum de Balerna, Arnulphum de Ellantio, Bernardum de Reliquiis, Henricum de Boudelo, Ioannem Walle de Dunis, Iacobum de Claravalle alias Piquenne, Thomam de Firmi-

tate, Edmundum de Pontigniaco, Thomam de Morimundo, Symonem de Champignoliis monasterii Morimundi, Stephanum de Vermentone, Ioannem Ricoul et Iacobum Caudrelier de Laude, ac etiam venerabiles et discretos viros magistrum Ioannem Germani, magistrum Petrum Hanny Matiquor, magistrum Petrum de Vaucello, magistrum Ioannem de Ovila, Petrum et Galtherum Cornot fratres, Nicolaum Cosmart, magistrum Ioannem de Ulmis, Nicolaum Nicole presbyterum, Guillelmum Damiens, Theobaldum Liegeart, magistrum Ioannem Gagnardi, Stephanum Catherine, Hugonem Froichot, Ioannem Goux, magistrum Stephanum Goux, magistrum Symonem Goux, magistrum Symonem Pourcelot de Marchia, Stephanum Ruffi de Marchia, Ioannem de Coiffi apud Casseol commorantem, et eorum quemlibet in solidum, ita quod melior non sit prioris conditio nec subsequentis deterior, sed quod per unum fuerit inceptum per alium prosequi valeat et finiri, totius Ordinis praedicti Cisterciensis veros, certos, legitimos et indubitatos procuratores, syndicos, economos negotiorum gestores generales et nuntios speciales in omnibus et singulis causis, querelis, controversiis et negotiis ipsius Ordinis, motis et movendis, contra quascumque personas ecclesiasticas, saeculares vel alias, tam etiam pro ipso toto Ordine, quam contra praefatum Ordinem et singula ipsius membra coram quibuscumque iudicibus tam ecclesiasticis quam saecularibus in quocumque foro praesidentibus, seu pro iudicibus aut loco iudicum in iudicio sedentibus et locatenentibus eorumdem, dans et concedens idem Capitulum generale dictis procuratoribus et eorum cuilibet per se et in solidum plenam et liberam potestatem ac mandatum speciale agendi et dicendi pro toto Ordine praedicto, rebusque et bonis ipsius Ordinis ac omnium et singulorum monasteriorum et membrorum eiusdem defendendi, conveniendi, reconveniendi de locis, iudicibus, locaque et iudices eligendi et nominandi et si necesse fuerit recusandi, adnovandi, forum et iudicium declinandi, libellum seu libellos offerendi, et oblatum seu oblatos recipiendi, accipiendi, proponendi, replicandi, duplicandi, triplicandi, quadruplicandi, litem seu lites contestandi, iurandi quoque in animas nostras de calumnia seu veritate dicenda, et praestandi cuiuslibet alterius generis iuramentum quod in causis exigitur et postulat iuris ordo, ponendi et articulandi, positionibus et articulis pro parte adversa productis respondendi, testes, litteras, acta privilegia et instru-

menta, in et per modum probationis producendi et exhibendi, testes iurare videndi, dicendi in testes et eorum dicta reprobandi, litteras, acta, privilegia et instrumenta pro parte adversa producta, copiamque productorum et exhibitorum petendi et obtinendi, concludendi, paciscendi et concordandi, proponendi semel vel pluries, renuntiandi, ostensiones locorum faciendi, interlocutorias arbitrales et diffinitivas sententias audiendi, ab eis et quolibet gravamine iudiciali vel extra iudicium appellandi, appellationem suam, seu appelationes suas prosequendi, intimandi, insinuandi, innovandi, apostolicos et expensas petendi et recipiendi, et de ipsis iurandi, beneficium absolutionis et restitutionis in integrum, si et quando necesse fuerit, impetrandi et obtinendi, recredentiam de bonis et rebus ipsius Ordinis ac omnium et singulorum monasteriorum et membrorum eiusdem petendi et obtinendi, unum vel plures procuratorem seu procuratores substituendi, qui substitutus vel substituti consimilem in praemissis et singulis praemissorum habeat vel habeant potestatem, et ipsum substitutum vel substitutos quotiens sibi videbitur opportunum revocandi, et generaliter omnia et singula faciendi et exercendi praeter mutui contractum, quae totus Ordo praedictus faceret vel facere posset et deberet in praemissis et singulis praemissorum, et quae possunt et debent facere veri et legitimi procuratores, etiam si mandatum exigant speciale, ratum et gratum habentes et habitur quidquid per dictos procuratores vel alterum eorumdem, seu per ab eisdem substitutos dictum, actum, factum, gestumve fuerit seu etiam procuratum in praemissis, et quolibet praemissorum promittentes sub hypotheca et obligatione omnium bonorum ipsius Ordinis praedicti mobilium et immobilium, si necesse fuerit, iudicatum solvi et iudicio sisti cum suis clausulis opportunis.

8. Licet a primaeva Ordinis institutione pro bono et utilitate eiusdem monasteriorum et patribus ipsius certae contributiones sancte et iuste fuerint impositae annuatim iuxta Capituli generalis taxationem persolvendae et iuxta etiam ordinationes apostolicas diversis personis etiam in Curia romana distribuendae, necnon regentibus et legentibus Universitatum generalium, ac etiam pro expensis ipsius Capituli et tuitione privilegiorum aliisque necessitatibus dietim occurrentibus, quae quidem contributiones variae istis temporibus ad mille quingentos florenos ascendunt. Quapropter Ordo ipse est in multis debitis

aggravatus, et in maioribus esset, si providentia domini Cistercii ad hoc non subveniret, quibus non obstantibus certi patres ad solvendum contributiones sibi impositas se difficiles reddunt, quinimo receptoribus ipsarum contributionum se opponunt et eosdem apud graves et potentes personas diffamant et accusant diversas poenas incurrendo, quibus malis obviare cupiens praesens Capitulum generale omnes tales conspiratores fore et esse denuntiat, committendo domino Cistercii et quatuor primis quatinus abbates super hoc convictos a sua dignitate ipso facto deponant et monachos cuiuscumque conditionis existant sine spe reversionis a proprio monasterio eliminent.

9. Item, quia sicut ab unitate et conformitate morum servitiorumque et ceremoniarum Ordo noster initium sumpsit et profecit, ita necesse est ut continuetur. Quapropter Capitulum generale multiplices instituit diffinitiones contra abbates, abbatissas, priores, priorissas, ceterasque Ordinis personas, quae sine eiusdem Capituli licentia novas historias, signanter de altaris sacramento, de sancto Benedicto et quamplures alias conscripserunt et in suis ecclesiis decantare praeceperunt. Omnes huiusmodi diffinitiones praesens Capitulum confirmat et approbat, et nihilominus huiusmodi Ordinis personas talia praesumentes a divinis suspendit quoadusque Ordini se conformaverint, committendo domino Cisterciensi et quatuor primis ut super hoc diligenter se informent, detectosque debitis poenis puniant, et ne modo talia fiant sub praefatis poenis inhibeant.

10. Item, ne monasteria gravari debeant aut animae defunctorum in aliquo defraudari, inhibet praesens Capitulum generale ne amodo aliqui abbates seu abbatissae seu eorum conventuales se obligare praesumant ad aliqua servitia seu anniversaria perpetua celebranda sine consensu eiusdem Capituli, contrarium facientes usque ad sequens Capitulum generale stallum abbatis non ascendant.

11. Item, quia non decet abbatissas sive moniales per mundum evagari, iuxta antiquas Ordinis diffinitiones praesens Capitulum generale reformatoribus et visitatoribus ipsarum monialium omnimodam confert auctoritatem quoad correctionem, institutionem et destitutionem ipsarum tam in capitibus quam in membris ; nec liceat ipsis a praedictis reformatoribus aut visitatoribus appellare aut se eisdem opponere, quinimo tenebuntur in qualibet visitatione se eorumdem ordinationibus per omnia

submittere, et qui contra fecerint, aut contra suos visitatores et reformatores potentum auxilia adire praesumpserint ipso facto pro excommunicatis habeantur, et abbatissae super hoc convictae pro depositis teneantur ; ipsi tamen visitatores et reformatores de depositionibus et novis institutionibus per eos factis sequens Capitulum generale, nemine reclamante, fideliter tenebuntur informare.

12. Item, iuxta ordinationes tam apostolicas quam etiam regulares praecipit praesens Capitulum generale patribus abbatibus et reformatoribus universis, quatinus possetenus laborent ad reclusionem monialium et quod ipsas compellant de communi vivere et proprietatem evitare.

13. Item, quia tam multi monachi et moniales fratres et sorores suas, qui aliquando deliquerunt, licet per Capitulum generale rehabilitati fuerint, semper pro infamibus [c] habent, eisdem materiam desperandi conferentes, omnes tales qui pertinaciter super hoc convicti fuerint Ordinis statutis rebellare, praesens Capitulum generale inhabilitat quousque fuerit cum eisdem per ipsum Capitulum dispensatum.

14. Item, quia ex nimietate debitorum quamplurima monasteria Ordinis ex toto sunt desolata, inhibet praesens Capitulum generale ne quis abbas audeat ultra quingentos florenos debita contrahere quacumque de causa sine licentia sui patris abbatis aut Capituli generalis, aliter pro deposito habeatur.

15. Item, quia ex apostatarum et fugitivorum vago discursu Ordo noster magnam incurrit infamiam, signanter in provincia Coloniensi, sub inobedientiae et aliis Ordinis formidabilibus poenis praecipit praesens Capitulum generale abbatibus de Campo, de Veteri monte, et de Heysterbach et cuilibet ipsorum quatinus omnes tales, quos in provincia praedicta repererint, ad sua monasteria propria redire compellant, aut carceribus mancipare curent cum expensis propriorum abbatum ; et hoc idem praecipit praesens Capitulum omnibus abbatibus quos sine litteris commendatoriis reperierint.

16. Item, quia ex dissoluta vita confessorum monialium et etiam capellanorum Ordo noster supra modum diffamatur, sub poena privationis a sua iurisdictione inhibet Capitulum generale patribus abbatibus et monasteriorum monialium regentibus,

---

c infamis : *L*[4]*P*[2].

ne amodo in eisdem instituant aliquos in confessores aut capellanos qui non fuerint honestae vitae et approbatae competentis litteraturae, praecipiendo ut confessores et capellani iam instituti qui tales non fuerint, incontinenti revocentur.

17. Item, praecipitur omnibus et singulis abbatibus Ordinis, quatinus omnes reliquias Ordinis quae solent portari per mundum, cum ad sua monasteria devenerint, eas arrestent, nec ipsas exire permittant usque ad Capitulum generale proxime futurum, absque licentia domini Cisterciensis.

18. Item, citantur omnes abbates ad proximum generale futurum Capitulum, qui ad praesens erant citati sub poena convicti et excommunicationis.

19. Item, excusantur omnes Ordinis abbates, qui non venerunt ad Capitulum generale praesentis anni, praeter eos qui ad ipsum erant citati, ipsos vero qui non miserunt scolares ad studia generalia et potuerunt, praedictum Capitulum condemnat in expensis iuxta formam in Benedictina contentam, mandatque omnibus patribus abbatibus, quatinus suos subditos ad futurum generale citent Capitulum comparituros sub poenis in statutis Ordinis contentis adversus non venientes ad praedictum generale Capitulum.

20. Item, abbates Alemaniae, Hungariae, Poloniae, Daniae, aliosque abbates nationis germanicae, propter guerras in eadem natione existentes praesens generale Capitulum a via praesentis Capituli habet benigniter excusatos.

21. Item, praesens generale Capitulum impugnationibus, molestiis et gravaminibus libertatum et privilegiorum Ordinis, per nonnullos dioecesanos episcopos quibusdam Ordinis nostri monasteriis, et ipsi eidem Ordini inflictis, aut in posterum, quod Deus avertat, infligendis, sincera devotione et omni sagacitate industriae obviare satagens, ordinat et diffinit quod dominis Leodiensi et Constantiensi per ipsum Capitulum scribatur quatinus dictum Ordinem nostrum suis antiquis libertatibus, immunitatibus et privilegiis gaudere permittant, alias si, quod absit, hoc facere recusaverint, ab ipsis appelletur ab Ordinis procuratore in illis provinciis, in quibus dicta gravata monasteria situantur, deputato, dictam appellationem ad expensas abbatum dictarum provinciarum prosecuturam. Illas tres nihilominus moniales monasterii Vallis Nostrae Dominae prope Huyum, quae a dicto domino leodiensi quasdam impetrarunt litteras in

praeiudicium dictorum privilegiorum et libertatum, et per dominum Cisterciensem, propter earum rebellionem et inobedientiam de tradendo dictas litteras, excommunicatas, declarans idem Capitulum tamquam conspiratrices fore excommunicatas, penitusque a dicto monasterio eliminandas et incarcerandas usque ad nutum Capituli generalis, abbatissae et conventui praefati monasterii districte inhibendo, ne dictis monialibus de bonis monasterii quidquam tradant seu tradi aut ministrari faciant vel permittant, sed eas tamquam conspiratrices et excommunicatas evitent, et a praedicto monasterio penitus expellant.

22. Item, Ordinem nimis gravatum ob multas exactiones, quae per quosdam collectores decimarum et quoscumque alios contra privilegia Ordinis praedicti fiunt super monasteria ipsius Ordinis, Capitulum generale considerans vult quod procuratoria anno Domini 1447 et 1448 in ipso Capitulo super hac materia facta, iterum per universas provincias habeant talem vigorem sicut prius, et expensae fiendae in prosecutione huiusmodi negotiorum Ordinis solvantur sub censuris Ordinis, videlicet poena excommunicationis, per abbates et abbatissas praedicti Ordinis earumdem provinciarum, in plenaria Ordinis potestate.

23. Item, praesens Capitulum generale ordinat et diffinit quod constituantur procuratores, personae Ordinis per universas provincias, quae habeant potestatem defendendi iura, libertates et privilegia Ordinis cum potestate etiam substituendi unum vel plures iuxta formam super hac materia prius confectam.

24. Praecipitur omnibus et singulis abbatibus Ordinis sub poena depositionis a statu et dignitate abbatiali quatinus, si quod habeant religiosos, qui ad alium Ordinem transierint, ad sua propria monasteria infra proximum generale Capitulum secuturum faciant eos redire.

25. Praesens generale Capitulum sincero formidans affectu [d], ne dominicis [e] ovibus pastores praeficiantur lupinosi aut insufficientes, et indigni caulam dominicam occupent tam indebite quam indigne, statuit, ordinat et diffinit quod abbates noviter electi et promoti, nisi infra suae promotionis annum decretum suae promotionis praedictae praesenti Capitulo personaliter praesentaverint, non obstante notorio remanentiae personalis

[d] effectu : *M*. [e] dignis : *M* ; dictis : *P*².

impedimento, huiusmodi electionem nullam et invalidam fore dictum Capitulum diffinit et decernit, adiiciendo quod in diffinitorio eiusdem Capituli iurabit se non impetraturum [f] per se vel per alios quaecumque privilegia aut exemptiones, tam a Summis Pontificibus quam a quibuscumque principibus, de non solvendo contributiones Ordinis in praeiudicium privilegiorum ; et hoc sub poena dignitatis abbatialis privationis.

26. Praesens generale Capitulum dolenter attendens quod propter quasdam substractiones et suspensiones factas per patres abbates et visitatores quibusdam Ordinis abbatibus a regimine temporali suorum monasteriorum plurima scandala, dissensiones et propriorum abbatum contemptus, proh nefas ! pullulaverint, huiusmodi suspensiones et substractiones carpit et adnullat, abbatibus sic suspensis suorum monasteriorum utrumque regimen plenarium restituendo, nisi tamen casum depositionis demeruerint, patribus abbatibus praecipiens et iniungens quatinus de cetero ab huiusmodi suspensione se caveant, corrigendo vero emendabiles et caritative moniti non se emendantes per censuram Ordinis seu totalem si demeruerint depositionem secundum salubria Ordinis instituta corrigantur.

27. Praesens Capitulum generale benigne concedit omnibus et singulis personis Ordinis, quatinus habeant potestatem sibi eligendi confessores idoneos et sufficientes de Ordine, qui ipsas possint absolvere in foro conscientiae ab omnibus et singulis casibus eidem Capitulo specialiter reservatis, semel dumtaxat infra generale Capitulum proxime futurum, inhibendo ipsis personis sub apostasiae poena ne praetextu anni iubilei ad Curiam romanam accedant, praesertim cum dominus Cisterciensis disposuerit in brevi aliquos ad praedictam Curiam mittere, qui habebunt impetrare indulgentias pro ipso Ordine, nec se moveant, donec ab ipsis mittendis responsum habuerint.

28. Graves abusus et negligentem animarum curam quorumdam abbatum Ordinis, qui contra ipsius Ordinis instituta tolerant monachos suos cameras in infirmitoriis possidere et gravius periculum animarum in eisdem diurnis atque nocturnis horis commessationibus, dormitionibus et aliis enormitatibus vacare, et in huiusmodi nefaria conversatione obdurati nunquam vel raro dormitorii, refectorii communis et alias claustrales cere-

---

[f] impetraturos : *M.*

monias observare curant, damnabilique vitio proprietatis labefacti, negotiatorum more publicorum sanctae paupertatis virtutem, proh dolor ! abiiciunt, quod exinde periclitatio consequitur animarum, propriorum abbatum vilis admodum contemptus, monopolia, conspirationes et murmura frequentius oriuntur, praesens generale Capitulum abolere cupiens, universis et singulis abbatibus Ordinis, praesertim illis in quorum monasteriis huiusmodi vitia pullulare perspexerint, mandat et praecipit quatinus omni conatu et devotione dictos abusus sarculo reformationis amputare satagant, proterve contradicentibus conspiratorum seu carcerali poena puniendis.

GRATIAE SPECIALES

29. Praesens Capitulum generale benigniter admittendo supplicationem abbatis de Oliva petentis sibi deminui contributiones Ordinis, dictas contributiones eidem abbati suoque monasterio remittit, eumdem absolvendo pro quinque florenis monetae dicti Capituli generalis usque ad immediate sequens septennium dumtaxat persolvendis, eidemque benigne concedit, quod omnes et singulas utriusque sexus sibi subiectas regulares personas in foro conscientiae absolvere valeat ab omnibus et singulis casibus Capitulo reservatis, dicto dumtaxat durante septennio, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate ; item propter loci distantiam et viarum discrimina dictum abbatem a via Capituli per dictum septennium praesens Capitulum absolvit.

30. Generale Capitulum pie considerans et attendens grave senium, debilitatem corporis et annositatem abbatis moderni de Misericordia Dei, ipsum abbatem a via Capituli generalis, quamdiu vitam duxerit in humanis, dictum generale Capitulum pie duxit absolvendum.

31. Ad idem pro abbate de Gratia Dei.

32. Ad idem pro abbate de Castellariis.

33. Gemebundam monasterii de Moris pauperiem ac ipsius gravem inopiam praesens generale Capitulum pio compassionis affectu considerans et attendens, abbatem dicti loci et ipsum monasterium a solutione contributionum Ordinis per immediate sequens triennium dumtaxat quittat penitus et absolvit.

34. Redemptionem cuiusdam reditus per illustrissimum principem dominum regem Siciliae ab abbate et conventu monasterii

Grandissilvae, in litteris quibus praesentes annectuntur contentam factam generale Capitulum ratificat et approbat, praecipiendo nihilominus eisdem abbati et conventui sub poena excommunicationis, quatinus pecunias quas occasione huiusmodi venditionis receperint, ad alios usus eidem monasterio necessarios convertant, referantque proximo Capitulo generali, quid de ipsis pecuniis fecerint, seu domino Claraevallensi, s. th. pr., praefati monasterii Grandissilvae patri abbati.

35. Praesens Capitulum generale recipit in plenariam participationem omnium bonorum spiritualium quae fiunt ac de cetero fient in Ordine illustrissimum principem dominum ducem Saxoniae cum sua consorte et liberis, necnon magistrum hospitii serenissimi principis domini regis Romanorum cum ceteris nobilibus de sua curia, ordinatque quod dominus Cisterciensis super hoc litteras det opportunas.

36. Praesens Capitulum generale debite informatum quod monasterium monialium de Valle mulierum Coloniensis dioececis est exustum et penitus desolatum, nec est spes de eiusdem relevatione, idem monasterium incorporat monasterio Montis Sanctae Walburgis ob sanctae religionis profectum, dictaeque novellae plantationis incrementum rogando et deprecando dominum Coloniensem ut eamdem incorporationem ratam habeat et in favorem Ordinis cisterciensis, cuius est benevolus fautor ipsam dirigere habeat.

37. Generale Capitulum propter nimiam paupertatem monasterii de Otterbourg, abbatem ipsius monasterii supportat misericorditer et absolvit a via Capituli generalis et a missione studentium usque ad quinque annos.

38. Ad idem pro abbate de Castro aquilae.

39. Generale Capitulum gratiose concedit abbati de Mulbruna, ut possit accipere haereditarie a monasterio monialium de Kirchbach quamdam silvam eidem monasterio monialium pertinentem pro quodam censu perpetuo, quem idem monasterium de Mulbruna praefato monasterio monialium annuatim solvere tenebitur et super hoc tenentur, et dantur inspectores abbates de Sconovia s. th. pr., et de Alba.

40. Generale Capitulum prae compatiens affectu desolationi monasterii Fontis salutis, quod, proh dolor ! causantibus inconvenientiis temporum et dissensionibus principum, necnon multis aliis rationabilibus causis ad maximam est deductum ruinam,

misericorditer concedit quod conventus eiusdem monasterii dispergatur donec eidem fortuna pinguior arriserit, per idemque tempus abbas dicti monasterii supportatur a missione scolarium ad studia generalia, ac etiam a via Capituli generalis.

41. Praesens Capitulum generale concedit scolaribus nationis Franciae studentibus in collegio Sancti Bernardi Parisius illud spatium terrae inhabitabilis[g] retro chorum dicti collegii ad faciendum ipsis unum hortulum sive spaciamentum, suis expensis, et similiter annuit eis ingressum per parvas scolas.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

42. Electionem, promotionem et installationem fratris Roberti... in abbatem monasterii de Bono radio, per dominum abbatem de Pontigniaco, dicti monasterii patrem abbatem, rite et canonice celebratam, prout in decreto, cui praesens annectitur diffinitio lucidius continetur, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

43. Electionem, promotionem et installationem fratris Stephani Mercatoris in abbatem monasterii de Loco regio per abbatem de Curia Dei, dicti monasterii patrem abbatem, rite, *etc. ut supra.*

44. Electionem, promotionem et installationem fratris Oliverii Poter in abbatem monasterii Beatae Mariae Insulae de Ré, Xantonensis dioecesis, per abbatem de Trisagio, commissarium domini Pontigniaci, patris abbatis dicti loci de Ré, celebratam, *etc. ut supra.*

45. Amotionem et privationem a dignitate abbatiali monasterii de Petris factas per abbates de Pratea et de Nigro lacu, commissarios domini abbatis Claraevallis, s. th. pr., de persona fratris Ludovici de Villamonia, tunc se gerentis pro abbate ipsius monasterii de Petris, necnon electionem factam de persona fratris Petri Belleville, in abbatem eiusdem monasterii, generale Capitulum ratificat... *etc. ut supra.*

46. Electionem, promotionem et installationem fratris Stephani Garandi in abbatem monasterii de Varenis per abbatem de Pratea, commissarium abbatis de Valle lucenti, patris abbatis dicti loci de Varenis, celebratam et factam, *etc. ut supra.*

---

[g] inhabilis : P^2 :

COMMISSIONES

47. Abbatibus de Firmitate, s. th. pr., de Prulliaco, de Caritate, de Regalimonte, de Bonavalle Pictaviensi, et eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum quatinus omnes et singulas utriusque sexus regulares Ordinis Cisterciensis personas quas in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis repererint obligatas, seu quovis modo teneri domino Cistercii... *etc. ut in forma consueta.*

48. Ad idem pro domino Pontigniaci, de Trisayo et de Stella monasteriorum abbatibus.

49. Ad idem pro monasterio Prulliaci, abbatibus de Ursicampo, s. th. pr., de Regalimonte et de Valle lucenti.

50. Ad idem pro monasterio Ursicampi, abbatibus de Gardo et de Caricampo.

51. Ad idem pro monasterio de Pratea, abbati de Locoregio.

52. Reformationem et visitationem omnium et singulorum Ordinis monasteriorum utriusque sexus in ducatu Sabaudiae et partibus circumvicinis constitutorum, domino abbati Claraevallis, s. th. pr., praesens Capitulum generale committit, in plenaria Ordinis potestate.

53. Commissionem reformationis anno praeterito domino abbati Morimundi, s. th. pr., factam quoad monasteria nationis germanicae et suae generationis, praesens Capitulum ratificat, renovat et approbat.

54. Reformationem ac visitationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis in regno Angliae existentium, Capitulum generale committit abbatibus contentis in litteris abbatum eiusdem regni ipsi Capitulo scribentium, quodque dominus Cisterciensis faciat aptari commissiones necessarias super huiusmodi negotio conficiendas, absque praeiudicio patrum abbatum.

55. Committitur abbatibus de Luzella et de Salem auctoritate Capituli generalis, quatinus quantocius poterunt, accedant ad monasterium de Caesarea, in qua visitent et reforment quaecumque ibidem repererint visitanda vel reformanda, tam in capite quam in membris, in plenaria Ordinis potestate.

56. Controversias et quaestiones motas inter fratrem Petrum Trohilon se gerentem pro electo monasterii de Columna et monachos eiusdem monasterii, generale Capitulum committit terminandas et expediendas abbati de Prulliaco, patri abbati ipsius

monasterii, qui secum aliquos abbates convocet, iustitiamque faciat partibus, in plenaria Ordinis potestate.

57. Abbati de Doberan committit praesens Capitulum generale, quatinus sub censuris Ordinis compellat abbates de partibus Stagnalibus, Daniae, Szesiae, Norvegiae ac partium circumvicinarum ad mittendum suos scolares ad studium Rostocchense, et quod dictos compellat scolares in eadem domo manere et regulariter vivere.

58. Similiter committitur abbati de Comprovincia, pro monasteriis regni Poloniae.

59. Capitulum generale committit abbatibus de Eberbaco et de Sconovia, quatinus quanto celerius poterunt ad monasterium de Castro aquilae accedant, et iuxta instructiones per abbatem eiusdem monasterii sibi datas eisdem provideant, in plenaria Ordinis potestate.

60. Item, hoc idem praecipit abbatibus de Luzella et de Mulbruna, pro monasterio de Paris.

61. Item, sententiam depositionis fratris Ioannis Hospitalis quondam monasterii Aquae bellae abbatis, primo per abbatem Bonaevallis Viennensis prolatam, et ex consequenti per dominos Cisterciensem et Morimundi etiam de novo suis demeritis exigentibus pronuntiatam, innovatam et confirmatam, praesens Capitulum generale confirmat, approbat et renovat cum omnibus unde secutis, ipsi fratri Ioanni Hospitalis perpetuum silentium super impetitione prafati monasterii Aquaebellae imponendo, et nihilominus praecipit praesens Capitulum generale domino Morimundi, s. th. pr., quatinus saepedictum fratrem Ioannem sub firma custodia teneat, taliterque provideat quod amodo religiose vivere debeat.

62. Abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informent de expensis factis in causa pendente inter abbates de Igniaco et de Signiaco, per ipsum de Igniaco, quasque si videant esse rationabiles, per praefatum de Signiaco abbatem eidem abbati de Igniaco faciant restitui.

63. Fratrem Petrum de Cruce monachum monasterii de Bella pertica, qui fratrem Ioannem Violeti, abbatem Primati [*Periniaci*] molestare et citare coram iudicibus saecularibus et etiam ecclesiasticis extra Ordinem, iniuste praesumpsit, excommunicationem incurrendo et alias Ordinis poenas praesens Capitulum

carceribus fore mancipandum declarat, praecipitque abbati Grandis silvae, s. th. pr., quatinus ipsum fratrem Petrum capi faciat ac etiam usque ad nutum domini Cisterciensis incarcerari.

64. Capitulum generale praecipit sub excommunicationis poena latae sententiae abbatibus infrascriptis, quatinus infra proximum generale Capitulum mittant pecunias quas exposuissent sui scolares per annum stando in studio collegii Tolosani, executioque committitur huiusmodi mandati provisori eiusdem collegii qui etiam referat in proximo generali Capitulo. Sequuntur abbates, videlicet abbas Bellae perticae tenetur solvere pecunias unius scolaris quas in praedicto collegio per annum exposuisset, abbas de Berdonis pecunias unius, de Anissorio unius, de Bonacumba duorum, de Bonoloco unius, de Loco Dei unius et de Candelio unius, etc.

REHABILITATIONES

65. Ad supplicationem domini abbatis Claraevallis, s. th. pr., praesens Capitulum generale misericorditer dispensat cum fratre Ioanne Musy, professo monasterii de Valle clara, ut non obstante quod, quodam levissimo motu mentis agitatus, frequenter et saepius illicentiatus a suo egrediens monasterio, et paululum post ad illud corde contrito revertens, praesertim quia ab anno infra vel ultra motivo praedictae levitatis, imo potius adversarii humani generalis motus instinctu, ad monasterium Claraevallis confugerit, et in eodem suo abbate consentiente hactenus tam humiliter quam devote per omnia se habuit, sanctae contritionis et laudabilis emendationis signa semper et ubique praetendens, ad omnes Ordinis legitimos gradus, voces, officia, dignitates, administrationes, abbatiali dignitate inclusa, promoveri valeat et admitti.

66. Ad supplicationem abbatis Ursicampi, s. th. pr., praesens Capitulum generale misericorditer dispensat cum fratre Ioanne de Furnes, monacho suo, ut non obstante apostasia, quam commisit per saeculum anno integro vel amplius habitu regulari dimisso discurrendo, super quo humiliter et condigne poenituit, ad omnes, *etc. ut supra.*

67. Ad supplicationem abbatis de Callovio, praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Stephano Chier, monacho suo, ut non obstante quod apostasiam trium hebdo-

madarum commiserit, habitu regulari derelicto, super quo regulariter et devote poenituit, ad omnes, *etc. ut supra.*

68. Ad idem cum fratre Egidio Leplat, monacho monasterii de Oliveto, ad abbatis sui requestam, qui frater Egidius per tres annos et amplius apostatavit, se divinis immiscendo, confessionesque laicorum diversorum statuum audiendo, habitu tamen Ordinis non dimisso, abbatiali dignitate seclusa et penitus ab abbate suo auctoritate Capituli, quae sibi committitur per praesentem diffinitionem, obtento beneficio absolutionis et eidem iniuncta qualibet feria quarta panis et aquae poenitentia usque ad sequens Capitulum generale.

69. Ad idem cum fratre Petro Musi, monacho de Reliquiis, ad abbatis sui requestam, qui frater per unius noctis spatium dumtaxat apostatavit, devoteque poenituit, inclusa abbatiali dignitate.

[ALIAE DIFFINITIONES]

70. Generale Capitulum volens tollere abusum quarumdam regionum et praesertim Flandriae, in quibus conventuales personae Ordinis in certis calendis anni pro tertia aut media parte conventus intrant infirmitorium ad utendum carnibus, quod tempus dicitur [h] minutionum, sive fleubotomia, in quo infirmitorio quiescunt per quindenam et ultra, non frequentantes ecclesiam, claustrum aut dormitorium, multa inhonesta committendo, praecipit et mandat omnibus et singulis propriis abbatibus locorum et commissariis Ordinis, quatinus huiusmodi abusus tollant, in plenaria Ordinis potestate.

71. Capitulum generale mandat et praecipit procuratori generali Ordinis in Curia romana existenti, quatinus quamdam causam appellationis interiectae ad ipsam Curiam per abbatem de Castellione contra et adversus R. Patrem dominum episcopum Verdunensem, cum expensis ipsius monasterii defendat, ipsamque causam dirigat et foveat, attento quod privilegia Ordinis concernit.

72. Ad idem pro causa monasterii de Fonte salutis mota vel movenda, et quod supplicet domino protectori et aliis Ordini favorem praebentibus, quatinus hoc idem facere velint.

73. Ad idem pro monasterio de Alta sylva, et quod super his fiant litterae per dominum Cisterciensem ad Curiam transmittendae.

---

[h] minutionum sive fleubotomia : *apud* L^4 *tant.*

74. Ad idem pro aliis monasteriis Ordinis in quibuscumque regnis constitutis.

75. Abbates de Bonofonte et de Calercio citantur ad proximum generale Capitulum ad exhibendum suae electionis decretum, alias pro non abbatibus habebuntur, et praecipitur magistro regenti Tolosae ut praesentem diffinitionem dictis abbatibus praesentet.

76. Inhibetur abbati de Caduino per generale Capitulum sub excommunicationis poena, ne aliquos apostatas penes se quovis modo retineat de cetero, sine propriorum abbatum consensu.

77. Litteras ad instantiam abbatis et conventus monasterii de Re, generali Capitulo praesentatas, quibus praesentes litterae annectuntur, ipsum Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

78. Praesens generale Capitulum considerans rebelliones et inobedientias, quas ferunt abbatem de Vallibus in Ornesio fecisse, utpote qui tam durae cervicis est quod nec Deum timet nec hominem veretur, committit domino Morimundi, s. th. pr., et abbati de Crista, quatinus se diligenter informent de regimine praedicti abbatis, et si sua demerita exigant quod ipsum deponant et alium in loco suo substituant, iuxta sua demerita ipsum puniendo, in plenaria Ordinis potestate ; et nihilominus praesens Capitulum denuntiat eumdem abbatem propter suas contumacias fore et esse excommunicatum, absolutionem huiusmodi sententiae domino Morimundi, suo patri visitatori specialiter reservando.

79. Item, praesens Capitulum generale sufficienter informatum de sinistro regimine abbatis de Hylaria, districte praecipit abbati de Eberbaco, quatinus quanto celerius poterit ad ipsum monasterium de Hylaria accedat, et in eodem visitet et reformet, abbatem, si sua exigant demerita, deponendo, vel eius resignationem acceptando ; cui etiam abbati committit idem Capitulum generale ut possit et valeat recipere resignationes abbatum et subditorum, causis tamen propter quas abbates resignare possint sufficienter occurrentibus.

80. Sententiam per dominum Claraevallis, s. th. pr., latam adversus quamdam sororem Pasquinam de Castro, monialem monasterii de Virgulto, generale Capitulum ratificat et approbat, appellationemque per eam factam desertam ope et nullam declarat, praefatamque monialem praedictum Capitulum condemnat in expensis super hac materia factis.

81. Viso processu facto contra fratrem Ioannem Banili, pro abbate monasterii de Faisya tunc se gerentem, ipsius privationem et depositionem a dignitate abbatiali dicti monasterii per abbatem de Caduino, patrem abbatem dicti loci, tamquam iuste, rite et canonice factas praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

82. Supplicationem abbatissae et conventus monasterii monialium de Novobosco iuxta Gandavum petentium, quod scribatur illustrissimo principi domino duci Burgundiae, quatinus eas habeat recommissas adversus communitatem villae Gandensis, Capitulum generale admittit.

83. Generale Capitulum inhibet abbati et conventui monasterii Bonaevallis Viennensis sub poena inobedientiae et excommunicationis, ne grangiam de Petraria vendant Marco Tabernarii, vel cuicumque alteri seu quomodocumque alienent.

84. Item, praesens generale Capitulum confirmat, approbat et innovat quamdam antiquam diffinitionem alias in ipso Capitulo editam, cuius tenor sequitur et est talis : Statuit et ordinat Capitulum generale quod magister et fratres de Calatrava, priori et suppriori Calatravae ibidem ab abbate Morimundi promotis vel promovendis, aliis fratribus, quibus prior in hac parte commisserit vices suas, confiteantur, in plenaria Ordinis potestate, non obstante alicuius contradictione vel mandato ; et insuper sub poena excommunicationis mandat et praecipit praesens Capitulum ipsis magistro et fratribus tam praesentibus quam futuris, quatinus iuxta eiusdem diffinitionis tenorem confiteantur et non aliis, nisi de speciali licentia abbatis Morimundi.

85. Abbatem de Vankosco, qui visitatores et reformatores Ordinis apud regem Poloniae accusavit et diffamavit, praesens generale Capitulum citat ad comparendum personaliter in proximo futuro Capitulo generali, visurum se, si ita est, a sua dignitate deponi ; et nihilominus mandat praesens Capitulum abbati in Obra, quatinus quanto celerius poterit ad ipsum monasterium de Vankosco accedat et in eodem visitet et reformet ac diligenter de praemissis se informet, et de conversatione dicti abbatis ; et si ita, ut fertur, invenerit, quod eumdem abbatem ab administratione sui monasterii suspendat, et iuxta tenorem praesentis diffinitionis ad proxime futurum generale Capitulum citet, in plenaria Ordinis potestate. Cui etiam abbati de Obra praecipit praesens Capitulum generale, ut omnes abbates dioece-

sis Cracoviensis ac etiam maioris Poloniae citet, et etiam abbatem de Cips ad proximum generale Capitulum, satisfacturos de contributionibus per eos debitis et responsuros ad omnia quae contra eos per promotorem causarum in eodem Capitulo proponentur.

86. Praesens Capitulum generale concedit abbati de Sconovia, quatinus ipse de consensu patris abbatis suique conventus aliqua bona minus utilia vel vendere aut commutare possit et valeat usque ad summam millium florenorum, in meliorem usum dicti monasterii convertendorum.

87. Super materia processus sororis Ioannae Desterville se gerentis pro abbatissa monasterii monialium de Sancta Hoylde, praesens Capitulum ordinat et diffinit, quod per ipsum Capitulum et dominum abbatem Claraevallis scribatur domino regi Siciliae, necnon domino duci Calabriae, quatinus dicti processus materiam per dictam sororem Ioannam ad parlamentum regium Parisiense translatam in praeiudicium Ordinis, ad ipsum Ordinem remittendam procurare dignetur.

1450

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo, statuta sunt haec apud Cistercium duodecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo... *etc. ut in anno* 1449.
2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1449.
3. Insuper pro burgensibus.... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno praecedenti.*

1450. : *Fontes* A^4 : 32 ; L^4 : 1-103 ; *M* : 7, 103 ; P^2 : 1, 7, 97, 103.
[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Nicolao V Pontifice ; Ioanne card. Morin. Ord. protectore ; Frederico rege Romanorum ; Carolo rege Francorum ; Philippo duce Burgundiae ; Ioanne abbate Cistercii : P^2.

7. Generale [c] Capitulum propetenus... *etc. ut anno* 1449, *n*° 7, *sed citantur nomina quae sequuntur* : de Regali monte, de Prulliaco, de Valle lucenti, de Caricampo, de Albaripa, de Longovado... monasteriorum abbates, necnon dilectos religiosos fratres Petrum de Auxona, Egidium de Roya, Iacobum ~~de~~ Balerna, Iacobum de Ledone Salverii, Arnulphum de Ellantio... ac etiam venerabiles et discretos viros, magistrum Ioannem Germani, magistrum Petrum Maugier, magistrum Petrum de Vaucello, magistrum Petrum de Oliva... et eorum quemlibet, *etc. ut anno* 1449, *n*° 7.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

8. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ioannis Romholt in abbatem monasterii in Bildhausen, per abbatem Ebracensem, dicti monasterii patrem abbatem, prout in decreto cui praesentes annectuntur, factas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

9. Electionem, promotionem et installationem fratris Ioannis Durgsleben in abbatem monasterii de Lancheim, per abbatem Ebracensem, dicti loci patrem abbatem, *etc. ut supra.*

10. Electionem, promotionem et installationem fratris Ioannis de Sels in abbatem Uterinae vallis, per abbatem de Villerio, dicti loci patrem abbatem, *etc. ut supra.*

11. Electionem, promotionem et installationem fratris Ioannis Iailleti olim abbatis de Calovio in abbatem de Fontemorum, per commissarios domini Claraevallis, s. th. pr., dicti loci patris abbatis, *etc. ut supra.*

12. Provisionem et promotionem fratris Antonii Bourguignon in abbatem monasterii Francarum vallium, per dominum Morimundi, s. th. pr., dicti monasterii patrem abbatem, *etc. ut supra.*

13. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Guillelmi Guastin in abbatem monasterii de Boheriis, per abbatem Fusniaci, dicti monasterii patrem abbatem, *etc. ut supra.*

14. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Petri de Flinis in abbatem monasterii de Rigniaco, per

---

[c] Instituuntur procuratores in diversis provinciis ad tuendas Ordinis libertates, praesertim adversus episcopos : *sic abbrev. MP*[2].

abbatem de Fonteneti, commissarium domini Claraevallis, sacrae paginae professorem, dicti loci patris abbatis, *etc. ut supra.*

15. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Almani in abbatem monasterii de Calovio, per abbatem de Fontemorum, commissarium domini Pontigniaci, patris abbatis dicti loci, *etc. ut supra.*

16. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Adam de Morviller in abbatem monasterii de Gardo, per abbatem Ursicampi, s. th. pr., commissarium abbatis de Caroloco, dicti monasterii de Gardo patris abbatis, *etc. ut supra.*

17. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ioannis Golon in abbatem monasterii de Fonte Danielis, per abbatem de Claromonte, dicti monasterii patrem abbatem, *etc. ut supra.*

18. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Burchardi in abbatem monasterii de Porta Coeli, per abbatem monasterii de Salem, dicti monasterii patrem abbatem, *etc. ut supra.*

19. Electionem, promotionem et installationem fratris Ioannis de Curia in abbatem monasterii de Fusniaco, per abbatem de Alna, s. th. pr., commissarium domini Claraevallis, dicti loci patris abbatis, *etc. ut supra.*

20. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Petri Grandis in abbatem monasterii de Gratia Dei, per dominum Claraevallis, s. th. pr., dicti loci patrem abbatem, *etc. ut supra.*

21. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Symonis de Champignolle in abbatem monasterii de Escureyo, per abbatem de Vallibus in Ornesio, dicti loci patrem abbatem, *etc. ut supra.*

COMMISSIONES

22. Domino abbati Morimundi, s. pag. pr., praesens Capitulum generale committit contractum cuiusdam vineae per abbatem de Theoloco Guillelmo de Grenant, Ioanni Bremet et Symonetae Gingi Iacobi Le Serrurier perpetuo concessae, visitandum et examinandum cum auctoritate praesentis Capituli reprobandi vel approbandi quidquid super dicto contractu pro dicti monasterii de Theoloco evidenti utilitate reprobandum fuerit vel approbandum.

23. Praesens Capitulum generale monasterium monialium in Bletzhen, Basileensis dioecesis, unit et incorporat monasterio de Luzella, ita tamen quod in eodem monasterio monialium sint continue duo sacerdotes divina celebrantes.

24. Pestiferae rebellionis et inobedientiae virulentam perniciem sororis Pascasiae de Castre, professae monasterii de Virgulto, ad notitiam praesentis Capituli deductam, indissimulanti iustitiae gladio idem Capitulum resecare satagens, dictam sororem ad monasterium de Ath, in Hannonia, per dominum abbatem Claraevallis, dicti monasterii de Virgulto patrem abbatem, suis exigentibus demeritis et nefaria conversatione, et praesertim pro conventus dicti loci mutuae pacis et concordiae quieta tuitione, transmissam, decernit et diffinit dictam sororem Pascasiam in eodem monasterio de Ath usque ad nutum dicti Capituli permansuram, eidem et sub excommunicationis poena districtius inhibens, ne contra Ordinis instituta et sanctam ipsius disciplinam quoscumque nobiles aut potentes adire seu requirere praesumat, eidem praeterea domino Claraevallis eiusque commissariis dicti loci praefatum Capitulum districte mandat et iniungit, quatinus omnes et singulas fautrices eius et similis rebellionis et contumaciae naevo labefactas, secundum ipsius Ordinis instituta viriliter et exacte corrigere procurent.

25. Magistro regenti collegii Sancti Bernardi Tolosae praesens Capitulum annuit, ut stipendia magistris regentibus in dicto collegio debita amodo recipiat secundum formam et ordinationem in Benedictina contentas.

26. Contractum initum super grangia de Chaignon prope Rocham per abbatem Septem Fontium cum fratre Guillelmo Regis, alias de Cahgiaco, monacho suo, cum omnibus et singulis articulis, conditionibus et clausulis in litteris quibus hae praesentes annectuntur seriose contentis, praesens generale Capitulum ratificat et confirmat.

27. Abbati Sanctae Fidis suoque conventui praesens Capitulum concedit, quatinus festum Beatae cum duabus missis, tribus lampadibus et aliis solemnitatibus diebus sermonum in Ordine fieri solitis, de cetero etiam historia nova celebrent et observent.

28. Concessionem seu traditionem molendini Dufam cum quinque falcatis prati per abbatem et conventum monasterii de Fonteneto factam in modo et forma contentis in litteris, quibus hae

nostrae praesentes annectuntur, praesens Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

29. Contractum super reemptione et recuperatione redditus sex francorum per abbatem et conventum monasterii de Fonteneto factum, cum omnibus et singulis clausulis, conditionibus et articulis in litteris, quibus hae nostrae praesentes annectuntur seriose contentis, praesens Capitulum generale ratificat, confirmat et approbat.

30. Abbati de Caduino praesens Capitulum generale sub excommunicationis latae sententiae, quam inferimus in his scriptis, poena districtius inhibet, quatinus de et super unione seu incorporatione monasterii de Fullentio monasterio de Crista immediate subiecti cum suo monasterio de Caduino se nullatenus intromittere praesumat, cum id dicto monasterio de Crista, et nostri Ordinis salubribus institutis quamplurimum praeiudiciale censeatur, Capituli generalis ipsius Ordinis licentia et expresso consensu non habitis, praecipiendo magistro regenti Tolosae, quatinus dictam inhibitionem abbati praefato intimare non omittat, abbati nihilominus de Crista, patri abbati dicti loci idem Capitulum in virtute salutaris obedientiae mandans et praecipiens, quatinus infra proximum festum Nativitatis Domini per se vel per alium in dicto monasterio de Fullentio visitet, corrigat et reformet.

31. Contractum seu traditionem cuiusdam vineae per abbatem et conventum monasterii de Theoloco in modo et forma contentis in litteris, quibus hae praesentes annectuntur, praesens Capitulum generale ratificat, approbat et confirmat.

32. Ne Ordo noster Cisterciensis sit ingratus erga sanctissimum dominum nostrum Summum Pontificem modernum, qui ipsum Ordinem intimo affectu amplectitur, habetque recommissum tam in largitione indulgentiarum quam etiam confirmatione privilegiorum eiusdem a suis praedecessoribus Summis Pontificibus concessorum, Capitulum generale committit domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus, quatinus secum aliquos alios abbates praefati Ordinis convocent, inter ipsosque provideant de modo et forma imponendi aliquod subsidium gratiosum et moderatum monasteriis eiusdem Ordinis utriusque sexus, secundum facultates eorumdem monasteriorum, in plenaria Ordinis potestate.

33. Frater Ioannes de Peralta se gerens pro abbate de Vite-

rio [*Fiterio*] citatus ad generale Capitulum per abbatem Sanctae Fidis, per ipsum Capitulum generale, suis demeritis exigentibus, denuntiatur excommunicatus, aggravatus, reaggravatus, praecipitque nihilominus idem Capitulum praefato abbati Sanctae Fidis, quatinus si eum reperire possit, ipsum incarceret seu incarcerari faciat; mandat etiam abbati de Petra, quatinus faciat expensas refundi eidem Sanctae Fidis per monasterium dictum de Viterio et de Sancto Salvatore, quas fecit in visitatione per ipsum in eisdem facta; denuntiatur etiam excommunicatus abbas Sancti Salvatoris citatus ad dictum Capitulum per praefatum Sanctae Fidis, qui in ipso minime comparuit, quodque fratres Dominicum monachum et Ioannem de Caparos conversum, cum expensis suorum monasteriorum, detineat in carceribus usque ad nutum generalis Capituli.

34. Abbati de Coprovincia committit Capitulum generale auctoritatem compellendi per censuras Ordinis abbates regni Poloniae ad mittendum scolares suos ad studium Cracoviense, cum expensis sufficientibus.

35. Praecipitur abbati de Miratorio, quatinus fratres Stephanum de Gilley et Petrum de Sagey recipiat in monasterio suo, eisque provideat de victu et vestitu iuxta Ordinis statuta, restituatque sub censuris Ordinis expensas factas per dominum Cisterciensem.

36. Abbati de Coprovincia conceditur per Capitulum generale quod ipsius monasterii sumptibus defendantur privilegia, libertates et alia iura ipsi monasterio concessa ac illud concernentia.

37. Capitulum generale considerans tenuitatem victualium monasterii de Campania, ipsum quittat usque ad tres annos de suis contributionibus per idem monasterium Ordini debitis, pro summa sex florenorum anno quolibet.

38. Ad idem de Tironello, pro quatuor florenis.

39. Ad idem pro Chaloceyo, pro octo florenis.

40. Ad idem pro Buxeria Andegavensi, pro quinque florenis.

41. Ad idem pro Caritate, pro quatuor florenis.

42. Ad idem de Precibus, pro sexdecim florenis.

43. Generale Capitulum compatiens desolationi monasterii de Heymerode vult quod antiquus abbas praefati monasterii solum habeat pensionem annuam centum florenorum renensium, resecatis aliis pactis inter eos initis.

44. Quia fratres Ioannes Sueeppaert, Daniel de Extra, Egi-

dius Vanovezheet, Ioannes Breche, Geraldus de Gheldria et Egidius Kaeskin, monachi monasterii de Bodelo, inter se conspirarunt, convictique sunt conspiratione per eos perpetrata, generale Capitulum vult quod omnino expellantur ab ipso monasterio nec ad illud reversuri, nisi de licentia eiusdem generalis Capituli.

45. Committitur per generale Capitulum abbati Claraevallensi, s. th. pr., quatinus visitet et reformet monasteria Ordinis comitatus Burgundiae utriusque sexus, ducatus Sabaudiae, Pedemontium et Delphinatus, ibidemque corrigat, instituat et destituat, in plenaria Ordinis potestate.

46. Per generale Capitulum praecipitur provisori et cellerario collegii Sancti Bernardi Parisius, quatinus suas computationes quatuor annorum, et illas de quibus alias non computaverint, mittant domino Cistercii.

47. Praecipitur abbati de Fontibus in Anglia per Capitulum generale, quatinus provideat fratri Ioanni Conysi, monacho monasterii de Gratiis, dioecesis Londoniensis, taliter quod non sit vagabundus per mundum, scribatque Capitulo generali de statu monasteriorum Ordinis in Anglia existentium.

48. Concedit generale Capitulum abbati monasterii Prati benedicti, quatinus usque ad quinquennium solum solvat pro suis contributionibus Ordini debitis annuatim summam duorum florenorum monetae Capituli.

49. Committitur abbati Sanctarum Crucium, s. th. pr., quatinus provideat abbatissae monasterii Vallisbonae, de et super petitis per ipsam a generali Capitulo.

50. Capitulum generale praecipit et mandat priori et supprióri monasterii de Caesarea, quatinus restituant suo abbati contrasigillum dicti monasterii.

51. Capitulum generale concedit omnibus abbatibus Ordinis volentibus suis monasteriis cedere ut ipsa in manibus suorum patrum abbatum ac commissariorum Ordinis infra generale Capitulum proxime futurum resignare possint, ac in ipsis monasteriis personas Ordinis praeficere per ipsos patres abbates aut dictos commissarios.

52. In causa monasterii de Sancta Hoylde, generale Capitulum sententiam depositionis per dominum Claraevallensem, s. th. pr., contra sororem Ioannem Desterville latam confirmat et approbat, ita tamen quod, adiuncto secum abbate de Insula Barrensi, se informet de vita et conversatione sororis Iacobae

de Telon in praesentia domini Morimundi, s. th. pr., quam si repererint idoneam et sufficientem, eam confirment in abbatissam dicti monasterii, si vero eam invenerint culpabilem, eam deponant a dignitate abbatiali, in plenaria Ordinis potestate.

53. Excusantur a via praesentis Capituli omnes et singuli abbates Ordinis qui miserunt suas excusationes, aut scripserunt eidem Capitulo, citanturque ad generale Capitulum proxime futurum.

54. Committitur abbatibus Sanctarum Crucium, s. th. pr., et de Sancta Fide et cuilibet eorum in solidum, quatinus fratrem Ioannem Felix abbatem de Oliva in Navarra, ut fertur, per abbatem de Fitherio, sive per quoscumque alios incarceratum, extra carceres ponant, et suo monasterio restituant, et si quas lites ipsi abbates inter se habent, seu contra quoscumque alios, aut alii contra eum, quod easdem lites seu causas fine debito terminent, in plenaria Ordinis potestate.

55. Ad idem committitur eisdem ad terminandum et decidendum controversiam motam super prioratu de Marziella, inter fratres Michaelem Benedictum et fratrem Petrum de Grez.

56. Diffinitionem tribus praeteritis annis datam domino Morimundi, s. th. pr., ad visitandum et reformandum cum aliis clausulis in eadem diffinitione positis, in tota sua generatione ubilibet constituta, ac etiam in tota natione germanica, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

57. Abbati Bellae vallis, Bisuntinensis dioecesis, praecipit praesens Capitulum generale sub poena excommunicationis, quatinus infra festum Omnium Sanctorum proxime venturum, satisfaciat abbati de Gratia Dei de omnibus arreragiis, in quibus sibi obligatur ratione undecim librarum currentis monetae, in quibus annuatim dicto monasterio de Gratia Dei obligatur, committitque domino Morimundi, s. th. pr., quatinus praesentem diffinitionem executioni demandet.

58. Generale Capitulum committit abbati de Begar, s. th. pr., visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus provinciae Rothomagensis, ac receptionem contributionum praefatorum monasteriorum Ordini debitarum, compellatque ipsos abbates ad mittendum suos scolares ad collegium Sancti Bernardi Parisius, cum debitis privisionibus, citet etiam eos ad generale Capitulum proxime futurum.

59. Committitur per generale Capitulum domino abbati Mori-

mundi, s. th. pr., quatinus abbati de Caesarea, s. th. pr., det consilium, auxilium et favorem pro reparatione ac sustentatione eiusdem monasterii de Caesarea.

60. Committit generale Capitulum domino Claraevallis, s. th. pr., quatinus se informet de his quae abbas de Gratia Dei in Pictavia a monasterio de Regniaco alienavit vel abstulit, eumque compellat ad satisfaciendum de his abbati moderno dicti monasterii de Regniaco, sub censuris Ordinis, in plenaria Ordinis potestate, et ad reddendum veras et fideles computationes et reliqua a toto tempore quo fuit abbas ipsius monasterii de Regniaco.

61. Generale Capitulum committit abbati de Caritate, quatinus per se vel per alium compellat seu compelli faciat omnes et singulos abbates et abbatissas comitatus Burgundiae ad restituendum expensas abbati de Bullione, quas fecit in prosecutione defensionis privilegiorum Ordinis, quodque contribuant eidem in huiusmodi prosecutione, sub censuris Ordinis, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

62. Capitulum generale illam diffinitionem alias editam super defensione privilegiorum Ordinis, qua cavetur quod aliqui abbates cuiuscumque provinciae deputentur ad compellendum omnes et singulos abbates et etiam abbatissas eiusdem Ordinis ad contribuendum pro expensis in huiusmodi prosecutione factis aut fiendis, renovat, approbat et ratificat, committitque abbati de Locoregio per totam provinciam Bituricensem, in plenaria Ordinis potestate, ipsius executionem quotiescumque expedierit.

63. Ad idem pro abbate de Prulliaco, per provinciam Senonensem.

64. Abbati de Aquabella praesens Capitulum generale remittit omnia contributionum arreragia in quibus ipse suumque monasterium Ordini a tempore praeterito tenebantur, quottamque dictarum contributionum sibi suoque monasterio de cetero per dictum Capitulum imponendam ad tres florenos monetae Capituli dumtaxat persolvendos de gratia speciali reducit.

65. Abbati de Aquabella praesens Capitulum generale concedit, quod assumpto secum abbate Francarum vallium et cum sui conventus expresso consensu, possit quoddam membrum sui monasterii vocatum de Violesio ad evidentiorem utilitatem sui monasterii antedicti convertere.

66. De Aquabella et de Benedictione Dei monasteriorum

abbatibus visitationem et reformationem monasterii de Bocheto, alias de Valle lucida, cum potestate destituendi et instituendi, praesens Capitulum generale committit, in plenaria Ordinis potestate.

67. Patribus abbatibus praesens Capitulum generale concedit quatinus quilibet eorum in sua generatione, hoc dumtaxat anno durante, recipere valeant et acceptare cessiones seu resignationes abbatum eisdem immediate subiectorum, in plenaria Ordinis potestate.

68. Causam inter abbates de Insula Barrensi et de Alto fonte motam super accomodatione triginta francorum per dictum abbatem de Insula Barrensi, tunc abbatem Alti fontis, abbati de Monasterio in Argona, praesens Capitulum committit terminandam et in plenaria Ordinis potestate decidendam.

69. Ad idem committitur abbati de Bello prato, inter abbates de Villerio et de Alta Sylva.

70. Abbatem de Scala Dei et fratrem Ioannem de Casteniaco, monachum Grandissilvae, praesens Capitulum generale personaliter citat ad proximum generale Capitulum, qualiter dictus monachus electioni monasterii de Follanis de se factae sine licentia proprii abbatis consensit, et qualiter dictus abbas de Scala Dei dictam electionem confirmavit.

71. Abbati de Borbona committitur, quatinus citet abbatem de Ponte alto ad proximum generale Capitulum personaliter responsurum his quae sibi obiicientur per promotorem causarum, et tituli dictae abbatiae eidem Capitulo fidem condignam exhibiturum.

72. Praesens Capitulum confirmat et approbat contractum Laudaminii factum Stephano Laudici per sindicum monasterii Fontis frigidi, de tota illa pecia terrae iuxta iter Carcasonae situatae, exceptis quatuor brachiatis in longitudine et tribus in latitudine, quae dicto monasterio in proprietate remanebunt.

73. Generale Capitulum compositionem factam inter abbatem et sindicum monasterii Fontis frigidi ex una parte, et homines seu communitatem loci de paludis, secundum modum et formam contentam in litteris inde confectis quibus praesentes annectuntur, confirmat et approbat.

74. Item, contractum arradamenti factum cum Guillelmo Amarelli per abbatem et sindicum abbatiae Fontis frigidi, prout in instrumento inde confecto continetur, praesens Capitulum generale confirmat et approbat.

75. Item, arradamentum factum per sindicum et conventum monasterii Fontis frigidi cum Ioanne Rigiolis commorante in Narbona, per sex annos immediate sequentes, praesens Capitulum generale confirmat et approbat.

76. Generale Capitulum informatum de promotione tali quali cuiusdam fratris Ordinis Minorum per abbatem Bonaevallis Viennensis, vel per suum commissarium virtute cuiusdam rescripti facta in monasterio Vallis crescentis, Dyenensis dioecesis, contra nostri Ordinis instituta et privilegia, cum eidem Ordini sit indultum, ut nullus de Ordine Mendicantium ingrediatur Ordinem ipsum, nec in eodem promoveatur, abbati Aquabellae praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae, quatinus quantocius poterit, huiusmodi talem qualem promotionem ac inde secuta casset, irritet et annullet, ipsique monasterio Vallis crescentis de novo provideat de persona Ordinis nostri sufficienti et idonea, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

77. Ad supplicationem abbatis monasterii de Lucella petentis quod monasterium monialium de Hengental, Basileensis dioecesis, de novo fundatum eidem monasterio de Lucella sit subiectum, quodque ipse de Lucella et sui successores sint patres abbates dicti monasterii et quod gaudeat privilegiis et libertatibus ipsius Ordinis.

78. Capitulum generale mandat abbati de Mulbruno, quatinus fratrem Bertholdum in medicina doctorem suum religiosum instituat in abbatem monasterii de Paris, quodque subveniat eidem monasterio de bonis temporalibus sibi a Deo collatis pro ipsius monasterii reparatione.

79. Generale Capitulum intuitu bonae memoriae domini Ioannis novissime episcopi Trecensis nuper defuncti in forma consueta eumdem absolvit, dominumque Robertum de Campis suum primum officialem ad Ordinis suffragia recipit et admittit.

80. Excusantur a via generalis Capituli amodo abbates de Candelio, s. th. pr., et Ioannes de Sancto Sacerdotio de Bella pertica, attentis eorumdem senectutibus et impotentiis.

81. Ad idem pro abbate de Oratorio.

82. Ad idem pro abbate de Aceyo.

83. Super supplicatione abbatis de Berola petentis quod duo

sui conversi ad monachalem habitum recipiantur, generale Capitulum eidem abbati permittit, quatinus ipsos recipiat et ad sacros ordines promoveri faciat, si eos invenerit sufficientes et idoneos.

84. Ad supplicationem abbatis de Aquabella petentis quod abbas de Valle benedicta compellatur sub censuris Ordinis per abbatem de Mansiade, quatinus infra duos menses redimat iocalia et cetera bona eiusdem monasterii de Valle benedicta per ipsum impignorata, vendita seu alienata, in plenaria Ordinis potestate.

85. Abbati de Aquabella committit generale Capitulum, quatinus visitet et reformet monasteria de Sinaqua, de Valle crescenti, de Tyronello, et de Valle sancta, cum potestate instituendi et destituendi, etiam expellendi Mendicantes ab ipsis monasteriis et alios viventes inhoneste, cum invocatione brachii saecularis, si necessitas poposcerit.

86. Abbatibus de Firmitate, s. th. pr., de Prulliaco, de Caritate, de Regalimonte de Vallibus Sernay et de Caricampo et eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulas utriusque sexus regulares et Ordinis Cisterciensis personas, quas in quibuscumque pecuniarum summis et rebus aliis, repererint obligatas, seu quovis modo teneri domino Cistercii eiusque conventus, ad satisfaciendum eisdem viriliter cogant et debite compellant, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

87. Ad idem pro abbate Claraevallensi, s. th. pr., de Ursicampo, s. th. pr., de Ripatorio et de Longovado monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum.

88. Ad idem pro abbate de Prulliaco, de Regalimonte, de Barbello et de Ioyaco monasteriorum abbatibus.

89. Ad idem pro abbate Pontigniaci, de Trisayo monasterii abbas.

90. Ad idem pro abbate Caricampi, de Laude et de Longo villari monasteriorum abbates.

91. Ad idem pro abbate de Curia Dei, de Loco regis monasterii abbas.

92. Ad idem pro abbate de Pratea, de Loco regis monasterii abbas.

93. Ad idem pro abbate de Ursicampo, de Caricampo et de Gardo...

94. Generale Capitulum decernit et declarat fratrem Ioannem Hospitalis Ordini rebellem, necnon conspiratorem et contumacem, excommunicatumque et pluribus aliis criminibus irretitum et convictum, processus etiam contra ipsum per dominum Cisterciensem et abbatem Morimundi, s. th. pr., factos approbando.

95. Capitulum generale concedit abbati de Bonacumba licentiam, quatinus sit excusatus a missione scolarium ad studium Tolosanum usque ad biennium computando a tempore praesentis Capituli.

96. Committitur abbati de Prulliaco, quatinus moneat, postmodumque compellat abbates monasteriorum de Moroliis, de Loco Sancti Bernardi, et quemlibet ipsorum sub censuris Ordinis ad satisfaciendum cellerario collegii Sancti Bernardi Parisius moderno, de summa sibi debita per eosdem ratione suorum scolarium, ministretque partibus iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

97. Super causa mota inter fratres Wiricum Dazi, s. th. pr., et Egidium de Termogne contendentes pro monasterio de Valle Sancti Lamberti ,Leodiensis dioecesis, diu Basileae et in Curia romana ventilata, inde vero per sanctissimum dominum nostrum Summum Pontificem ad generale Capitulum transmissa, ipsum Capitulum praefatum Wiricum et Egidium et eorum quemlibet in solidum ad generale Capitulum proxime futurum personaliter et peremptorie citat, citatoriumque contra ipsos decernit dicturos et allegaturos omnia et singula quae in huiusmodi causa dicere et allegare voluerint, auditurosque tunc sententiam dicti Capituli in ipsa materia pronuntiari, praecipiendo ac mandando omnibus et singulis personis Ordinis tam abbatibus quam monachis super hoc requisitis et requirendis, quatinus huiusmodi citatorium exsequantur.

REHABILITATIONES

98. Ad humilem instantiam abbatis de Longovado, praesens generale Capitulum benigne dispensat cum fratre Petro de Gurgeyo monacho suo, quod non obstante apostasia octo dierum vel circa per eum perpetrata, habitu regulari reiecto, super quo regulariter poenituit, ad omnes Ordinis gradus legitimos promoveri valeat et admitti.

99. Praesens Capitulum generale misericorditer dispensat cum sorore Margareta Davinnes, professa monasterii de Bello prato, quod non obstante defectu natalium quem patitur de soluto et soluta progenita, ad omnes, *etc. ut supra.*

100. Ad instantiam abbatis de Boheriis praesens Capitulum generale benigne dispensat cum fratre Ioanne Broymart monacho suo, ut non obstante quod per annum apostataverit cum deiectione regularis habitus, ad omnes Ordinis gradus, etiam ad abbatialem dignitatem, assumi valeat et promoveri.

101. Ad supplicationem abbatis de Fonteneto praesens Capitulum benigne dispensat cum fratre Hugone de Furlione monacho suo, ut non obstante apostasia diutius per ipsum perpetrata, habitu regulari relicto, super eo quod humiliter et condigne propter id iniunctam sibi peregit poenitentiam, ad omnes, *etc. ut n° praeced.*

102. Ad humilem supplicationem abbatis de Gemundo praesens Capitulum benigniter dispensat cum fratribus Germano de Benangis, Ioanne Riberti, Ioanne de Gordono, et Laurentio Groc, monachis suis, quod non obstante apostasia dicti Germani diutinis iam temporibus perpetrata, apostasiaque et furto in camera sui abbatis per dictum Ioannem Riberti commissis, necnon praefati Ioannis de Gordono apostasia et sacrilegio ratione cuiusdam patenae calicis per ipsum furtum ablatae ac etiam furto in camera dicti abbatis per dictum Laurentium Groc perpetrato, ad omnes Ordinis gradus promoveri valeant et admitti.

[DIFFINITIO] GENERALIS

103. Omnes et singulae personae Ordinis utriusque sexus praetextu anni iubilaei, ac indulgentiarum per sanctissimum in Christo patrem dominum nostrum Summum Pontificem eidem Ordini concessarum, inhabiles et infames rehabilitantur, et ad omnes eiusdem Ordinis dignitates, voces et gradus, dum tamen suorum abbatum vel abbatissarum intervenerit assensus, habiles evadunt.

1451

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo

1451. *Fontes* : L^4 : 1-96: *M* : 57, 58, 60, 73, 82 ; P^2 : 1, 57, 58, 60, 73, 77 82; *W* : 97. [a] *Titulus apud* L^4.

primo, statuta sunt haec apud Cistercium duodecima mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo... *etc. ut in anno* 1449.
2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1449.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Resignationem abbatis de Aymerode ab abbatiali dignitate dicti monasterii per dominum Morimundi, s. th. pr., acceptatam, electionemque, promotionem et installationem fratris Petri de Willich in abbatem et pastorem dicti monasterii rite et canonice per eumdem dominum Morimundi factam, prout per decretum cui praesentes annectuntur constat evidenter, praesens generale Capitulum confirmat et approbat.

8. Electionem, provisionem et installationem fratris Guillelmi Surgant in abbatem et pastorem monasterii de Castellariis per dominum abbatem Claraevallis, sacrae paginae professorem, dicti monasterii patrem abbatem, rite et canonice factam, prout in decreto seriose confecto, cui praesentes annectuntur, lucidius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

9. Electionem, promotionem et installationem fratris Stephani Roleti in abbatem monasterii de Thela per abbatem Bellae vallis, dicti monasterii patrem abbatem, canonice factas, *etc. ut in forma consueta.*

10. Provisionem, promotionem et installationem fratris Hugonis de Castro in abbatem monasterii de Valle lucenti per domi-

---

[b] Sub Nicolao V... *etc. ut in anno praeced.* : P^2.

num Prulliaci, dicti monasterii patrem abbatem, auctoritate paterna et secundum Ordinis nostri instituta, factas, *etc.*

11. Electionem, promotionem et installationem fratris Petri Massalerii in abbatem monasterii de Alta ripa, per abbatem de Alto cristo, commissarium abbatis de Caroloco, patris abbatis dicti loci, rite, *etc.*

12. Electionem et promotionem fratris Ioannis Grinel in abbatem monasterii de Savigniaco per abbatem de Claromonte, commissarium abbatis Claraevallis, dicti monasterii de Savigniaco patris abbatis, canonice, *etc.*

13. Irritationem electionis de persona fratris Guillelmi Adeline, prioris Sancti Germani in Laya, Ordinis Sancti Benedicti, per conventum monasterii de Brolio Benedicti, contra apostolica et nostri Ordinis instituta factae, per abbatem de Vallibus Sernay, patrem abbatem dicti monasterii de Brolio Benedicti, provisionemque et promotionem fratris Mauritii Sarradin, expresse professi monasterii Beatae Mariae de Noa, in abbatem et pastorem praelibati monasterii de Brolio Benedicti, iure paterno et secundum nostri Ordinis instituta, in modo et forma in decreto, cui praesentes annectuntur, contentis factas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

14. Electionem, promotionem et installationem fratris Nicholai in abbatem monasterii de Caladia, per abbatem Trium fontium, patrem abbatem dicti monasterii, rite, *etc.*

15. Resignationem fratris Vincentii ab abbatiali dignitate monasterii de Aurora, per abbatem de Lutzella dicti loci patrem abbatem acceptatam, electionemque, promotionem et installationem fratris Ludovici in abbatem dicti monasterii de Aurora, rite, *etc.*

COMMISSIONES

16. Abbatibus de Ursicampo, s. pag. pr., de Caricampo et de Longovado et eorum cuilibet in solidum praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis utriusque sexus personas, quas domino abbati Claraevallis aut eius monasterio in quibuscumque pecuniarum summis, etc. *ut in forma consueta.*

17. Ad idem committitur abbatibus de Prulliaco, de Regalimonte et de Bonavalle Pictaviensi, pro domino Cisterciensi.

18. Ad idem committitur abbati de Bolbona, pro abbate Grandis sylvae.

19. Ad idem committitur abbatibus de Villerio et de Pontifero, Metensis dioecesis, pro abbatissa de Clarofonte, cum specialitate compellendi abbatem de Aurea valle.

20. Ad idem committitur abbati de Lutzella, pro abbate de Caritate.

21. Ad idem committitur abbatibus de Regalimonte et de Valle lucenti, pro domino Prulliaci.

22. Abbati de Alna, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus fratres Iacobum de Blareyo, Guillelmum de Hodege, et Guillelmum de Moge, ad monasterium et locum suae professionis Sancti Lamberti remittat, auctoritateque dicti Capituli abbatem dicti monasterii ad recipiendum dictos fratres, ad continuendum dictum Guillelmum de Moge, s. pag. bacc., in aliqua Universitate compellat, districtius inhibendo, ne occasione litis et discordiae inter abbatem suum et ipsos subortae, aliquis Ordinis nostri professus eos audeat in aliquo molestare.

23. Generale Capitulum audiens arrestum datum per Parlamentum regium Parisius, die 10^{a} aprilis novissime praeteriti contra et adversus fratrem Iacobum de Coderto se gerentem pro abbate de Palatio Beatae Mariae, ad utilitatem fratris Ludovici Augustini conformiter declarat ipsum fratrem Ludovicum habere ius in praefato monasterio de Palatio.

24. Abbati Sanctae Fidis praesens generale Capitulum comittit, quatinus quaestiones, discordias et contentiones subortas inter fratrem Ioannem Felix abbatem de Oliva et Ioannem de Peralta, abbatem de Fiterio, super abbatiatu de Oliva, constitutionemque abbatiatus de Irancio inter fratres Michaelem de Lio et Sancium de..., necnon inter fratres Michaelem Benedicti, Petrum de Grez et Petrum de Matallana, super prioratu de Marziella dilucidet sententialiterque decidat, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

25. Abbati Sanctarum Crucium, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus discordiam inter abbatem Vallis dignae et fratrem Antonium de Borat, motam super computationibus non redditis tempore quo idem Antonius in eodem monasterio bursariatus officium exercuit, determinet et decidat, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

26. Generale Capitulum committit abbatibus de Pinu et de

Misericordia Dei, et eorum cuilibet in solidum procurationem Ordinis cum potestate plenaria substituendi, quatinus assistant nomine procuratorio abbati de Bonavalle Pictaviensi in omnibus causis Ordinis et praecipue in causa iniuriarum sibi illatarum in monasterio de Albis petris contra et adversus omnes et singulos, qui manus violentas in ipsum abbatem de Bonavalle iniecerunt.

27. Regimen et administrationem monasterii de Pace Nostrae Dominae, dioecesis Catalaunensis, praesens generale Capitulum confert et committit fratri Ioanni Ponipart professo monasterii de Caherio, dans eidem in mandatis quatinus nomine procuratorio totius Ordinis pro recuperatione, restauratione et restitutione, tam dicti loci quam quorumcumque bonorum et iurium eiusdem loci, contra religiosos Sancti Antonii Trecensis, et alias quascumque personas procedat, elaboret et procuret et recuperata fideliter conservet, donec idem Capitulum super hoc aliter duxerit ordinandum.

28. Abbatibus de Camberone et de Valcellis ac etiam magistro Ioannis de Pratis, s. th. pr., et eorum cuilibet in solidum praesens generale Capitulum committit, quatinus religiosos de Alneyo et de Fulcardimonte per mundum contra Ordinis honestatem evagantes, et relicta regulari disciplina, in villis et civitatibus residentes, moreque saecularium sacerdotum missam celebrantes, et ecclesiastica sacramenta administrantes, etiam omnes et singulos Ordinis nostri professos per saeculum illicentiatos et in praeiudicium honestatis Ordinis discurrentes capiant, seu capi faciant, ad expensas propriorum abbatum ad propria remittant, remittive faciant et procurent.

29. Super supplicatione reverendissimi in Christo patris domini archiepiscopi Trevirensis petentis ampliari pensionem concessam per generale Capitulum anno praeterito antiquo abbati de Heymerode, videlicet centum florenos rhenenses annuatim, ipsum Capitulum eidem reverendissimo patri humiliter et gratiose notificat quod abbatibus Ordinis cedentibus benemeritis solum debent dari quinquaginta floreni, sed contemplatione ipsius Capitulum praefato antiquo abbati certis ex causis concessit dictos centum flor. cum hoc praecipiendo patri abbati ipsius monasterii de Heymerode, quatinus quam citius poterit ad idem monasterium accedat ibidem visitaturus et dispositurus quemadmodum statuta eiusdem Ordinis suadent et volunt.

30. Committitur abbati de Bolbona, quatinus se informet utrum abbas de Caduino post inhibitionem sibi factam a Capitulo generali intromiserit se de regimine monasterii de Fulentio; quod si repererit, ipsum de Caduino denuntiet excommunicatum, eumque citet ad proximum generale Capitulum personaliter et peremptorie comparituram.

31. Capitulum generale mandat et praecipit procuratori generali in Curia romana existenti, quatinus pro posse faciat revocari quamdam inhibitionem impetratam in ipsa Curia per fratrem Ioannem de Paralta, in qua cavetur ne Ordo se intromittat de processu inter fratrem Ioannem Felix et dictum de Peralta ventilato.

32. Ad supplicationem abbatis de Lutzella petentis quod deputetur aliquis abbas qui capiat seu capi faciat et incarceret quemdam fratrem Nicolaum Vitrani de Doberluch apostatam, praecipitur abbati de Sancto Urbano.

33. Committitur abbati de Begar, s. th. pr., quatinus se informet utrum transportum in litteris, quibus praesentes annectuntur, sit accommodum monasterio de Bellobecco; quod si repererit ipsum confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

34. Ad idem abbati de Caricampo, pro Fulcardimonte.

35. Tractatus quem fecit abbas de Lucka cum Cartusiensibus prope Hildeshemium, cassatur per generale Capitulum, quodque abbas de Walkenrede adiunctis secum aliquibus abbatibus, praefatum abbatem cum suis officiariis personaliter compariturum citet ad oppidum Hannovrense, ibidem denuntiet exommunicatum, periurum et depositum a dignitate abbatiali.

36. Capitulum generale informatum quod abbates de Esrom et de Sora, virtute quarumdam commissionum eisdem a domino Cisterciensi datarum, multa enormia commiserunt, Ordinem diffamando, super quo remedium adhibere volens committit abbatibus de Purocampao et Cara Insula, quatinus se debite informent super praemissis, praedictos abbates citando ad comparendum personaliter ad proximum generale Capitulum, responsuros super omnibus et singulis articulis contra eosdem per promotorem causarum eiusdem Capituli proponendis, cum debitis protestationibus et aliis clausulis opportunis, eisdem inhibendo ne amplius de huiusmodi commissionibus se intromittant; insuper committit reformationem monasteriorum regnorum Daniae Sweciae, Norwegiae, praedictis abbatibus de Purocampo et de

Cara Insula et cuilibet eorum, ac etiam collectionem contributionum et subsidiorum, in quibus monasteria praemissa obligantur, et alia facienda, quae ipsorum monasteriorum reformationem concernunt, in plenaria Ordinis potestate, postmodum informando generale Capitulum proxime futurum de his quae fecerint in praemissis.

37. Ad aures praesentis Capituli devenit quod abbas Vitae scolae, licet a suo Ordine excommunicatus, nihilominus celebrat, irregularitatem incurrendo et Ecclesiae claves parvipendendo, super quo remediare volens praecipit abbati de Cara Insula, quatinus se super hoc debite informet, et si ita invenerit, quod praedictum abbatem ab omni administratione sui monasterii suspendat, et eum visurum se deponi, si sua exigant demerita, ad Capitulum generale proximum citet.

38. Admodiationem, arrendationem et alios quoscumque tractatus factos inter abbatem et conventum de Luka supra Mindam, et fratres Cartusiae Hildesemensis tamquam iniustas contra privilegia apostolica factas, praesens Capitulum cassat, irritat et annulat, declaratque praedictum abbatem de Luka fore periurum et dilapidatorem bonorum sui monasterii et deponendum. Et committit abbatibus de Walkenrede et de Novali Sanctae Mariae, quatinus praedictum abbatem deponant, aut eius resignationem de consensu huius Capituli acceptent, alia omnia et singula circa reformationem eiusdem monasterii faciendo quae ipsi facere videbunt, in plenaria Ordinis potestate, invocando si opus fuerit brachium saeculare.

39. Abbatem de Riffenstein, qui contributiones et subsidia solvere contempsit, praesens generale Capitulum excommunicat, absolutionem abbati de Walkenrede, restitutione praevia, reservando, cui committit reformationem dicti monasterii de Riffenstein, in plenaria Ordinis potestate.

40. Committitur abbatibus de Alto cristo et de Alta ripa, quatinus compellant iuxta vias iuris et iustitiae omnes et singulas personas Ordinis, quae tenebantur magistro Wirico Dary, in aliquibus pecuniarum summis, ad satisfaciendum Wirico Dary, nepoti dicti magistri Wirici, de expensis quas fecit ratione sui salarii eidem avunculo exhibiti, unam partem convertendo in solutionem debitorum et reliquam pro salario antedicto.

41. Abbati de Ebraco praecipit generale Capitulum, quatinus compellat fratrem Ioannem de Brumbach, s. th. pr., ad redden-

dum rationem et reliqua de illis centum florenis quos mutuo recepit ab abbate de Hilaria pro collegio studii Viennensis, et si repererit praedictos florenos in augmentationem collegii antedicti esse positos, per ipsum collegium faciat restitui, in plenaria Ordinis potestate.

42. Committitur abbati de Bonis campis, quatinus suis expensis recuperet monasterium monalium de Augustines de Estaulsis et Valle silvae, Ordinis Cisterciensis, ipsaque visitet et reformet ac regat seu regi faciat, quodque habeat paternitatem praefatorum monasteriorum.

43. Committitur per generale Capitulum abbati Sanctae Fidis, quatinus se informet de processu facto per abbatem de Oliva contra abbatissam monasterii monialium de Gambron, quod si reperit bene fuisse processum, ipsum monasterium visitet et reformet ac eamdem abbatissam deponat, in plenaria Ordinis potestate ; provideatque praedicto monasterio de nova abbatissa, secundum Ordinis nostri regularia statuta, canonica electione praemissa.

44. Committitur abbatibus de Populeto et de Petra per generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Rota quantocius poterint accedant, ibidemque se informent de processu facto per abbatem de Sancta Fide contra fratrem Michaelem Cassaliez, se tunc gerentem pro abbate monasterii de Rota, iustitiamque super huiusmodi processu faciant in plenaria Ordinis potestate, ac faciant eidem de Sancta Fide expensas rationabiles refundi, quas fecit in prosecutione processus antedicti, et abbas de Rota maneat captus prout est in posse monasterio Sanctae Fidis ; et etiam idem monasterium de Rota maneat in ordinatione ipsius abbatis Sanctae Fidis, donec idem processus fuerit visus per supradictos de Populeto et de Petra, et si casus accidat, quod de novo debeat provideri de abbate ; provisionem hanc Capitulum generale committit abbati de Sancta Fide.

45. Abbatibus de Strata et de Noa, ac cuilibet ipsorum in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus fratres Robertum Vontim et Radulphum a Lorge, monachos monasterii de Brolio Benedicti, Guillelmum Lenfant, monasterii Boniportus presbiterum, conspiratores et excommunicatos, per se vel per alium capiant seu capi faciant, eosque incarcerent usque ad nutum Capituli generalis, postmodumque rescribant domino Cisterciensi, quid fecerint in praemissis, invocato ad hoc, si

opus fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore.

46. Capitulum generale committit abbati de Locoregio, quatinus per censuras Ordinis compellat omnes et singulas personas Ordinis, quae tenentur in aliquibus pecuniarum summis Bartholomeo Marescalli clerico, dioecesis Bituricensis, ad sibi satisfaciendum de omnibus summis et qualibet earum, in plenaria Ordinis potestate.

47. Ad relationem domini Morimundi, s. th. pr., conquerentis quod nonnullae personae Ordinis in diversis partibus constitutae fuerint rebelles ad solvendum Ordinis contributiones ac subsidium, anno praeterito pro Sanctissimo domino nostro Summo Pontifice, per Ordinem impositum, generale Capitulum committit receptoribus ad huiusmodi receptionem deputatis, quatinus ipsas personas sub poena excommunicationis et censuris Ordinis compellant ad solvendum contributiones praedictas, ipsumque subsidium et expensas quae in procecutione ipsa facere oportebit.

48. Committitur abbati de Obra, quod diligenter se informet de illis monachis, qui fuerint conspirationes contra suum abbatem in monasterio de Linda in Polonia, et quod ipsos puniat tanquam conspiratores, alios autem rebelles castiget iuxta Ordinis praedicti statuta.

49. Committitur abbati de Buzayo per generale Capitulum, quatinus compellat abbatem de Ré et fratrem Ioannem Merichor, monachum de Ré, et ceteras personas Ordinis summas pecuniarum quibus tenentur et obligantur collegio Sancti Bernardi Parisius vel bursario eiusdem, quoties per officiarios dicti collegiii seu deputatos requiretur, cum censuris Ordinis, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

50. Generale Capitulum committit abbati de Begar, s. th. pr., quatinus adiuncto secum aliquo abbate Ordinis, de quo sibi videbitur expedire, accedat ad monasterium de Trizayo, ibidemque se informet de processu facto per dominum Pontigniaci, patrem abbatem dicti monasterii, et alios secum tunc existentes, contra abbatem dicti monasterii, necnon omnibus aliis circumstantiis hanc materiam concernentibus, ipsum processum terminando, eidemque monasterio provideat de aliquo, qui se intromittat de praefati monasterii de Trizayo regimine spirituali et temporali, donec finis imponatur negotio ; qui deputatus tenea-

tur reddere rationem sibi commissorum, aliaque in ipso monasterio faciat et exerceat cum dicto adiuncto,quae erunt fienda in omnimoda Ordinis plenaria potestate ; nihilominus Capitulum praefatum abbatem ad cautelam absolvit, mandatque eidem de Begar quod utrique parti provideat de expensis, donec fuerit huiusmodi processui finis impositus.

51. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum dioecesis Pictaviensis committit generale Capitulum abbati de Begar, s. th. pr., quatinus ibidem visitet, reformet, corrigat, instituat et destituat, in capite et in membris, ea quae erunt visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, in plenaria Ordinis potestate.

52. Abbati de Hiddenze committitur visitatio et reformatio monasterii de Cara Insula, quousque monasterium de Vitae scola fuerit reformatum et in eo abbas institutus, qui fuerit a Capitulo generali approbatus, inhibendo sub inobedientiae poena, ne aliquis abbas aut commissarius virtute cuiuscumque commissionis audeat praedictum abbatem de Cara Insula visitare aut alias perturbare, non vocato prius abbate de Hiddenze.

53. Ad idem committitur abbati de Purocampo, quoad monasterium de Rure regio, et de Loco Dei.

54. Ad idem committitur abbati de Cara Insula, quoad monasterium de Vitae scola.

55. Diffinitionem anno praeterito abbati de Purocampo datam, quoad visitandum et reformandum de Huda, praesens Capitulum generale innovat, approbat et confirmat, cum omnibus clausulis in eadem diffinitione positis.

[DIFFINITIONES] GENERALES

56. Omnibus et singulis abbatibus Cisterciensis Ordinis nationis germanicae, patribus abbatibus et reformatoribus per generale Capitulum praecipitur, quatinus omnia et singula eiusdem Ordinis monasteria sibi subdita per se vel alios iuxta statuta Ordinis, infra Capitulum generale proxime futurum, sub poena privationis dictarum visitationum, visitent et reforment, quodque compellant suos subditos ad observationem dictorum statutorum, sub poenis et censuris ipsius Ordinis.

57. Praesens generale Capitulum desiderans reformationem monasteriorum ac personarum Ordinis, districte praecipit et

mandat omnibus et singulis reformatoribus et visitatoribus, quatinus hoc anno per se aut suos commissarios omnia monasteria sibi subdita visitent, et quod compellant abbates et monachos ad regulariter vivendum et observandum reformationem bonae memoriae Benedicti Papae XII, et alia instituta sui Ordinis, papalia et regularia, in hoc sibi rebelles excommunicando et a suis dignitatibus deponendo ; et quod nullum admittant visitatorem, nisi sibi ab Ordine datum [c] ; mandat tamen et praecipit praesens generale Capitulum omnibus et singulis personis Ordinis, quatinus si legatos [d] Summi Pontificis ad loca sua declinare contingeret, ipsos cum omni humilitate recipiant, et cum omni humanitate tractent, privilegiis Ordinis semper observatis.

58. Praecipitur omnibus et singulis patribus abbatibus quatinus se informent in sua filiatione de abbatibus mitratis et benedicentibus ornamenta ecclesiastica ; quod si repererint eos non habere auctoritatem, eis inhibeant sub censuris Ordinis, ne amodo utantur praedictis.

59. Visitatoribus et reformatoribus Ordinis universi praecipit praesens Capitulum generale, quatinus adhibeant omnem diligentiam ad recludendum moniales sibi commissas, et ad ipsas compellendum ut regulariter vivant.

60. Item, ad aures Capituli generalis devenit certos abbates et alias personas Ordinis in concilio Basileensi et alibi contra communia Ordinis instituta impetrasse quaedam [e] privilegia sive indulta, diversas [f] sententias incurrendo, super quo remediare volens, sub poena depositionis ipso facto, praecipit praesens Capitulum, ne aliqua Ordinis nostri persona audeat talibus privilegiis uti, nisi prius Capitulo generali praesententur.

61. Omnes et singulas excommunicationum sententias propter aliqua ceremonialia Ordinis adversus personas Ordinis per generale Capitulum latas, praeterquam de materiis contributionum Ordinis, missione scolarium ad generalia studia, confessionum propriis abbatibus debitarum, contra conspiratores, incendiarios, fures, proprietarios et alios casus in diffinitionibus antiquis expressos, idem Capitulum cassat, revocat et annullat.

---

[c] datus sit. *M* : datum sit : *P*². [d] legati... contigerint : *M*². [e] circa : *P*². [f] diversas sent. incurr. : *deest M*.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

62. Contractum super traditione 24 operatarum cuiusdam vineae factum per abbatem Belliloci et per suum patrem abbatem confirmatum, cum omnibus et singulis articulis et conditionibus et clausulis in litteris quibus praesentes annectuntur contentis, praesens generale Capitulum ratificat et confirmat.

63. Tractatum initum inter abbatem et conventum monasterii de Maceriis et nobilem ac illustrem Erardum de Beffroimont, commendatorem de Bellecrois, Ordinis Sancti Ioannis in Ierusalem, super traditione unius stagni et assignatione quinque bichetorum avenae cum dimidio per modum et formam in litteris quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum confirmat et approbat.

64. Praesens generale Capitulum luce clara perpendens quod contractus ab abbatissa et conventu monasterii de Sancto Desiderio cum Ioanne Lamy scutifero, cui praesentes annectuntur, manifeste cedit ad notorium damnificumque dicti monasterii detrimentum ; idcirco dictum contractum omnesque articulos et conditiones in eodem contentos annullat, cassat penitus et revocat.

65. Contractum per abbatem et conventum Septem fontium cum omnibus conditionibus et clausulis, cuius transumptum praesentibus annectitur, ad evidentissimum dicti monasterii detrimentum factum, praesens generale Capitulum cassat, annullat et revocat.

66. Contractum factum per abbatem et conventum Fonteneti, per modum et formam contentos in litteris quibus praesentes annectuntur, ad evidentem monasterii utilitatem cedentem praesens generale Capitulum ratificat et confirmat.

67. Traditiones domus nuncupatae Le Foulon Montreal per abbatem Fonteneti monacho suo fratri Ioanni de Laingues, cum omnibus et singulis conditionibus contentis in litteris, quibus praesentes annectuntur, praesens Capitulum generale approbat et confirmat.

68. Diffinitionem quatuor annis praeteritis datam domino Morimundi, s. th. pr., ad visitandum et reformandum cum aliis clausulis in eadem diffinitione positis in tota sua generatione ubilibet constituta et etiam in tota generatione germanica, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

69. Omnes abbatum cessiones sive resignationes et ex consequenti electiones, intrusiones, installationes et abbatum confirmationes receptas et celebratas per abbates de Runa, de Victoria in Karintia et de Sancta Trinitate in Nova Civitate, praesens Capitulum cassat, irritat et annullat tamquam factas contra privilegia apostolica, Ordini nostri concessa, et declarat illos qui resignaverunt in manibus dictorum abbatum, fore excommunicatos, et promotos per eosdem fore intrusos, et nihilominus citat praedictos abbates ad proximum generale Capitulum responsuros super praemissis et aliis occurrentibus, cum protestationibus debitis et aliis clausulis opportunis.

70. Capitulum generale Ordinis inhibet omnibus et singulis abbatibus nationis germanicae, ne novas praesumant instituere historias, quodque se omnino conforment statutis Ordinis praedicti, nisi habeant specialem licentiam.

71. Fratri Ioanni de Spira seniori abbati de Mulbrunno praecipitur per generale Capitulum sub poena excommunicationis et suae pensionis privatione, quatinus amodo se teneat et resideat in aliquo Ordinis monasterio, committendo abbati de Schonavia, s. th. pr., quatinus hanc exsequatur diffinitionem.

72. Praecipitur omnibus et singulis abbatibus qui suos scolares tenentur mittere Parisius ad collegium Sancti Bernardi, quatinus cum debitis provisionibus ipsos mittant, quodque imbursent pro anno integro, nec ipsi scolares, si ante annum recederent, poterunt repetere, iuxta Benedictinam, iam ipsas quas imbursaverunt pecunias.

73. Generale Capitulum concedit domino Cisterciensi et quatuor primis abbatibus, quatinus quilibet eorum in sua generatione possit dare licentiam sua monasteria resignandi usque ad Capitulum generale proximum, possitque recipere cessiones et resignationes abbatum sibi subditorum.

74. Tractatum dudum factum inter bonae memoriae magistrum Ioannem de Martigny dudum abbatem Cisterciensem, suum conventum, et Stephanum Nille, super traditione cuiusdam molendini de Salone, ad certum redditum perpetuum, cum idem tractatus sit ecclesiae Cisterciensi valde damnosus, cum monasterium Cisterciense damnificetur nedum ultra medietatem iusti valoris, sed plus quam de tribus partibus, factusque fuerit absque licentia Capituli generalis, idem Capitulum cassat, annullat et revocat.

75. Praecipitur abbati de Alneto in virtute salutaris obedientiae, quatinus provideat fratri Alano Olivier in victu et vestitu, teneatque ipsum in suo monasterio, vel alia domo Ordinis, nec eum sinat amplius per saeculum evagare, interim tamen stando sub regimine domini Morimundi, s. th. pr.

76. Generale Capitulum praecipit sub excommunicationis latae sententiae poena abbati de Ré, quatinus visis praesentibus restituat domino Pontigniaci privilegium Alexandri Papae IV de septem monasteriis Ordinis in facto decimarum eidem Ordini concessum.

77. Generale Capitulum praecipit abbati de Heisterbach, quatinus suum religiosum magistrum Arnoldum in s. th. pr., recipiat eum tractando iuxta gradus dignitatem et instituta papalia [a], et sibi satisfaciendo de expensis rationabilibus, quas fecit pro suo magisterio ad arbitrium sui patris abbatis.

78. Fratrem Theodorum monasterii de Heymerode professum, tamquam conspiratorem, praesens Capitulum sine spe reversionis ad idem monasterium de Heymerode emittit ad aliquem prioratum Ordinis in dioecesi Tanertensi [*Tarnoviensi ?*], ad quem suus abbas eum duxerit emittendum.

79. Praesens generale Capitulum constituit et ordinat provisorem collegii Ordinis in studio Viennensi fratrem Petrum de Fonte salutis, s. th. pr., ac etiam cathedram magistralem eiusdem Ordinis per doctores Ordinis in ipsa Universitate regi consuetam, sibi conferendo omnia et singula emolumenta ad dictos provisoratum et cathedram pertinentia.

GRATIAE SPECIALES

80. Praesens generale Capitulum benigne dispensat cum fratre Dionisio Claveau, monacho monasterii de Locoregio, quod non obstante apostasia duabus vicibus per 24 annos, per ipsum perpetrata, irregularitate super quibus se asserit per Sedem Apostolicam absolutum, ad omnes Ordinis legitimos gradus, citra abbatiatum, promoveri valeat et admitti, quodque suus abbas possit eidem super suis defectibus poenitentiam iniungere salutarem.

81. Praesens generale Capitulum benigne compatiens deso-

---

[a] principalia. *P*[2].

lationi monasterii de Hymerode, abbatem dicti loci a missione scolarium ad studium usque ad triennium inclusive habet misericorditer excusatum, dum tamen unum magistrum habeat et continuet in suo monasterio ad suos iuvenes instruendum.

82. Unionem et incorporationem monasterii monialium de Goiono cum omnibus membris et iuribus suis monasterio de Gemendo [h] per dominum Cisterciensem factam, generalem Capitulum laudat et confirmat, universis et singulis attestantibus, quod post dissolutionem Capituli dominus Cistercii omnimoda dicti Capituli facultate et auctoritate fungitur.

83. Ruinosae desolationi monasterii de Recluso generale Capitulum pie compatiens, ipsum abbatem suumque monasterium solutione contributionum ipsius Capituli et quota sibi imposita usque ad decennium dictum Capitulum duxit misericorditer excusandum.

84. Praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Claudio de Cabilone, monacho monasterii de Firmitate, quod non obstante apostasia per mensem solum, per ipsum perpetrata, Ordinis habitu minime derelicto, ad omnes Ordinis legitimos gradus, etiam ad abbatialem dignitatem, promoveri valeat et admitti.

85. Praesens generale Capitulum benigne dispensat cum fratre Henrico Duser, monacho monasterii in Bebenhusen, quod non obstante vitio proprietatis, in quo convictus fuit per suum abbatem, promoveri valeat et admitti, dum tamen sui abbatis specialis intervenerit consensus.

86. Idem generale Capitulum benigne dispensat cum fratre Willelmo Rutz, monacho in Bebenhusen, quod non obstante apostasia per eum spatio octo mensium perpetrata, Ordinis habitu derelicto, ad omnes Ordinis legitimos gradus, de consensu sui abbatis, promoveri valeat ad admitti.

87. Generale Capitulum benigne concedit sororibus Berthae et Annae comitissis de Werdenberge, professis in monasterio Bonaecellae, Constantiensis dioecesis, quod possint manere et rehabitare cum sorore Dorothea Noetim in eodem monasterio professa et cum una famula cunctis diebus vitae suae.

88. Praecipitur per generale Capitulum abbati de Tela, quatinus fratrem Ioannem Ouban, suum religiosum, nunc habitum

---

[h] Gimmundo: *M.*

Ordinis monachorum nigrorum portantem, quantocius poterit, moneat et inducat sub poena excommunicationis et censuris Ordinis ad suum monasterium, similiter praecipitur abbatibus de Alto cristo et de Alta ripa et cuilibet ipsorum, quod si requisiti fuerint per ipsum de Tela, praefatum monachum compellant seu alter eorum compellat, in plenaria Ordinis potestate.

89. Abbatibus ducatus Sabaudiae generale Capitulum misericorditer concedit ut omnes et singulae contributiones, in quibus tenentur Ordini a tempore ante concilium generale Basileense, et etiam durante divisione Ecclesiae, de gratia speciali eis remittantur, post vero concordiam factam in ipsa Ecclesia teneantur ipsas solvere contributiones, quas debent, proviso tamen quod omnes et singulas quittantias tam contributionum quam subsidii per Ordinem impositi, ratione praedicti concilii, tenebuntur infra Capitulum generale proxime futurum ostendere domino Cisterciensi.

90. Excusantur a via praesentis Capituli omnes et singuli abbates, qui ad ipsum miserunt suas excusationes, exceptis citatis, qui reputantur incurrisse poenas adversus non venientes ad Capitulum in statutis contentas, cum expensis in Benedictina expressis, citanturque ad generale Capitulum proxime futurum.

91. Citatur ad generale Capitulum proxime futurum abbas de Fonte Danielis, responsurus ad ea, quae per dominum Pontigniaci sibi tunc obiicientur; interim autem cessent causae et lites inter eos motae et movendae.

92. Per generale Capitulum cum abbate de Vallibus Sarnay misericorditer dispensatur, quatinus usque ad quinquennium sit quittus pro medietate contributionum per dominum Cisterciensem taxatarum.

93. Abbati de Rigniaco concedit generale Capitulum, quod quittetur a praesenti anno a suis contributionibus pro tribus florenis monetae ipsius Capituli.

94. Generale Capitulum concedit gratiose abbati et monasterio de Porta, attentis guerris, quae in illis regionibus viguerunt, quod usque ad quinquennium sint quitti pro solutione medietatis suarum contributionum.

95. Ad idem pro abbate et monasterio de Ruda.

96. Capitulum generale concedit abbati de Misericordia Dei, quatinus hinc ad quinquennium anno quolibet pro suis contributionibus solum solvat tria scuta aurea.

97. Capitulum generale abbati de Novali Sanctae Mariae gratiam procurat, ut resignare possit, cum praeesse utiliter amplius non possit.

1452

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, statuta sunt haec apud Cistercium duodecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo ... *etc. ut in anno* 1449.
2. Praeterea pro christianissimo ... *etc. ut in anno* 1449.
3. Insuper pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis ... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster ... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Promotionem et installationem fratris Thomae de Livione in abbatem monasterii de Vallibus Sernaii factam per abbatem monasterii de Regali monte, commissarium abbatis de Savigniaco, generale Capitulum acceptat, approbat et confirmat.

8. Ad idem pro fratre Guillelmo de monasterio de Voto per abbatem de Mortuo mari.

9. Renuntiationem monasterii de Paris factam per dominum abbatem de Lutzella, annuente suo conventu, in manus abbatis et conventus de Mulbrunne, pro perpetuis temporibus valituram, generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, ita tamen quod dicti Mulbrunnenses ipsum monasterium ab Ordine sibi

---

1452. *Fontes :* L^4 : 1-103 ; *M* : 91 ; P^2 : 1, 91 ; *W* : 91.
[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Nicolas V... *etc. ut in anno praeced.* : P^2

commissum a debitorum sarcinis exonerare ac in spiritualibus et temporalibus, quam citius fieri poterit, relevare pro viribus teneantur.

10. Electionem canonicam, necnon promotionem et installationem fratris Petri de Auxona, cellerarii Cisterciensis ad monasterium Longivadi, factam per dominum abbatem Claraevallis, s. th. pr., patrem abbatem dicti monasterii, praesens generale Capitulum tamquam rite et canonice factam, acceptat, ratificat, approbat et confirmat, prout in litteris seu decreto, quibus praesens annectitur diffinitio, continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

11. Ad idem pro fratre Ioanne de Barneolis professo monasterii de Fonteneto ad abbatiatum monasterii de Escalleis, Senonensis dioecesis, per abbatem de Fonteneto, patrem abbatem, promoto et installato, prout in decreto... *etc. ut supra.*

12. Electionem et promotionem canonicam de persona fratris Thomae de Pragellis, bursarii monasterii de Alna, Leodiensis dioecesis, per abbates de Villari et de Cambrone, domini Claraevallis commissarios, ad praesidentiam dicti monasterii de Alna, via Sancti Spiritus rite celebratam... *etc. ut supra.*

13. Promotionem et installationem de persona fratris Anselmi, alias Lanson ad abbatiatum monasterii de Monasteriis in Argona, per dominum abbatem Trium fontium, dicti monasterii patrem abbatem, factam, prout... *etc. ut supra.*

14. Translationem fratris Martini de Ruppe, dudum abbatis monasterii de Stella, in abbatem monasterii de Misericordia Dei electum, et per dominum abbatem Pontigniaci, commissarium abbatis de Caroliloco, confirmatum, ... *etc. ut supra.*

15. Electionem, confirmationem et installationem de persona magistri Arnulphi de Submosa, s. th. pr., in monasterio de Ellancio per abbatem Loco regio, patrem abbatem eiusdem monasterii, factam, *etc. ut supra*

16. Ad idem pro fratre Arduini in abbatem de Ripatorio electum, etc.

17. Ad idem pro fratre Ioanne Motet in abbatem monasterii de Bulencuria promotum, etc.

18. Ad idem pro fratre Thoma Bòtemllain in abbatem monasterii de Fulcardimonte, per abbatem de Caricampo promoto, etc.

19. Ad idem pro fratre Guillelmo Keginem in abbatem monasterii de Trisayo per dominum abbatem de Begar, s. th. pr., generalis Capituli auctoritate promoto.

20. Ad idem pro fratre Ioanne Bergier in abbatem monasterii de Barzella, per abbatem de Landesio, patrem abbatem dicti monasterii de Barzella.

21. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Gilberti de Calvomonte, cellerarii Vallis regis ad abbatiatum eiusdem monasterii Vallis regis, per abbatem Igniaci dicti loci patrem abbatem rite factas, *etc. ut supra.*

COMMISSIONES

22. Causam appellationis dudum emissae per priorissam et conventum prioratus de Villari Le Canivet, Ordinis nostri, contra monitionem domini abbatis Claraevallis, s. th. pr., eisdem ad utilitatem sororis Guillemetae de Tedebri, dicti loci dudum et originaliter professae factam, non obstantibus causis per easdem appellantes allegatis tam de occupatione duorum monasteriorum... *(locus vacuus)* per illam de Tedebri, quam de conspiratione praetensa et defectu licentiae in assecutione primi monasterii, irritam et inanem praesens generale Capitulum declarat, poenam contra iniuste appellantes, dicto domino abbati Claraevallis infligendam reservando, mandatque abbati Savigniaci, patri et visitatori earumdem, quatinus praedictam sororem Guillemetam in suo antedicto monasterio de Villari Le Canivet sub regulari observantia faciat recipi et admitti cum fructibus et emolumentis singulis dicti loci seu prioratus personis ministrari consuetis, in ipsius generalis Capituli potestate.

23. Abbatibus de Veteri monte et de Veteri campo praecipit generale Capitulum, quatinus omnes monachos existentes in partibus regni Bohemiae compellant per censuras Ordinis reverti ad propria monasteria, in plenaria ipsius Capituli generalis potestate.

24. Ad idem monialibus de Colonia [c] committitur abbatibus de Campo et de Heisterbach.

25. Capitulum generale monet et praecipit sub poena excommunicationis et depositionis abbatibus de Villanova in Britannia et de Gratia Dei in Pictavia, quatinus provideant suis scolaribus in collegio Sancti Bernardi Parisius destinatis et existentibus, de omnibus expensis necessariis, ut moris est, quos scola-

[c] *Seu* Polonia : *incertum in ms.*

res usque ad gradum doctoratus retinet ipsum Capitulum et mandat retineri, praecipiendo abbati de Claravalle, s. th. pr., quatinus praesentem diffinitionem demandet executioni infra festum beati Lucae proxime venturum.

26. Ad idem pro fratre Ioanne Paës, monacho monasterii de Petra, in collegio Sancti Bernardi, Tolosae.

27. Absolutionem excommunicationis, quam incurrisse conspirationis causa dignoscuntur fratres Radulphus de Lorge et Robertus Boutin, presbiteri et religiosi monasterii de Brolio Benedicti, abbati de Vallibus Sernaii, patri abbati dicti monasterii de Brolio Benedicti, praesens generale Capitulum committit in ipsius Capituli plenaria potestate.

28. Committitur domino abbati de Claravalle quatinus compellat per censuras Ordinis abbatem de Cheminon ad satisfaciendum abbatissae et conventui monasterii monialium de Argensoliis, de omnibus summis pecuniarum seu rerum aliarum, in quibus inveniet eumdem abbatem et eiusdem monasterium obligari et teneri dictis abbatissae et conventui dicti monasterii monialium de Argensoliis, in plenaria ipsius generalis Capituli potestate.

29. Committitur abbati de Balerna, s. th. pr., quatinus per censuras Ordinis et alias iuris et iustitiae vias cogat abbatem de Alpibus ad satisfaciendum Leoni de Aluranis mercatori et apothecario, de summa contenta in quadam cedula papirea sigillata cum sigillo et signo manuali signata dicti abbatis de Alpibus, quem quidem abbatem idem Capitulum ex nunc monet, quatinus eidem Leoni de dicta summa infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum sub poena excommunicationis satisfaciat, nisi causas praetendere aut allegare velit, propter quas ad id minime teneatur, et in casu oppositionis statuit idem Capitulum quod idem de Balerna diem assignet partibus ad ipsas causas allegandas et audiendas, et partibus hinc inde auditis praestet iuris et iustitiae, quam cito fieri poterit, complementum, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

30. Visitationem, reformationem et correctionem omnium et singulorum monasteriorum nostri Cisterciensis Ordinis, utriusque sexus in ducatu Delphinatus, Sabaudiae, Pedemontium et partibus circumiacentibus, committit praesens generale Capitulum domino abbati Claraevallis, s. th. pr., mandans eidem quatinus se informent de regimine spirituali et temporali monasterii et

abbatis de Cheseriaco, et processu facto contra abbatem de Alto Cristo et de Alpibus, et visis et auditis omnibus videndis et audiendis, faciat partibus ipsis iuris et iustitiae complementum, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

31. Capitulum generale committit abbati monasterii Morimundi, s. th. pr., quatinus quantocitius et commode poterit, visitet et reformet abbatem et monasterium Bellaevallis Bisuntinensis, puniatque et corrigat quae invenerit punienda et corrigenda, quem quidem abbatem Bellaevallis iam detentum generale Capitulum ponit ad manus dicti abbatis Morimundi, in plenaria ipsius Capituli generalis potestate.

32. Generale Capitulum committit domino Firmitatis quatinus compellat abbatem Maceriarum ad solvendum quatuor sextarios olei priori et conventui ecclesiae beatae Mariae de Lunigniaco Ordinis Cartusiensis.

33. Capitulum generale committit abbati monasterii Bonaevallis Viennensis, quatinus in omnibus causis motis et movendis inter magistrum Petrum Delphini et suos in una parte, et abbatem Aquaebellae ex alia, iustitiae complementum administret, partibus auditis, in plenaria Ordinis potestate.

34. Committitur abbati de Bolbona, quatinus omnes abbates, abbatissas et Ordinis personas, quas in aliquibus pecuniarum summis, vel aliis rebus obligari aut debite teneri invenerit abbati de Grandisilva et eius monasterio, ad satisfaciendum eidem abbati et conventui de Grandisilva, per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia viriliter et debite compellat.

35. Ad idem pro abbate de Caroliloco, de Prulliaco et de Barbello.

36. Ad idem pro abbate de Altacumba, dentur abbates de Bonavalle Viennensi et de Sancto Sulpitio.

37. Ad idem pro abbate Bonimontis committitur abbati Altaeripae.

38. Ad idem pro abbate de Bonavalle Pictaviensi, de abbate de Pinu.

39. Ad idem pro abbatibus de Altacrista et de Alpibus committit generale Capitulum abbati de Tela, et de Altaripa, et cuilibet in solidum.

40. Ad idem pro domino Rigniaci, de domino Claraevallis et de Fonteneto.

41. Ad idem pro abbate de Bonomonte, de abbatibus de Altaripa vel de Altacrista.

42. Abbati de Regalimonte committit generale Capitulum quatinus cum fratre Guillelmo Infantis, monacho monasterii Boni portus, dispenset ipsum absolvendo a sententia excommunicationis, quam incurrisse declaravit dictum Capitulum, necnon et de poena incarcerationis ipsi adiudicata in ultimo Capitulo, ita tamen quod a cetero iuri pareat et stet, sicut humiliter promisit.

43. Abbati de Pratea mandat praecipiendo generale Capitulum quatinus de et super fraudibus et damnosis direptionibus in monasterio et conventu Callovii per fratrem Henricum, quondam monachum et priorem dicti monasterii de Callovio, nunc monachum dicti monasterii de Pratea, et si invenerit eum culpabilem, carceribus eum mancipet, et iuxta Ordinis statuta puniat, inhibendo eidem districte et sub excommunicationis poena, ne virtute aut praetextu quarumcumque litterarum regimen aut firmam seu ius aliquod praetendat, aut praetendi per aliquos faciat in cellario seu grangia dicti monasterii vulgariter... *(locus vacuus)* nuncupata, in Capituli generalis plenaria potestate.

44. Generale Capitulum committit abbati de Sancta Cruce in Austria et magistro Petro de Fonte salutis, s. th. pr., quatinus cogant et per censuras Ordinis compellant omnes Ordinis abbates provinciae Salzburgensis, ad mittendum scolares suos ad studium Viennense, cum debitis provisionibus secundum formam Benedictinae et Ordinis, in plenaria ipsius Capituli generalis potestate.

45. Generale Capitulum committit abbati Morimundi, s. th. pr., quatinus ad se assumat monasterium de Perigniaco... *(locus vacuus)* non obstante unione ipsius, ut asseritur, ad monasterium Bonifontis facta, et quod regimen eiusdem committat alicui presbitero viro religioso Ordinis nostri et bonae famae, secluso fratre Ioanne Violeti, quousque aliter de eodem monasterio disposuerit, postquam ipsum visitaverit, inhibendo sub poena excommunicationis ne aliqua Ordinis persona hoc impedire praesumat.

46. Abbati de Grandisilva committit generale Capitulum quatinus querelam et causam fratris Guillelmi Vitalis, super facto et iure quod habere praetendit in abbatiatu de Sancto Marcello audiat, et eidem iustitiam ministret et in dictam abbatiam

Sancti Marcelli restituat, si de iure ei constiterit eumdem esse restituendum.

47. Committitur abbati de Laude quatinus computationes sororis Ioannae de Sancto Martino audiat, et si invenerit eam exposuisse summam 80 francorum, quam summam habuit pro venditione cuiusdam domus quam, ut asserit, habebat Attrebati pro reparatione claustri et aedificiorum monasterii de Vivario, restituatur sibi, quod restabit et quod iustum fuerit, in plenaria Capituli generalis potestate.

48. Praecipitur committendo abbati de Valle Dei, quatinus executioni demandet diffinitionem anno altero editam et commissam abbati de Alna defuncto, compellendo abbatem de Valle Sancti Lamberti ad recipiendum fratres Guillelmum de Mose, in theol. bacc. formatum, et Iacobum de Blarei, eisdem necessaria secundum ordinem et loci facultatem ministrando, in plenaria generalis Capituli potestate.

49. Commissionem visitationis et reformationis annis praeteritis datam domino Morimundi, s. th. pr., quoad monasteria suae generationis ubilibet consistentia, ac etiam alia monasteria nationis germanicae, praesens generale Capitulum confirmat, approbat et innovat cum clausulis in dicta commissione contentis, in plenaria ipsius Capituli generalis potestate.

50. Abbati de Pinu, Pictaviensis dioecesis, committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis Cisterciensis utriusque sexus personas, quas repererit obligatas seu quovismodo teneri abbati et monasterio de Bonavalle Pictaviensi, in quibuscumque pecuniarum... *etc. ut in forma consueta.*

51. Domino abbati Claraevallis, s. th. pr., committitur per generale Capitulum quatinus quantocitius poterit diligenter se informet de quadam promotione per abbatem Ursicampi, s. th. pr., in monasterio Frigidimontis facta et de idoneitate personae ibidem promotae, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

52. Generale Capitulum committit domino Claraevallis, s. th. pr., quatinus informet se diligenter de rebellione facta per abbatem de Loco Dei in Pontino contra abbatem Fulcardi montis, suum proprium patrem abbatem, corrigatque et puniat viriliter, si ita invenerit puniendum vel puniendos circa praemissa.

53. Abbatibus de Loco regio Bituricensis, de Albis petris Lemovicensis, et de Boscheto Claromontensis dioecesium, committitur per generale Capitulum quatinus omnes et singulos abba-

tes et officiarios, ceterasque utriusque sexus regulares personas provinciae Bituricensis, quarum interest aut intererit, secundum Ordinis instituta viriliter cogant et compellant per censuras Ordinis ad contribuendum rationabiliter eisdem abbatibus et sibi adhaerere volentibus pro tuitione et defensione privilegiorum eiusdem Ordinis, quae in dicta provincia a pluribus multipliciter impugnantur, quodque iidem tres abbates et eorum quilibet in solidum comparere valeant ubilibet, et quotiescumque necesse fuerit tam pro se quam pro ceteris eiusdem provinciae abbatibus, pro tuitione et defensione libertatum et privilegiorum antedictorum.

54. Committitur per generale Capitulum domino abbati Pontigniaci, quatinus si iustum sibi visum fuerit et rationi consonum, debita informatione praemissa, appellationem factam per abbatem de Bono radio declaret fore nullam et invalidam, faciatque et instituet iudicium et iustitiam Paschae uxori Ioannis Guiot, contra abbatem et conventum de Bono radio supradictos.

55. Capitulum generale committit domino Pontigniaci quatinus quam citius poterit transferat se ad monasterium Boni radii, et ibidem visitet et reformet quaecumque inibi visitanda et reformanda repererit, seque informet de paupertate dicti monasterii, referat quead proximum immediate sequens generale Capitulum, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

56. Generale Capitulum committit domino abbati Claraevallis, s. th. pr., quatinus informet se diligenter an procurator monasterii Bullencuriae exposuerit pecunias ad utilitatem dicti monasterii, et si ita repererit creditoribus probatis persolvi faciat debite et restitui ut iuris est, prout etiam fuerit rationis.

57. Eidem domino Claraevallis committitur per generale Capitulum, quatinus quemdam religiosum monasterii Bullencuriae in Sancto Antonio Trecis tamquam eiusdem loci subiectum commorantem, ad proprium monasterium auctoritate ipsius Capituli generalis reduci seu reverti faciat indilate.

58. Generale Capitulum committit abbati de Misericordia Dei, Pictaviensis dioecesis, visitationem et reformationem monasteriorum de Bullio et de Palatio Beatae Mariae, Lemovicensis dioecesis, cum potestate ibidem visitandi, reformandi, statuendi, instituendi et destituendi quaecumque ibidem visitanda fuerint seu corrigenda, mandans abbati de Misericordia Dei quatinus mandet et praecipiat dicto abbati de Bullio, sub poena excom-

municationis et depositionis, ne amplius studeat in studio Tolosano, sed ad proprium redeat monasterium gubernandum, et quod sub eisdem poenis solvat integraliter et complete suas contributiones sibi per generale Capitulum impositas, vel imponendas, ipsumque ob defectum solutionis earumdem contributionum declaret excommunicatum, absolutione eiusdem penes dictum abbatem de Misericordie Dei reservata.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

59. Generale Capitulum dispensat cum abbate et monachis monasterii Bellaeperticae super iuramento per eos praestito in quadam praetensa, imo verius nulla alienatione de grangia Sancti et pertinentiis eius facta magistro Guillelmo Castain, mandando abbati Grandissilvae, s. th. pr., procuratori Ordinis, quatinus per se vel per substitutum suum coram iudicibus instet et laboret, quod praefata grangia tamquam iniuste alienata ad dictum monasterium Bellaeperticae reducatur et restituatur, expensis tamen monasterii dicti Bellaeperticae.

60. Capitulum generale mandat renovari litteram quamdam de monasterio de Gardino Beatae Mariae quondam monialium, et a paucis annis citra in monasterium monachorum commutato, abbati de Alna commisso, ita tamen quod propter huiusmodi renovationem idem abbas de Alna et eius monasterium nullum novum ius acquirat.

61. Generale Capitulum inhibet abbati de Hymerode ne virtute quarumcumque litterarum audeat recipere fratrem Theodoricum, tamquam conspiratorem per dominum Morimundi de ipso monasterio de Hemerode perpetuo eiectum, quinimo praecipit tam ipsi abbati de Hemerode quam aliis abbatibus, quod si ipsum fratrem per mundum vagari reperient carceribus mancipent.

62. Capitulum generale inhibet fratri Ioanni seniori abbati de Hymerode, ne aliqua debita sine consensu sui abbatis recipiat vel contrahat, declarans abbatem et conventum dicti monasterii de Heymerode non teneri ad solutionem quorumcumque debitorum per praedictum seniorem sine ipsorum consensu contractorum aut contrahendorum.

63. Generale Capitulum citat peremptorie abbatem de Caroliloco ad secundam diem proximi generalis Capituli responsurum promotori causarum super omnibus quae sibi opponentur,

committendo provisori collegii Sancti Bernardi Parisius executionem praesentis diffinitionis.

64. Contractum factum inter abbatem et conventum monasterii de Theoloco ex una parte, et nobilem virum Ioannem Bastardum de Vergeyo, dominum de Divite curia, super una missa quotidie celebranda in dicto monasterio pro intentione eiusdem domini et suae coniugis, liberorumque et haeredum ipsorum pro cuius fundatione idem dominus assignat eisdem abbati et conventui 150 floren. renen. in redemptionem 1000 floren. renen. prout in litteris huiusmodi fundationis super hoc confectis, quibus praesentes annectuntur plenius continetur, praesens generale Capitulum confirmat, etc.

65. Generale Capitulum mandat et districte sub poena excommunicationis praecipit abbatibus de Gardo, de Benedictione Dei et de Chassenia, quatinus solvant domino Cisterciensi et eius monasterio redditus per ipsos et quemlibet ipsorum debitos eisdem domino Cistercii et eius monasterio, et arreragia eorumdem, alias post 60 dies a monitione ipsis facta et intimatione huius diffinitionis se noverint excommunicatos, mandans omnibus Ordinis regularibus personis, super hoc requirendis, quatinus dictis abbatibus hanc diffinitionem intimare non omittant.

66. Praecipitur abbati de Mansiade, quatinus omnes personas saeculares existentes in monasterio monialium de Silva, et in monasterio monachorum de Silvanesio expellat, et expelli procuret de locis regularibus, auctoritate Capituli generalis.

67. Ad supplicationem abbatis Ursicampi, s. th. pr., dispensatur cum fratre Egidio de le Ruelle in ordine sacerdotali constituto, quod licet suadente diabolo fere per duos annos vagando apostatavit, et ad cor reversus poenitentiam per duos annos devote peregerit, ad omnes Ordinis gradus, voces, dignitates, abbatiali dignitate seclusa, promoveri valeat et admitti.

68. Ad idem pro fratre Matheo de Tornaco qui apostatavit quasi per annum, habitu regulari non derelicto.

69. Ad idem pro fratre Philippo de Bello prato in contagione carnis devicto.

70. Ad idem pro sorore Maria Karelani in contagio carnis deprehensa, convicta et confessa, puerperio inde secuto, postulante abbatissa sua de Bono loco, Cenomanensis dioecesis.

71. Ad idem pro fratre Guillelmo Gentil, monacho de Aceyo, seclusa abbatiali dignitate.

72. Ad idem pro fratre Petro, qui fregit carcerem et per modicum tempus apostatavit, seclusa abbatiali dignitate.

73. Ad idem pro fratre Guillelmo Carrerie, et fratre Petro Friconis, monachis Grandissilvae, qui apostataverunt per aliquod tempus, etiam abbatiali seclusa dignitate.

74. Ad supplicationem abbatissae de Brath conceditur plena associatio et participatio omnium bonorum spiritualium Ordinis universi omnibus benefactoribus et sua bona largientibus pro reparatione ipsius monasterii de Brath, in plenaria generalis Capituli potestate, ita quod vice versa simus participes omnium bonorum spiritualium ipsorum.

75. Ad idem pro abbate et monasterio de Valloriis.

76. Ad idem pro fratribus Confratriae monasterii Sancti Antonii iuxta muros Parisienses.

77. Ad idem pro fratribus Confratriae quam fecit nobilis vir Philibertus de Vaudrey in capella sua de Monte bosone.

78. Mandat et districte praecipit generale Capitulum abbati de Caroliloco, quatinus abbatissam Sancti Antonii iuxta muros civitatis Parisiensis coram iudicibus saecularibus trahere non praesumat, sed si quid controversionis ortum fuerit inter ipsos coram iudicibus Ordinis eam citari faciat, et ius suum prosequatur, in plenaria generalis Capituli potestate.

79. Transportum, commutationem et recompensationem de censu bladi ad censum bladi factas inter nobilem et religiosum virum fratrem Hugonem Darcis, priorem Campaniae commendatorem de Roberti curia ex una parte, et fratrem Ioannem de Marchia priorem Directae vallis ex alia, ut patet in contractu, cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

80. Adcensationem cuiusdam plateae, sitae in villa de Marchia factam per dominum abbatem Morimundi et eius conventum Ioanni Colmet de Martigny, et Iacotae eius uxori et se et suis haeredibus, prout continetur, *etc. ut in forma consueta.*

81. Generale Capitulum citat abbatem de Sinaqua coram domino Cistercii ad certam et competentem diem per dominum Cisterciensem sibi assignandam et responsurum promotori causarum ad ea quae sibi obiicientur.

82. Capitulum generale remittit abbati de Malereyo in contemplationem processus quem dirigit in Curia romana contra curatos super materia de novalibus, contributiones suas usque ad immediate sequens triennium.

83. Ad idem pro abbate de Misericordia Dei pro isto anno.

84. Capitulum generale benigne remittit et moderat contributiones abbatis de Rigniaco pro tribus florenis usque ad quinquennium.

85. Ad idem pro abbate de Novo castro, Argentinensis dioecesis, ita ut solvat dimidiam partem suae quottae usque ad quinquennium.

86. Generale Capitulum sufficienter informatum de criminibus et vita detestabili abbatissae modernae monasterii monialium de Laceydia extra muros civitatis Valentiae, ipsam a statu et dignitate abbatiali deponit, ac depositam fore decernit, committendo abbatibus Morimundi et Sanctarum Crucium, s. th. pr., et eorum cuilibet in solidum, quatinus quam cito fieri poterit, dictam depositionem declarent ac novam abbatissam inibi praeficiant et instituant, auctoritate eiusdem Capituli, et in ipsius plenaria potestate, invocato etiam ad praemissa, si sit opus, auxilio brachii saecularis.

87. Tractatum factum inter abbatem et conventum de Roseriis ex una parte, et nobilem virum dominum Ioannem de Poitiers, dominum Darceys et de Vadens, cui nostra praesens diffinitio annectitur, praesens generale Capitulum approbat et ratificat.

88. Generale Capitulum caritative monet et rogat abbates in partibus regni consistentes, quatinus iuxta formam *Cartae caritatis* de bonis sibi collatis et absque sui damno iuvent abbatem et conventum de Mulbruno in relevatione monasterii de Paris, etiam pecunias accommodando cum bona securitate.

89. Ad humilem supplicationem fratris Iacobi Corderi, religiosi professi monasterii de Stamedio, auctoritate praesentis Capituli generalis, monentur omnes et singulae utriusque sexus personae monasterii monialium de Bethono, quatinus omnia et singula bona quae eidem fratri dignoscentur et invenientur pertinere, tam in pecuniis quam rebus aliis quibuscumque, sub poena excommunicationis latae sententiae, eidem fratri reddant et restituant integraliter et complete.

90. Tractatum et pensionem factam fratri Petro Bernardi nuper monasterii de Castellariis abbati, prout in litteris quibus praesentes annectuntur, *etc. ut supra.*

91. Generale Capitulum de consensu domini abbatis Claraevallis annuit, ordinat et statuit, quod monasterium quondam

monialium de Monte Sanctae Walburgis eidem domino Claraevallis immeditae [d] subiectum, redigatur in prioratum monachorum, quodque prior in dicto loco praeficiendus, de cetero tam in receptionibus hospitum quam emissionibus eorumdem, ac benedictione novitiorum et absolutione seu dispensatione sibi subditorum, in omnibus tamquam abbas in eodem monasterio habeatur, et ut ipse prior, qui pro tempore fuerit, in suo praedicto monasterio scollicitior inveniatur, non pro nutu visitatoris, sed tantum pro casibus pro quibus abbates deponi solent, solummodo deponatur. Adiiciens idem Capitulum generale et volens, quod bona quaecumque mobilia seu immobilia, ad monasterium quondam monialium Vallis dominarum, Coloniensis dioecesis, per incendium fortuitum totaliter devastatum pertinentia applicentur eidem prioratui Montis Sanctae Walburgis, perpetuo socientur et incorporentur, in ipsius Capituli ac totius Ordinis plenaria potestate.

92. Placet generali Capitulo quod baccalarius de Fonteneto legat sententias in collegio Sancti Bernardi Parisius, in secundo loco, ubi facultas theologiae in civitate Parisiensi concesserit Ordini plures lectores sententiarum in dicto collegio.

93. Generale Capitulum statuit et ordinat quod abbas de Vallibus Sernaii solvat de cetero scolaribus collegii Sancti Bernardi Parisius decem libras parisienses annui redditus, secundum quod tenetur eisdem, ubi tamen realiter cum effectu pro uno semel tradiderit dictis scolaribus summam pecuniarum alias per quemdam abbatem dicti monasterii de Vallibus Sernaii receptam, prout in litteris super hoc confectus continetur. Et dicti scolares praedictam summam tenebuntur recipere et dictum abbatem ex tunc in antea a tali obligatione 20 scutorum auri, et ab ipso redditu decem librarum pensionis exonerare et quittare.

94. Inhibet generale Capitulum abbati de Cadunio ceterisque sibi in hac parte faventibus seu adhaerere volentibus, ne de cetero domnum Ioannem Bavili, abbatem de Faysia sibi subditum, quocumque colore quaesito, incarceret, arrestet seu arrestari aut incarcerari faciat, aut quibuscumque aliis fatigationibus perturbare seu molestare praesumat.

95. Generale Capitulum appellationem factam per abbatem de Mansiade, patrem abbatem monasterii monialium de Clavatia,

[d] directe : *MP²W*

nostri Ordinis, tamquam a gravaminibus sibi illatis per suum patrem abbatem scilicet Bonarum vallium, declarat et decernit debite et rite fuisse interpositam et emissam, inhibendo praefato abbati de Bonis vallibus sub poena depositionis, quatinus praefatum abbatem de Mansiade in iurisdictione et visitatione facta vel fienda in praefato monasterio de Clavatia non impediat, perturbet aut molestet, quin idem de Mansiade libere velit pater abbas saepedictum monasterium ordinet, visitet et reformet, nisi super hoc habuerit commissionem specialem a Capitulo generali.

96. Pensionem 50 librarum turonensium concessam et ordinatam per abbatem de Begar, s. th. pr., in monasterio de Trisayo pro fratre Nicolao Berreli nuper abbate dicti monasterii de Trisayo, Capitulum generale ratificat, approbat et confirmat.

97. Generale Capitulum dat licentiam sorori Parde moniali monasterii de Monte Sancto, consobrinae comitis de Gonsantavie, professionem faciendi in monasterio de Laceydia, dummodo placuerit suae abbatissae.

98. Arrendamentum factum per syndicum et conventum Fontis frigidi cum Ioanne Purolis iuniore Narbonensi de grangia Montis Lauresii cum pertinentiis suis per sex annos modo et forma in praesenti instrumento contentis, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

99. Tractatum initum aut praeparatum seu commutationem inter solemnem ecclesiam de Aquis... Beatae Mariae, et monasterium monialium de Valle nostrae Dominae, Leodiensis dioecesis, de 52 florenis annui et perpetui redditus eidem monasterio monialium spectanti generale Capitulum committit per omnia et concludendum dominis de Villari et de Alna monasteriorum abbatibus, vultque et praecipit, quatinus denarii provenientes dictorum 52 florenorum in monasterio Villariensi sub duarum clavium firmatura, quarum quilibet praedictorum abbatum unam penes se reservabit, custodiantur, nec inde sub excommunicationis poena extrahantur, donec redditus perpetui ex illis comparandi et emendi inveniantur.

[DIFFINITIONES] GENERALES

100. Capitulum generale dat licentiam omnibus et singulis abbatibus Ordinis cedere volentibus, quod cessionem huiusmodi facere valeant de consilio et consensu patrum abbatum seu Ordi-

nis visitatorum, dehinc ad proximum Capitulum generale ipsius Ordinis.

101. Generale Capitulum praecipit omnibus abbatibus Ordinis universi missuris scolares suos ad studium Parisius, quatinus ipsos deinceps cum debita et sufficienti provisione sic mittere diligenter satagant ne ob defectum huiusmodi provisionis a praedicto studio retrocedere seu resilire compellantur, quodque praedicti abbates scribant et notificent provisori eiusdem collegii summam provisionis pecuniarum aliarumve rerum istis scolaribus transmissam vel transmittendam.

102. Praecipitur abbatibus Ordinis universi sub poena inobedientiae quatinus compellant monachos et conversos suos ad portandum habitus ordinatos secundum antiquam simplicitatem Ordinis, et quoscumque repererint habitibus huiusmodi inordinatis uti, ipsos ad relinquendum viriliter cogant, et compellant in plenaria ipsius Ordinis potestate.

103. Generale Capitulum informatum quod nonnullae Ordinis personae utriusque sexus in dedecus et opprobrium status ecclesiastici, et maxime ipsius Ordinis et periculo animarum suarum, vagando et discurrendo per saeculum apostatando, curias regum et principum sequendo, multa crimina et nefanda committunt, commissiones super hoc factas renovat et confirmat, mandando omnibus abbatibus provisoribusque et cellerariis collegiorum Ordinis, quatinus praedictas Ordinis personas sic apostatantes et per saeculum sine licentia superiorum suorum vagantes et discurrentes capiant, incarcerent et secundum Ordinis statuta puniant sumptibus et expensis monasteriorum quibus sunt professi, invocato ad praemissa, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

1453

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, statuta sunt haec apud Cistercium duodecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1453. *Fontes* L^4 : 1-96 ; *M* : 65, 66, 71, 92, 93, 95, 96 ; P^2 : 1, 30, 45, 46, 59, 60, 63, 65, 66, 69, 71, 74, 79, 83, 92, 93, 94, 95, 96 ; *W* 97.

[a] *Titulus apud* L^4.

ORATIONES

1. Pro beatissimo [b]... *etc. ut in anno* 1449.
2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1449
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem et confirmationem fratris Petri Villageys, monachi et prioris monasterii de Busayo, per dominum Robertum abbatem de Insula Ordinis Cisterciensis, Lucionensis dioecesis, commissarium reverendi patris domini Philippi abbatis Claraevallis, immediati patris abbatis dicti monasterii de Busayo, rite et canonice per viam scrutinii factas et celebratas, prout in decreto, cui praesentes annectuntur, plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

8. Ad idem pro fratre Ioanne Davangon, s. th. bacc. formato per priorem monasterii de Busayo, commissarium domini abbatis dicti monasterii de Busayo, etc., in abbatem de Villanova electo.

9. Ad idem pro fratre Ioanne Peletier per abbatem de Castellariis commissarium reverendi patris domini abbatis Claraevallis in abbatem de Valentia electo.

10. Ad idem pro fratre Ioanne de Serreriis per dominum abbatem Bonaevallis, Viennensis dioecesis, in abbatem monasterii de Mansiada electo, et translato a monasterio Vallis benedictae ad monasterium praedictum de Mansiada.

11. Ad idem pro fratre Ioanne de Serreriis alias Charleti monacho et cellerario Bonarum vallium, Viennensis dioecesis, per dominum abbatem eiusdem monasterii Bonarum vallium in abbatem monasterii de Valle benedicta electo.

---

[b] Sub Nicolao *V etc. ut in anno 1450* : *P*[2].

12. Ad idem de electione fratris Iacobi de Lanis facta per abbatem de Benedictione Dei, commissarium domini abbatis Pontigniaci, ad monasterium de Cadunio, praesens Capitulum auctorisat, confirmat et approbat.

13. Ad idem pro fratre Petro de Sagiaco monacho Francarum [Vallium], Nemausensis dioecesis, per dominum abbatem de Mansiada, patrem abbatem monasterii de Sinaqua, praesens Capitulum generale confirmat et approbat.

14. Ad idem pro fratre Ioanne de Terdingen in abbatem de Alba per abbatem Novi Campi confirmato.

[COMMISSIONES]

15. Generale Capitulum committit abbati Grandissilvae, s. th. pr., et magistro Guillelmo de Fabariis, similiter s. th. pr., ac regenti collegii Sancti Bernardi Tholosae, quatinus capellam sancti Sudarii ac ipsum sanctum Sudarium monasterio de Cadunio pertinens tenere, regere et tueri, donec super hoc aliter per generale Capitulum ordinatum fuerit, habeant in plenaria Ordinis potestate, decernens idem Capitulum in huiusmodi negotio legitimos esse procuratores ipsius Capituli et Ordinis cum potestate substituendi.

16. Committitur abbatibus de Pinu et de Valentia, Pictaviensis dioecesis, quatinus se informent de contractu facto inter abbatem et conventum Bonae vallis eiusdem dioecesis, et Ioannem Moraul et Ioannem eius filium ex parte una, et Petrum Rousselli, Natalem, Ioannem et Guillemum Rouselli filios dicti Petri ex altera, de quibusdam haeritagiis, si sint pro eodem monasterio Bonae vallis utiles et fructuosi, et super hoc habeant informare generale Capitulum citius quam potuerint.

17. Praecipitur per generale Capitulum abbati de Stamedio, Tarentasiensis dioecesis, quatinus infra festum Omnium Sanctorum proxime venturum habeat cum debitis provisionibus ad studium Parisiense unum scolarem, et ibidem teneat sub poena dupli expensarum, committendo abbati Altaecumbae quatinus praesens decretum eidem abbati intimet, ad hoc implendum compellat sub excommunicationis poena, monitione praevia.

18. Ad idem committitur abbati de Alna pro abbate de Valle Sancti Lamberti, sub excommunicationis poena.

19. Ad idem de monasterio Cariloci Lingonensis, committitur abbati de Theoloco.

20. Ad idem de Theoloco praecipitur.

21. Generale Capitulum committit abbati de Reliquiis, s. th. bacc. formato, et fratri Oliverio monacho monasterii de Precibus, s. th. bacc. et collegii Sancti Bernardi Parisius regenti, quatinus omnes abbates et Ordinis personas utriusque sexus, quos et quas in aliquibus pecuniarum summis vel rebus aliis abbati de Villa nova, s. th. bacc. formato, et eius conventui invenerint obligari aut debito modo teneri, per censuras Ordinis et alias iuris et iustitiae vias, ad satisfaciendum eisdem abbati et conventui de Villa nova viriliter et debite, in plenaria Ordinis potestate compellant.

22. Ad idem pro abbate de Caricampo, abbatibus de Longovillari et de Laude.

23. Ad idem committitur pro abbate de Noa, abbatibus de Bono portu et de Mortuo mari contra abbatem de Brolio Benedicti.

24. Ad idem pro cellerario Sancti Bernardi committitur abbatibus de Trisayo et de Busayo, contra abbatem de Moroliis.

25. Committitur per generale Capitulum abbati de Bolbona, quatinus se informet an contractus factus aut faciendus inter abbatem de Grandisilva, s. th. pr., et eius conventum ac partes nominatas in ipso contractu, sive litteris, cui praesentes annectuntur, sit utilis et fructuosus pro dicto monasterio Grandissilvae, et id quod invenerit generali Capitulo intimare citius quam poterit non omittat.

26. Commissionem abbati monasterii Bonaecumbae, Ruthenensis dioecesis, alias a Capitulo generali datam super visitatione, reformatione et correctione monasterii monialium Elnonensis, Vabrensis dioecesis, praesens generale Capitulum usque ad tempus in dicta commissione praefixum confirmat, mandatque sortiri suum effectum, sine praeiudicio patris abbatis de Silvanesio.

27. Committitur fratri Ioanni, s. th. pr., ac collegii sancti Bernardi Tholosae magistro regenti, quatinus se informet, utrum contractus, cui praesentes annectuntur, sit fructuosus et utilis pro monasterio Grandissilvae, et super hoc quam cito poterit Capitulo generali rescribat.

28. Committitur per generale Capitulum abbati de Bonavalle Viennensi, quatinus videat et scrutetur ac quam cito poterit referendo certificet generale Capitulum, an necesse et fructuosum sit quod aliquae terrae infructuosae et steriles monasterii

Vallis crescentis ad censum annuum et in emphiteosim tradantur, in ipsius Ordinis potestate et abbatum de Provincia.

29. Generale Capitulum committit abbati de Bonavalle Viennensi quatinus monasterium de Silvacana recuperare satagat cum iocalibus et bonis mobilibus et immobilibus dicti monasterii, ubicumque detineri scire poterit, quodque tres religiosos de abbatiatu dicti monasterii contendentes, auditis et examinatis iuribus eorum compescat, et illum quem potius ius habere invenerit dicto monasterio praeficiat.

30. Ad audientiam generalis Capituli pervenit quod vacante monasterio de Bella aqua, Claromontensis dioecesis, ibidem de mandato domini episcopi Bersabeensis [c] administratoris monasterii de Montepetroso, cui subiicitur idem monasterium de Bella aqua, contra papalia et Ordinis instituta ad novum abbatem instituendum processum est. Eapropter committitur per idem generale Capitulum abbati monasterii Loci regii, quatinus ad dictum monasterium de Bella aqua quam citius poterit accedens ibidem se informet de modo et forma quibus [d] processum ad dictam electionem, necnon et de sufficientia electi ac de circumstantiis aliis dictae electionis et institutionis, et quia dictus abbas fuerat ad praesens generale Capitulum citatus, in quo non comparuit, nec fidem fecit de decreto suae electionis et institutionis, propterea ipsum Capitulum declarat eum contumacem, mandatque dicto abbati de Loco regio, quatinus eidem promoto intimet quod generale Capitulum reputavit et reputat eum contumacem, nec abbatem eum reputat, cum eidem Capitulo non constiterit de iuribus suis et promotione, et quidquid idem abbas invenerit actum et factum contra Ordinis instituta, domino Cistercii vel Capitulo generali quam cito potuerit mittere non omittat.

31. Generale Capitulum committit abbati de Albis petris, quatinus videat utrum contractus facti inter abbates de Albiniaco et nominatos in contractibus quibus praesentes annectuntur, sint utiles et fructuosi pro eodem monasterio, et referat Capitulo generali quod super hoc invenerit.

32. Ad idem pro abbate de Columna.

33. Generale Capitulum committit abbati Sancti Bernardi de Valentia, quatinus cogat et per censuras Ordinis compellat abbates videlicet de Populeto, de Sanctis Crucibus, de Valle

---

[c] Bethysabesienis : P^2. [d] Quibus... *etc.* : *desunt* P^2.

digna, de Berola, de Petra, de Rota, de Sancta Fide, et de Bonifassello ad mittendum scolares suos ad studium Tholosae cum debitis provisionibus secundum formam Benedictinae et Ordinis ; compellat abbatem de Populeto ad mittendum tres scolares, de Sanctis Crucibus duos, de Valle digna duos, de Berola unum, de Petra unum, de Rota unum, de Sancta Fide unum, et de Benifassello unum, in plenaria ipsius Capituli generalis potestate.

34. Domino Claraevallis committit generale Capitulum facultatem et auctoritatem, in plenaria Ordinis potestate, audiendi et fine debito terminandi causam electionis, provisionis et controversiae super monasterio Fontisfrigidi, existentem inter Ioannem Magdele abbatem monasterii Fossae novae electum in abbatem monasterii Fontisfrigidi praedicti et fratrem Martialem de Rouha gerentem se pro abbate eiusdem monasterii Fontisfrigidi et super statuendis ab eodem parti succumbenti silentium perpetuum imponendi.

35. Generale Capitulum committit abbati de Superato visitationem et reformationem omnium monasteriorum Ordinis utriusque sexus in Galetia existentium, ac receptionem contributionum, cum aliis clausulis opportunis per dominum Cistercii latius explicandis, secum assumpto magistro Iacobo de Balerna, s. th. pr., in plenaria Ordinis potestate.

36. Ad idem committitur abbati de Sacramenia, pro monasteriis Hispaniae.

37. Ad idem committitur abbati de Alcobatia in regno Portugalliae, pro monasteriis et militiis ipsius regni.

38. Abbatibus de Tribus Fontibus et de Longo vado ac cuilibet ipsorum in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis utriusque sexus personas, quas repererint obligatas seu quovis modo teneri abbati et monasterio Claraevallis Lingonensis dioecesis in quibuscumque pecuniarum summis seu rebus aliis ad satisfaciendum eisdem abbati et monasterio Claraevallis per censuras Ordinis viriliter cogant et compellant, in ipsius Ordinis plenaria potestate.

39. Ad idem pro monasterio Altifontis committitur abbatibus Claraevallis et Trium fontium.

40. Generale Capitulum committit abbatibus de Alta crista et de Alta ripa, Lausannensis dioecesis, ad reformandum, visitandum et corrigendum omnes excessus monasterii et personarum

monasterii de Tela, prope Lausanam, eiusdem dioecesis, in ipsius Ordinis plenaria potestate.

41. Capitulum generale committit abbati Altae cristae, quatinus visitet et reformet monasterium monialium Bellae vallis Lausannensis dioecesis, dehinc ad proximum quinquennium.

42. Generale Capitulum committit abbatibus de Bullione et de Monte Sanctae Mariae ut super depositione facta abbatis de Cheseriaco ab abbatiali dignitate per dominum Claraevallis, de persona fratris Antonii Vicedin eiusdem abbatis de Cheseriaco, eumdem fratrem Antonium Vicedin audiant et ulterius se informent de vita et regimine ipsius, si aliquid voluerit dicere se defendendo aut alias, et eo audito in defensionibus suis, citent eum coram domino Cistercii ad comparendum, auditurum, quid super praemissis sententiaverit idem dominus Cistercii, eum absolvendo, aut depositum declarando debere permanere, super quo plena auctoritas eidem domino Cistercii dictum generale Capitulum confert praesentium tenore, omnibus factis et faciendis sumptibus et expensis praefati monasterii de Cheseriaco.

43. Generale Capitulum committit abbati de Bonavalle Viennensi, quatinus se informet de bonis alienatis per abbatem Sinaquae in iocalibus, censibus, servitiis, terris, possessionibus et domibus, et si invenerit esse alienata in damnum dicti monasterii Sinaquae faciat reverti et revocari per quascumque iustitias.

44. Generale Capitulum committit abbati de Porta cœli, Constantiensis dioecesis, quatinus se informet da transmutatione monasterii monialium Hortus Dei, Basileensis dioecesis, utrum debite abbas de Lutzella removerit moniales dicti monasterii et posuerit religiosos, et de consensu fundatorum, et si ita invenerit, ipsam transmutationem auctoritate Capituli generalis confirmet et approbet, et quid actum fuerit sequenti Capitulo remittat.

45. Generale Capitulum informatum de et super variis defectibus et signanter de inobedientia et rebellionibus sororis Odiliae ac sororum suarum monasterii Vallis Sancti Bernardi prope [e] Diest domino Cistercii immediate subiecti ; abbatibus de Villari, de Loco Sancti Bernardi et de Nizella, domini Cistercii commissariis, multipliciter factis, huiusmodi defectus, inobedientias et rebelliones impunitas relinquere non intendens, abbatibus de

[e] prope.... Loco Sancti : *desunt* P^2.

Alna et de Valle Dei, Leodiensis dioecesis, committit quatinus quantocius poterunt, ad ipsum monasterium se transferant praefatasque sorores in primis a sententiis excommunicationis, quas incurrerunt, absolvant, ipsamque Odiliam magis culpabilem, ablato velo de capite, in levi culpa cum pane et aqua ter in hebdomada cum regulari disciplina, reliquas vero sorores suas minus culpabiles in pane et aqua et disciplina singulis feriis quartis et sextis dehinc ad festum beati Andreae ponant, ipsoque termino elapso pro honore monasterii et intuitu parentum ipsarum sororum, et ut de cetero religiosius cum omni humilitate et obedientia vivant ab huiusmodi poenitentiis dictas sorores absolvant ipsasque, si et in quantum indiguerint et opus fuerit, rehabilitent, et ad omnes honores, officia, gradus, voces, actus legitimos et dignitates Ordinis restituant in plenaria Capituli generalis potestate.

46. Generalis[f] Capituli complectitur providentia, ut sinistre informatum per ipsum constituta, diffinita et ordinata, praesertim cum exinde dissensiones et scandala prodire credantur, prout ex debito pastoralis officii tenetur, revocet et in irritum reducat, sicuti rerum, locorum et temporum qualitate digesta pro conservatione religionis ac monasteriorum et locorum religiosorum in eisdem degentium id conspicit consultius expedire. Licet igitur in novissimo Capitulo anno Domini 1452 apud Cistercium in mense septembri celebrato, per sinistram informationem factae fuerint diffinitiones tenores sequentes continentes : Generale Capitulum decernit et declarat sororem Isabellam de Sancto Georgio monialem monasterii de Laceydia ob suorum enormitatem scelerum, suis exigentibus demeritis, ab eodem professionis monasterio sine spe reversionis eliminandam penitus et emittendam. Item, generale Capitulum sufficienter informatum de criminibus et vita detestabili abbatissae modernae monasterii de Laceydia extra muros civitatis Valentiae, ipsam a statu et dignitate abbatiali deponit ac depositam fore decernit committendo abbatibus Morimundi et Sanctarum Crucium, s. th. pr., et eorum cuilibet, quatinus quam cito fieri poterit dictam depositionem declarent, ac novam abbatissam inibi praeficiant et instituant auctoritate eiusdem Capituli, et in ipsius plenaria potestate, invocato etiam ad praemissa, si opus est, auxilio bra-

---

[f] *in forma abbrev. apud* P^2.

chii saecularis. Nihilominus quia postmodum dominus Cistercii, auctoritate generalis Capituli fungens, fide digna plurimorum relatione multiplicibus notabilium personarum rescriptionibus plurimum informatus, quod ex diffinitionibus praedictis, si executioni demandarentur, et suum sortirentur effectum ac illarum praetextu quamplurimae inde dissensiones, rixae et scandala in praefato monasterio de Laceydia, necnon nedum inter personas eiusdem monasterii, sed et inter laicas et saeculares orirentur, commisit venerabilibus Populeti et Sanctarum Crucium abbatibus, quatinus quam citius possent ad ipsum monasterium de Laceydia accederent, seque fideliter et secrete informarent de moribus, vita et regimine spirituali et temporali tam praefatarum monialium quam ipsius abbatissae, et si per debitam informationem ipsas repererint insontes et innocentes de et super defectibus et criminibus ac praefatum generale Capitulum fuisse sinistre informatum, non obstantibus praefatis statutis, ordinationibus et diffinitionibus ipsius Capituli, quas idem dominus Cistercii bene rationabiliter et iuste, ut poterat, praefatis scandalis obviando, quae verisimiliter oriri timebantur, et iam de facto oriebantur, cassavit, revocavit et annullavit, ipsam abbatissam in sua dignitate abbatiali restituerent, et alia in praemisiss facerent et ea tangentibus quae facienda essent et facere deberent secundum Ordinis regularia statuta. Visis igitur praefatis revocationibus, cassationibus et annulationibus praedicarum diffinitionum per dominum Cistercii factis ; visisque commissionibus eiusdem domini Cistercii eisdem abbatibus super praemissis et eorumdem circumstantiis datis ; visisque denique, inspectis studiose et diligenter examinatis omnibus et singulis processibus, informationibus, constitutionibus, ordinationibus, restitutionibus, absolutionibus, provisionibus, sententiis et executionibus per praefatos abbates virtute praedictarum commissionum domini Cistercii quomodolibet factis, generale Capitulum matura deliberatione praevia, ex certa scientia et causa cognita, praefatas diffinitiones superius praenotatas, ac alias quascumque cartas visitationum, provisiones, excommunicationum fulminationes, constitutiones et ordinationes per abbatem Morimundi in ipso monasterio et personis eiusdem absque facultate et auctoritate speciali domini Cistercii aut Capituli generalis quomodolibet factas, revocat, cassat et penitus annullat ac nullius roboris et efficaciae fore declarat, prout et quemadmodum ipse dominus

Cistercii, ut praemissum est, revocavit, cassavit et penitus annullavit, omnesque et singulos processus, informationes, constitutiones, ordinationes, restitutiones, absolutiones, promotiones, sententias et executiones per praefatos abbates Sanctarum Crucium et Populeti factas ratificat, confirmat et approbat tenore praesentis diffinitionis, ac plenarie suos debere sortiri effectus decernit et declarat cum omnibus inde secutis, sororibus Aldoncae Ciffre ac omnibus aliis sibi adhaerentibus quomodolibet super praedicto abbatiatu eiusdem monasterii et dispositione eiusdem, sub poena carceris et eliminatione a monasterio, perpetuum silentium imponit, ipsamque abbatissam ac sibi adhaerentes in expensis rationabilibus per praedictam abbatissam occasione praedictorum factis et per praedictos abbates rationabiliter taxandis condemnat, et ad solvendum et restituendum eidem abbatissae super bonis mobilibus et immobilibus eisdem sorori Aldoncae et eidem adhaerentibus ad vitam quomodolibet deputatis, per censuram et alia iuris et iustitiae remedia per eosdem abbates statuit et ordinat compelli. Venerabilibus Vallis dignae et Sancti Bernardi Valentiae monasteriorum abbatibus tam coniunctim quam divisim firmiter idem Capitulum dans in mandatis, in virtute sanctae obedientiae, quatinus quam citius commode poterunt ad praedictum monasterium accedentes praesentem diffinitionem omnibus et singulis praefati monasterii regularibus personis in capitulo eiusdem monasterii propter hoc specialiter congregandis intiment, denuntient, declarent et publicent, et auctoritate generalis Capituli abbatissam et omnes regulares personas dicti monasterii de Laceydia per censuram Ordinis omnimodam, quotiens opus fuerit, ad observationem omnium et singulorum praemissorum arctent et compellant ac inviolabiliter observari faciant, quacumque contradictione non obstante, invocato ad praemissa exsequenda, si opus fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore. Omnibus autem et singulis dicti monasterii monialibus et regularibus personis idem Capitulum firmiter dat in mandatis, in virtute salutaris obedientiae ac sub poena conspiratricum, quatinus praefatae Castellanae Cathala dicti monasterii abbatissae reverentiam et honorem devotum exhibeant ac eidem tamquam earumdem verae abbatissae et nulli alteri pareant et obediant.

47. Generale Capitulum sufficienter informatum super conspirationibus, contentionibus, divisionibus et pertubationibus

per sorores Aldoncam Ciffre et Brigidam Bon principaliter, ac quasdam alias moniales monasterii de Laceydia extra muros civitatis Valentiae, in ipso monastério ac contra abbatissam eiusdem, in dedecus Ordinis, ipsius monasterii et personarum eiusdem perturbationem et populi scandalum multipliciter ac nimium frequenter perpetratis, venerabilibus Populeti et Sanctarum Crucium abbatibus, tam coniunctim quam divisim, committendo praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae, quatinus pro pace, quiete et tranquillitate ipsius monasterii, dictarum conspirationum minus culpabiles secundum exigentiam culpae et prout viderint expedire puniant et corrigant, praefatas vero Aldoncam Ciffre et Brigidam Bon tamquam actrices et capitales praedictarum conspirationum, contentionum, divisionum et perturbationum, separative et disiunctim ad alia nostri Ordinis monasteria Arragoniae, Valentiae vel Cataloniae cum parte et portione bonorum mobilium et immobilium eisdem ad vitam deputatorum et concessorum auctoritate domini Cistercii et Capituli generalis, quam citius poterunt, etiam si opus fuerit, cum invocatione auxilii quocumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium transmittere et destinare non omittant, ad ipsum monasterium de Laceydia nullatenus dehinc reversuras absque speciali licentia et consensu eiusdem domini Cistercii, dicti monasterii immediati patris abbatis.

48. Generale Capitulum sicut et bonorum religiosorum merita quantum in se est non relinquit irremunerata, sic et dissolutorum excessus, deordinationes graviaque scelera et crimina nullatenus intendens relinquere impunita, venerabilibus Populeti et Sanctarum Crucium monasteriorum abbatibus tam coniunctim quam divisim committendo districte praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae, quatinus diligentius quam poterunt se fideliter et secrete informent de et super omnibus et singulis defectibus, deordinationibus, sceleribus, criminibus et aliis casibus gravibus in articulis huic diffinitioni annexis diffusius expressis et tactis, et si per debitam informationem invenerint fratrem Franciscum Gormer, monachum monasterii Sancti Bernardi, Valentiae dioecesis, in ipsis articulis expressum et nominatum tales et tantos excessus, deordinationes, scelera, crimina et casus commisisse, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, auctoritate domini Cistercii et Capituli generalis indispensabiliter ipsum capiant seu capi faciant, sumpti-

bus et expensis rationabilibus dicti monasterii Sancti Bernardi, ac in aliquo alio nostri Ordinis monasterio partium illarum, cum pane et aqua ter in hebdomada, districtis carceribus mancipent et tradent, nullatenus inde liberandum absque domini Cistercii licentia speciali.

REHABILITATIONES

49. Ad humilem supplicationem abbatis Caroliloci generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Guillelmo de Donnomartino, monacho eiusdem monasterii in ordine sacerdotali constituto, quod non obstante animi levitate et inimico humani generis suadente, per quinque septimanas vel circiter habitu regulari reiecto apostataverit, et ad cor reversus poenitentiam peregit, ad omnes Ordinis gradus, voces, dignitates et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, si ad hanc eum vocari suis exigentibus meritis contigerit, et sui abbatis concurrerit assensus, admitti valeat et assumi.

50. Ad idem pro fratre Phamie de la Ronsière presbytero monacho monasterii de Benedictione Dei, qui ultra licentiam sibi datam vagavit per duos dies et excommunicatus se divinis immiscuit unam missam celebrando.

51. Ad idem pro fratre Nicolao de Sancto Gangulpho, monacho Firmitatis, qui apostatavit fere per tres annos, abbatiali dignitate inclusa.

52. Ad humilem supplicationem abbatis de Bullione generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Roberto de Namurco, monacho dicti monasterii de Bullione, ut non obstante sententia excommunicationis et irregularitatis, quas contraxit sacros ordines in apostasia recipiendo, et in eisdem etiam ministrando, possit et valeat in eisdem ordinibus deinceps officiare et ministrare.

53. Ad humilem supplicationem abbatis de Vallibus Sernaii generale Capitulum benigne dispensat cum fratre Gerardo de Dordanno, monacho suo, qui licet ultra triennium sibi praefixum extra monasterium tribus aut quatuor diebus manserit celebrando, ad omnes, etc.

54. Generale Capitulum benigne et misericorditer dispensat cum fratre Guillelmo Grosseb, monacho monasterii de Rautenhaslach, ut non obstantibus sententiis excommunicationum quas

contraxit sacrum ordinem recipiendo sine licentia sui abbatis, et recepit etiam ipsum ordinem non aetate competenti, possit et valeat suam primam missam celebrare ac de cetero alias missas.

[DIFFINITIONES] SPECIALES.

55. Ad supplicationem religiosi viri Gaufridi de Constantino, s. th. bacc. formati, monachi monasterii de Alneto, generale Capitulum cupiens ad honorem Ordinis et sublevationem expensarum dicti monasterii de Alneto fiendarum pro licentia dicti baccalarii, benigne remittit eidem monasterio contributiones usque ad quinquennium per generale Capitulum imponendas, ad expensas dicti baccalarii in proxima licentia exponendas et convertendas.

56. Generale Capitulum combustioni et desolationi monasterii de Albis petris compatiens, usque ad quinquennium contributiones eiusdem monasterii ad tres florenos monetae Capituli generalis misericorditer relaxat et moderatur.

57. Ad idem pro abbate de Bono radio usque ad quinquennium, pro duobus florenis.

58. Ad idem pro monasterio Sacrae cellae in toto usque ad quinquennium, absolvendo abbatem et officiarios ab omnibus sententiis.

59. Ad audientiam generalis Capituli pervenit quod reverendus pater et nobilis vir dominus Petrus de Combernis, episcopus Ebroicensis et administrator monasterii de Obasina, contra [g] papalia, generalis Capituli et Ordinis instituta, monasteriis eidem monasterio de Obasina subiectis, inquietationes, molestias et gravamina usque modo intulit et inferre minatur ; idcirco committit idem Capitulum abbati Fossae novae, s. th. pr., ac in romana Curia procuratori generali, quatinus praefatum episcopum administratorem praefati monasterii de Obasina moneat, ne contra praefata Ordinis instituta et libertates ac consuetudines ipsius Ordinis, abbates et conventus subditos eidem monasterio de Obasina gravare, quomodolibet molestare aut exactionari praesumat ; quod si secus fecerit, idem procurator contra eum in Curia romana viriliter et exacte procedat,

---

[g] contra... Obasina : *desunt* P^2.

eumdem insuper monendo debite quatinus contributiones eidem monasterio de Obasina per generale Capitulum impositas et imponendas sine dilatione commissariis eiusdem Capituli tradat et solvat, sub poenis in papalibus et ipsius Ordinis statutis contentis ac interdicti ponendi in dicto monasterio, et nihilominus si solvere neglexerit, ut praemissum est, in Curia romana contra eum et eiusdem monasterii officiarios procedere non omittat, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

60. Ad idem pro episcopo Bethsabensi, administratore monasterii de Montepetroso.

61. Generale Capitulum decernit fratrem Nicolaum Berelli qui personaliter, prout apparuit, ad idem fuerat debite citatus, et non comparuit, inobedientem et rebellem, et propter eius contumaciam ipsum esse excommunicatum, cassatque irritat et annullat pensionem quinquaginta libras turonenses alias eidem fratri Nicolao Berelli per idem generale Capitulum assignatam et confirmatam.

62. Generale Capitulum debite informatum quod contractus plurimi in praeiudicium et gravamen monasterii de Mansiada per ultimum abbatem eiusdem monasterii et nonnullas saeculares personas, de pluribus haereditagiis ad dictum monasterium de Mansiada pertinentibus, facti fuerunt, mandat abbati de Bonavalle Viennensi, patri abbati immediato eiusdem monasterii de Mansiada, quatinus omnes huiusmodi contractus casset, infirmet et annullet, in plenaria ipsius Capituli generalis potestate, nisi fuerint per ipsum generale Capitulum confirmati.

63. Causam appellationis emissae per abbatem de Hemmerode contra dominum archiepiscopum Trevirensem super exactione cuiusdam subsidii requisiti auctoritate mandati apostolici, generale Capitulum mandat procuratori generali Ordinis, quod eam in Curia romana prosequatur, expensis dicti monasterii de Hemmerode et aliorum abbatum et abbatissarum illius provinciae, prout in statutis Ordinis continetur.

64. Viso processu et controversia motis et agitatis coram abbate Bonaevallis Viennensis inter nobilem virum Evrardum de Sancto Quintino et Paulam eius filiam ex una parte, et abbatissam Sancti Pauli nostri Cisterciensis Ordinis eiusdem dioecesis, generale Capitulum declarat dictam abbatissam de rigore ad recipiendam dictam in monasterio suo non teneri ; quod si de gratia eamdem Paulam recipere voluerit, eidem permittitur.

65. Generale Capitulum mandat abbati monasterii de Populeto, quatinus abbati Sanctarum Crucium quam cito poterit, intimet et significet quod unionem eidem monasterio Sanctarum Crucium de monasterio monialium Bonae quietis [h] reverendo patri domino abbati Cisterciensi et eius monasterio immediate subdito, idem generale Capitulum cassavit, irritavit et annullavit in plenaria ipsius Ordinis potestate.

66. Annuit Capitulum generale domino abbati de Firmitate, s. th. pr., et eius conventui, quod missa quae dicitur in eodem monasterio pro nobili et potente viro Guillelmo de Serceyo et suis praedecessoribus; pulsetur ter cum certis ictibus a sacerdote volente celebrare dictam missam, vel de eius mandato.

67. Generale Capitulum debite informatum de pluribus criminibus et maxime falsificatione litterarum ac inobedientia et susceptione ordinum sacrorum contra voluntatem proprii abbatis et celebratione missae per fratrem Antonium de Combabassossa, monachum monasterii de Valeta, mandat abbati eiusdem monasterii de Valeta dictum fratrem Antonium incarcerari et iuxta suorum criminum exigentiam puniri, et si invenerit eum fuisse excommunicatum et celebrasse ac irregularitatem ob huiusmodi ordinum susceptionem et celebrationem commisisse, ad dominum Papam illum vel illos remittere, qui eum absolvere de iure habent et debent, invocato ad praemissa quorumcumque auxilio et favore, absolvendo omnes praedicti monasterii personas regulares a sententia vel sententiis excommunicationum quas participando cum dicto fratre Antonio incurrere potuerunt, si et in quantum indigeant.

68. Cum monasterium de Heremo, Caturicensis dioecesis, sit immediate subiectum reverendo in Christo patri domino abbati Cistercii et eius monasterio, et abbas monasterii Loci Dei ibidem auctoritate propria visitaverit et diversa instituerit et ordinaverit, mittendo falcem in messem alienam, generale Capitulum inhibet eidem abbati Loci Dei ne amodo sine auctoritate dicti domini Cistercii talia praesumat, et nihilominus omnia ordinata et instituta per eumdem de Loco Dei idem generale Capitulum cassat, irritat et annullat, mandando abbatissae et conventui dicti monasterii de Heremo non eidem abbati Loci

[h] Benequineti : *M* ; Bonequinet : *P*[2].

Dei vel alicui alteri, nisi de mandato dicti domini Cistercii obediant, seu quomodolibet pareant.

69. Generale Capitulum annuit abbatissae et monialibus monasterii Elnonencae [i], quatinus liceat eis quolibet anno servitium celebrare XII lectionum cum una missa ad honorem beatae Radegundis reginae, nostri Ordinis, quamplurima miracula facientis.

70. Generale Capitulum habet favorabiliter excusatum abbatem de Castro aquilae a via Capituli dehinc ad quinquennium.

71. Conceditur per generale Capitulum abbatissae et conventui monasterii monialium de Casuis [j], quod propter devotionem populi concurrentis ad ipsum monasterium et venerationem sanctarum reliquiarum in eodem monasterio existentium, possit et liceat habere sermonem diebus festis sanctarum Catharinae et Margaritae.

72. Generale Capitulum mandat abbati de Loco regio, quatinus compellat per censuras Ordinis omnes abbates et officiarios monasteriorum sibi per commissiones traditorum, ad contributiones recipiendum ac sibi vice Capituli omnes contributionum quottas et arreragia earum infra 15 dies vel terminum competentem per dictum abbatem ipsis praefigendum, praemissa canonica monitione.

73. Ad instantiam et requisitionem magistri Ioannis Magdale, s. th. pr., ac in Curia romana procuratoris generalis, abbatis Fossae novae, electi in abbatem Fontisfrigidi praesens generale Capitulum citat fratrem Martialem de Rouha se gerentem pro abbate Fontis frigidi ad comparendum coram domino Claraevallis 15[a] die mensis decembris in domo dicti domini Claraevallis apud Divionem ad respondendum ad ea quae sibi proponentur pro parte dicti abbatis Fossae novae, super praefato monasterio Fontis frigidi, cum intimatione quod, eo non comparente amplius non citabitur et procedetur in dicta causa per praefatum dominum Claraevallis commissarium dicti Capituli generalis usque ad sententiam diffinitivam inclusive, eius contumacia non obstante ; hanc diffinitionem sibi praesentari mandat praesens generale Capitulum per magistrum regentem Sancti Bernardi Tolosae coram notariis et testibus aut quod alias legitime intimet.

---

[i] Anonete *P*[2]. [j] Casin : *MP*[2],

74. Abbati de Borbona praecipit Capitulum generale ut infra proximum festum Nativitatis Domini mittat domino Cistercii, ad expensas Capituli generalis, transcripta institutionis omnium scolarium in collegio Parisius, tenendorum a diversis abbatibus Ordinis quos instituit reverendissimus dominus cardinalis Albus vulgariter nuncupatus.

75. Generale Capitulum monet et praecipit abbatibus de Gardo et de Bullencuria, ut ipsi satisfaciant domino abbati et monasterio Cistercii illud quod possunt debere dicto abbati et monasterio Cistercii infra triginta dies post intimationem praesentis diffinitionis, et nisi fecerint termino elapso sententiam excommunicationis se noverint incurrisse.

76. Generale Capitulum mandat et praecipit abbati de Mansiada, immediato patri abbati monasterii monialium Bellaecumbae, Aniciensis dioecesis, quatinus inhibeat sorori Margaritae de Sancto Proiecto, ne de cetero se nominet aut nominari faciat abbatissam dicti monasterii Bellaecumbae cum a dignitate abbatiali dicti monasterii, suis exigentibus demeritis, fuerit et sit deposita, quodque diligenter vadat ad ecclesiam et sequatur horas canonicas, prout tenetur et faciunt ceterae moniales eiusdem monasterii, inhibet etiam dictis monialibus dicti monasterii ne eam tamquam abbatissam venerentur aut habeant, faciatque et cogat idem pater abbas eamdem Margaritam cum ceteris dicti monasterii monialibus tenere et observare ordinationes per dominum Cisterciensem et eius commissarios factas, et abbatissae modernae noviter institutae in omnibus obedire ; quod si rebellis et adimplere praedicta contempserit, emittatur a dicto monasterio, aut per incarcerationem, aut alias per dictum patrem abbatem puniatur.

77. Abbati Populeti praecipitur per generale Capitulum sub poenis in statutis contentis, quatinus infra triginta dies ab intimatione praesentis diffinitionis mittat tres scolares sufficientes ad collegium Sancti Bernardi Tolosae, non obstantibus quibuscumque privilegiis, per praedecessores suos et per ipsum alias quomodocumque impetratis.

78. Ad idem praecipitur abbati Sanctarum Crucium quod teneat duos scolares, ad idem abbati Vallis dignae duos, ad idem abbati de Berola unum, ad idem abbati de Petra unum, ad idem abbati de Rota unum, ad idem abbati de Sancta Fide unum, ad idem abbati de Bonifassano unum.

79. Abusus bachalaureorum formatorum collegii Sancti Bernardi Parisius dicentium et asserentium, se habere eamdem potestatem in foro conscientiae super scolares dicti collegii, quam habet provisor eiusdem collegii, quodque provisor ipse non potest nec valet corripere aliquem scolarem absque consensu eorumdem bachalaureorum et consilii, dicentium se esse superiores dicti provisoris in correctionibus dictorum scolarium abusive appellantium a correctione provisoris ad ipsos bachalaureos et consilium, omnes huiusmodi abusus, tamquam contrarios statutis et Benedictinae, de cetero Capitulum generale prohibet observari sub poena perpetuae emissionis a collegio.

80. Praesens generale Capitulum mandat abbati de Bouxedo, quatinus sororem Ioannam de Mendoxa, monialem monasterii Sanctae Mariae Regalis extra muros Burgis, reducat ad dictum monasterium et reponat, salva Ordinis disciplina, si aliud canonicum non obstet, abbatissam dicti monasterii, et conventum, si eam recipere recusaverint, si opus fuerit, per censuram Ordinis compescendo.

81. Generale Capitulum monet et praecipit sub poena excommunicationis et depositionis abbati de Gratia Dei in Pictavia, quatinus provideat suo scolari, in collegio Sancti Bernardi Parisius destinato et existenti, de omnibus expensis necessariis, ut moris est, quem scolarem usque ad gradum doctoratus retinet ipsum Capitulum et mandat retineri sub praefata poena excommunicationis, quam in eumdem abbatem de Gratia Dei fert praefatum Capitulum quoties ipsum scolarem revocaverit.

82. Generale Capitulum interno compassionis oculo respiciens amplissima damna quae, proh dolor ! monasterium de Bodelo nuperrime sustinuit, a solutione quottae contributionum per sequens immediate triennium abbatem et conventum dicti monasterii de Bodelo benigne supportando quittat et absolvit ; et quia dictum monasterium nonnulla combusta molendina cum pluribus officinis et variis grangiis habet necessario reparare, concedit et annuit dictum generale Capitulum dictis abbati et conventui ut cum ordinatione et deliberatione patris abbatis de Cambrone vendant unam mensuram siliginis, de patrimonio dicti abbatis de Bodelo provenientem, cum una portione terrae dudum acquisitae per fratrem Livinum Elbel, cuius annuus redditus circiter valet novem francos. Cumque dictum monasterium grandi numero religiosorum sit oneratum, concedit eidem

abbati ut iuxta dispositionem dicti patris abbatis et sui, nonnulli de religiosis ad aliqua regulata nostri Ordinis monasteria spatio triennii dimittantur, praecipiendo districte et sub inobedientiae poena singulis dicti monasterii regularibus personis, quatinus dictis de Cambrone et de Bodelo abbatibus cum omni reverentia et humilitate quemadmodum ex voto tenentur obediant et pareant.

83. Praesens generale Capitulum praecipit omnibus abbatibus in collegio Sancti Bernardi Parisius studentibus, ut si adduxerunt vel tenuerunt aliquos religiosos secum, quod habeantur ut scolares, ita quod subiiciantur omnibus quibus subiici consueverunt ceteri scolares, qui primitus venerint Parisius, vel alias nullo modo teneant, nisi aliter dominus Cistercii dispensaverit.

84. Generale Capitulum concedit abbati et conventui monasterii Longivadi ut accipere possint eleemosinam eidem monasterio factam per probum virum Ogerium Bilon Latriceyo de una grangia cum managio in eodem Latriceyo existente, et propter devotionem illam et eleemosinam generale Capitulum consentit, quod ad devotionem dicti burgensis duae missae omni anno in eodem monasterio Longivadi celebrentur.

85. Generale Capitulum contumacem reputans abbatem de Loco Dei, Ambianensis dioecesis, qui anno praeterito ad ipsum generale Capitulum de patre abbate suo appellans ad dictum Capitulum venire contempsit, mandans abbati de Caricampo, ut eumdem abbatem de Loco Dei apprehendat carceribus strictis detrudendum, et processu visitato per praedictum patrem abbatem suum de Fulcardimonte agitato, si causam depositionis una cum rebellione praedicta et aliis inde secutis in eo cognoverit, forma debita procedendi observata, eumdem a sua administratione destituat, et de novo provideat pastore, canonica moderatione, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

86. Abbatem de Gratia Dei canonice monitum ad satisfaciendum monasterio Claraevallis, generale Capitulum iterato monet et praecipit, quatinus infra festum Omnium Sanctorum eidem monasterio satisfaciat, alias sententiam excommunicationis se noverit incurrisse, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

87. Generale Capitulum contumaces reputat et declarat omnes et singulas moniales quae de provisione abbatissae suae, sororis Margaritae Utenhoven, appellaverunt ad ipsum generale Capitulum et minime comparuerunt.

88. Generale Capitulum indiscretionem abbatis monasterii Populeti reformare volens, visa et considerata licentia per ipsum abbatem religioso suo fratri Andreae Pascari hinc et inde ad quinquennium evagandi, in periculum animae suae nimis indiscrete ac contra formam et honestatem Ordinis data, absque rationabili causa ac ipso etiam fratre renuente accipere, tenore praesentis diffinitionis cassat et annullat, mandans et praecipiens idem Capitulum in virtute salutaris obedientiae, quatinus ipsum fratrem Andream Pascari cum ceteris religiosis suis conservet et teneat, nisi adeo graves commiserit casus, ratione quorum ea ordinatione domini Cistercii vel Capituli generalis alias ordinata a monasterio esset licentiandus.

89. Cum fratres Raymundus Boscheti monachus monasterii Bonaecumbae, Ruthenensis dioecesis, Laurentius Basche monachus Bonaevallis eiusdem dioecesis, Ioannes Garrigas monachus eiusdem monasterii Bonaecumbae, per procuratorem suum, abbate Bonaecumbae permittente, et de rato pro dicto Ioanne Garrigas monacho suo, contendentes de abbatiatu monasterii de Candelio renuntiaverint iuribus suis penitus simpliciter et absolute non coacti sed voluntarie in omnibus et per omnia, promiserintque cum solemni iuramento firmum, ratum et gratum perpetuo habere et firmiter tenere quidquid factum et ordinatum fuerit per idem Capitulum, per se vel per alium directe vel indirecte, palam et occulte venire, renuntiantes ea nunc omnibus impetratis pro parte eorum a quibusvis personis, renuntiantes etiam pro futuris temporibus omnibus oppositionibus et appellationibus quibuscumque factis vel fiendis coram quocumque iudice ecclesiastico vel saeculari, et se determinationi et ordinationi Capituli generalis submiserint sub iuramento, hinc est quod idem generale Capitulum cassat et annullat omnes et singulos processus factos occasione huiusmodi contentionis, declaratque dictum monasterium vacare ; et ne propter diuturnam vacationem idem monasterium incommoda patiatur, idem generale Capitulum debite informatum de virtutibus, scientia, moribus, idoneitate et experientia in utroque regimine fratris Raymundi Bocheti ipsum in abbatem monasterii de Candelio instituit et praeficit, mandans omnibus dicti monasterii de Candelio regularibus personis, quatinus eidem Raymundo tamquam eorum vero abbati professionem, obedientiam et reverentiam debitas faciant et exhibeant, et in suum verum abbatem et pasto-

rem recipiant, recompensationem expensarum factarum per contendentes secundum monasterii facultatem committit praesens generale Capitulum domino Claraevallis, s. th. pr.

[DIFFINITIONES] GENERALES

90. Generale Capitulum omnes et singulos abbates qui, legitima cessante excusatione, ad Capitulum praesens minime comparuerunt, nec suas excusationes miserunt, ad solvendum in proximo generali Capitulo expensas quas fecissent veniendo condemnat, et ad solvendum per censuram Ordinis vult compelli.

91. Generale Capitulum omnibus et singulis abbatibus qui de consilio et assensu patrum abbatum resignare voluerint, dehinc ad proximum generale Capitulum, plenariam dat lientiam resignandi.

92. Ad notitiam generalis Capituli deductum est, quod nonnulli Ordinis abbates et personae, magis spe et praetextu turpis lucri, reliquias sanctorum deferunt et deferri faciunt, quam causa venerationis et devotionis, propter quod plurima scandala oriuntur et oriri possent, nisi citius ocurreretur ; eapropter honestati et saluti monasteriorum et personarum ipsius Ordinis providere cupiens, idem generale Capitulum districte inhibendo mandat et praecipit omnibus abbatibus, abbatissis et personis Ordinis, ne de cetero sine ipsius generalis Capituli licentia qualescumque reliquias per saeculum portare praesumant.

93. Cum inter cetera privilegia Ordini nostro Cisterciensi indulta, sit eidem Ordini concessum et indultum ne aliqua persona ad dignitatem abbatialem in ipso Ordine promoveatur, nisi per annum in ipso Ordine professus extiterit, generale Capitulum attendens et experimento cognoscens, quod ob negligentiam huiusmodi indultum custodiendi plurima et damnabilia secuta sint, et nisi obviaretur sequi possent incommoda, statuit, mandat et inhibendo prohihet, ne a cetero aliqui ipsius Ordinis conventus aliquem, qui non fuerit de Ordine nostro professus per annum, in abbatem eligere aut postulare praesumant, et si secus fecerint, electio et postulatio sic factae contra praedictum indultum et ipsius generalis Capituli institutum, irritae sint et inanes, monachique sic eligentes vel postulantes ipso facto ad eligendum active et passive sint inhabiles, et monasterii vacantis provisio ad patrem abbatem ipso facto sit devoluta.

94. Generale Capitulum notificat universis, quod monasterium de Columna est immediate subiectum abbati et monasterio de Prulliaco, quodque si contingeret dictum abbatem de Columna placitare coram dicto de Prulliaco et causa ibi terminari non posset aut appellaretur a dicto patre abbate de Prulliaco, causa debet devolvi ad reverendum in Christo patrem dominum Cisterciensem, et de appellatione dicta cognoscere reverendus dominus Cistercii, cui immediate dictus abbas de Prulliaco et eius monasterium subiicitur.

95. Praecipit et mandat generale Capitulum omnibus abbatibus et personis regularibus Ordinis universi, quatinus a cetero coronas portent latitudine unius boni pollicis dumtaxat, et ne tunicas legerius [k] fissas habeant aut camisiis lineis uti praesumant.

96. Quia ad audientiam generalis Capituli deductum, quod nonnullae personae nobiles et aliae diversorum statuum, privilegia et consuetudines nostri Cisterciensis Ordinis per Summos Pontifices et concilia generalia, ac alios ad quos de iure spectat, confirmatas [impugnant] : asserendo allegatur, et in placitationibus in enervationem iurium ipsius Ordinis proponitur, quod donati Ordinis seu oblati tenentur habitum mutare, quodque continenter debent vivere, nec matrimonialiter coniuncti censentur exempti a saecularibus exactionibus, nec debent ipsius Ordinis privilegiis, libertatibus, et gratiis gaudere ; eapropter generale Capitulum ipsius Cisterciensis [l] Ordinis in monasterio Cisterciensi, quod est caput et initium ipsius Ordinis, necnon in maioribus et in aliis dicti Ordinis monasteriis et locis, donati seu oblati ipsius Ordinis nostri postquam dederunt se et sua Deo et monasteriis nostris ipso facto habemus eos tamquam fratres, possumus, consuevimus et licet nobis eisdem donatis seu oblatis sacramenta ministrare, ac nostris privilegiis et libertatibus a Summis Pontificibus, conciliis generalibus, regibus et principibus ac dominis aliis, nobis et nostro Ordini concessis facere gaudere, et nos per ipsos donatos nostros nostras operas et agenda nostra usque ad praesens exercuimus et fecimus sine contradictione, pacifice et quiete, declaramus etiam quod matri-

---

[k] legerius : *deest MP*[2]. [l] *hic incip. MP*[2]: Notum sit universis quod a longissimo tempore et fundatione ordinis nostri Cisterciensis in monasterio... *etc.*

monialiter in domibus et locis nostris a tempore praeterito [m] et usque nunc consueverunt vivere habitumque saecularem non mutantes, nec mirandum est cum vota religionis non emiserint.

97. Capitulum generale dat fratribus domus Misericordiae Dei prope Frankenford, Ordinis Carthusiensis, participationem omnium bonorum spiritualium per universum Ordinem.

1454

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, statuta sunt haec apud Cistercium, duodecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis generali Capitulo.

ORATIONES

1. Pro beatissimo [b]... *etc. ut in anno* 1449.
2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1449.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1449, *sed contributionis quottam pro paesenti anno omisit transcriptor.*

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem, confirmationem et installationem per reverendum in Christo patrem dominum abbatem de Claravalle, s. th. pr., et immediatum patrem abbatem monasterii de Pratea, de persona fratris Odeti Gaudin factas, ad dignita-

---

[m] praedicto ; *MP*².

1454. *Fontes : L*⁴ *:* 1-101 ; *M* : 29, 35, 39, 83, 94, 99 (*abbrev.*), 100 (*abbrev.*) ; *P*² : 1, 29, 35, 39, 51, 69, 75, 83, 94, 96, 98 (*abbrev.*), 99 (*abbrev.*), 100 (*abbrev.*), 101 (*abbrev.*) ; *W* : 35, 99 (*abbrev.*)

[a] *Titulus apud L*⁴. [b] Sub Nicolas *V... etc. ut in anno 1450 : P*².

tem abbatialem dicti monasterii de Pratea promotum, prout in litteris quibus nostrae praesentes annectuntur plenius continetur, praesens generale Capitulum laudat, ratificat, confirmat et approbat.

8. Ad idem pro fratre Guillelmo Lenfant, promoto per abbatem Vallis Beatae Mariae seu Nostrae Dominae, Parisiensis dioecesis, patrem abbatem ad monasterium de Bono portu.

9. Ad idem pro fratre Arnaldo Guillelmo de Faurariis, s. th. pr., promoto ad monasterium de Gimundo per abbatem monasterii Bardonarum, patrem abbatem dicti monasterii de Gimundo.

10. Item, pro fratre Edmundo de Vermissia, ad monasterium Fontis Ioannis promoto per dominum abbatem Pontigniaci, patrem abbatem dicti monasterii Fontis Ioannis.

11. Item, pro fratre Ioanne de Philomena, ad monasterium de Aureavalle promoto per abbatem Trium fontium, patrem abbatem dicti monasterii de Aureavalle.

12. Ad idem pro fratre Nicolao Vigern, ad monasterium de Pinu promoto per abbatem de Gratia Dei, Xantonensis dioecesis, commissarium domini abbatis Pontigniaci, immediati patris abbatis dicti monasterii de Pinu.

13. Item, pro fratre Guillelmo de Brassato, promoto ad monasterium de Gondonio per magistrum Iacobum de Lanis, decretorum doctorem, abbatem monasterii de Cadunio, patrem abbatem dicti monasterii de Gondonio.

14. Item, pro fratre Petro Stos, promoto ad monasterium de Horto Dei, vulgariter Olsperg, per abbaten de Lutzella, patrem abbatem dicti monasterii de Horto Dei.

15. Ad idem pro magistro Oliverio Blanchart, promoto ad monasterium de Precibus per abbatem monasterii de Busayo, patrem abbatem dicti monasterii de Precibus.

16. Ad idem pro fratre Ioanne Hille, promoto ad monasterium de Boclon per dominum abbatem de Wardona, generalis Capituli reformatorem in Anglia.

17. Item, pro fratre Aegidio de Roya, s. th. pr., promoto et instituto ad monasterium de Regalimonte per abbatem Prulliaci, commissarium reverendi in Christo patris domini Cistercii, patris abbatis dicti monasterii Regalismontis.

18. Item, pro fratre Petro de Campis, promoto et instituto ad dignitatem abbatialem monasterii Vallisbonae, Elnensis dioecesis, per dominum nostrum Summum Pontificem, prout

constare poterit per litteras seu bullas dicti domini nostri Summi Pontificis, si et in quantum indiget idem frater Petrus, praesens generale Capitulum laudat dictam promotionem et institutionem.

COMMISSIONES

19. Generale Capitulum committit abbati Bolbonae, quatinus se informet an contractus factus aut faciendus inter abbatem monasterii Grandissilvae, s. th. pr., et eius conventum ex una parte, et nominatos in eodem contractu sive litteris, quibus praesentes annectuntur, sit vel erit utilis et fructuosus pro dicto monasterio Grandissilvae ; qui de Bolbona, si legitime praepeditus fuerit, committat abbati de Fonte frigido vel alteri sufficienti et idoneo Ordinis abbati huiusmodi vices suas, et id quod ipse vel committendus per eum invenerit faciendum, citius quam commode fieri poterit, dominum Cisterciensem aut Capitulum generale ad plenum informare non omittat.

20. Committitur per generale Capitulum domino abbati Claraevallis, s. th. pr., quatinus videat et se informet an plures peciae terrarum sparsim in multis locis remotis a monasterio de Alna et eidem monasterio pertinentes sint eodem monasterio utiles et infructuosae vel quasi, et si ita invenerint idem dominus Claraevallis det abbati et conventui licentiam huiusmodi terrarum pecias commutandi aut permutandi, vel ad censum perpetuum tradendi pro monasterii utilitate, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

21. Pro priorissa Vallis Mariae, Gerondensis dioecesis, abbati de Vallebona, Elnensis dioecesis, sicut iam commissum extitit per abbatem monasterii Loci regii, commissarium domini Cistercii, generalis Capituli plenaria potestate fungentis, de quibusdam terris et possessionibus.

22. De Prulliaco et de Tribus fontibus, de Longovado et de Igniaco monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus omnes et singulas Ordinis personas quas domino ac monasterio Claraevallensi invenerint seu alter eorum invenerit obligatas seu legitime teneri, ad satisfaciendum eisdem domino et monasterio compellant et quilibet eorum compellat, in plenaria Ordinis potestate.

23. Ad idem pro domino abbate Regalismontis, abbatibus

de Prulliaco, de Caroliloco, de Vallibus Sernaii ac provisori collegii Sancti Bernardi Parisius.

24. Committitur abbatibus monasteriorum de Villari et de Alna in Brabantia, quatinus per se vel per alium aut alios Ordinis abbates de quibus sibi expedire videbitur, quam citius commode poterit vel poterint, ad monasterium Vallis Sancti Lamberti personaliter accedentes dictum monasterium visitent et reforment in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, et auditis querimoniis fratris Guillelmi Morge in sacra pagina licentiati et ceterorum religiosorum extra monasterium commorantium, faciant eisdem religiosis iustitiae complementum, invocato ad praemissa quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore.

25. Ad idem pro abbate monasterii de Crista, domino de Morimundo, s. th. pr., et de Longovado, de Albaripa, de Escureyo et de Dulci valle monasteriorum abbatibus.

26. Ad idem pro abbate de Rigniaco, domino Pontigniaci et de Fonte Ioannis monasteriorum abbatibus.

27. Ad idem pro abbate monasterii Fontis Ioannis, domino abbati Pontigniaci.

28. Committitur fratri Martino Cortoys, maiori capellano serenissimi domini regis Arragoniae, quatinus fratrem Ferrandel quondam abbatem de Poncio, suis exigentibus demeritis per dominum nostrum Summum Pontificem depositum, capiat seu capi faciat et incarcerari ac puniri secundum sua demerita per personas Ordinis. Quodque moneat canonice fratrem Petrum Ferrarii, quondam abbatem monasterii Fontisfrigidi, quatinus ad aliquod ipsius Ordinis monasterium se transferat et ibi religiose vivat, alias triginta diebus transactis post huiusmodi monitionem, eumdem fratrem Petrum Ferrarii capiat seu capi et incarcerari faciat et puniri in plenaria generalis Capituli potestate.

29. Attendens generale Capitulum gravia onera his diebus malis Ordini incumbentia, ipsiusque privilegia et libertates in cunctis fere mundi partibus impugnari, consideransque monasteria Ordinis in regno Franciae constituta, per guerras et alia ad tantam inopiam devenisse, ut ex se non valeant tanta onera supportare, neque privilegia et libertates huiusmodi sufficienter defendere ; monasteria vero regnorum Angliae, Scotiae et Hiber-

niae, quamvis [c] sint opulenta, nullam tamen subventionem Ordini facere, statuit, ordinat et diffinit quod omnes contributionum quottae per monasteria praedicta regnorum Angliae, Scotiae et Hiberniae Ordini debitae, in solutionem stipendiorum reverendissimi in Christo patris et domini domini Philippi, tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, Bononiensi episcopo vulgariter nuncupato, nostri Ordinis protectoris benevoli, ad defensionem huiusmodi privilegiorum et libertatum in Curia romana committantur [d], generali procuratori dicti Ordinis committendo, quatinus per se vel alium seu alios ad hoc deputandum vel deputandos huiusmodi contributionum quottas recipiat, vel recipi procuret et compellat seu compelli faciat, per censuram ecclesiasticam, vias, modos et media necessaria et opportuna.

30. Abbati de Populeto committit praesens generale Capitulum, quatinus si tractatum factum de pensione octodecim librarum sex solidorum et octo denariorum sorori Ysabellae de Sancto Georgio, monasterii de Laceydia moniali expresse professae, iustum invenerit et licitum, ratificet, corroboret et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

31. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis in regno Angliae cuiuscumque provinciae existant consistentium, abbatibus de Ioravalle et de Wardona coniunctim praesens generale Capitulum per immediate sequens triennium committit, cum clausulis per dominum Cistercii declarandis.

32. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis in tota natione germanica consistentium, domino Morimundi usque ad generale Capitulum proxime futurum praesens generale Capitulum committit, in plenaria Ordinis potestate.

33. Abbati monasterii de Populeto committit generale Capitulum, quatinus super contentis in supplicatione, cui praesens diffinitio annectitur, diligenter se informet, et quod super his secundum Ordinis statuta iudicaverit faciendum, exerceat in plenaria Ordinis potestate.

34. Abbati monasterii de Bullione committit generale Capitulum, quatinus per censuram Ordinis compellat abbatem et conventum monasterii de Balerna, s. th. pr., ad satisfaciendum

---

[c] quæ sunt ; *M*. [d] comitante : *MP*².

Philippo de Forcipibus apothecario et mercatori Salinensi, de summa 14 florenorum et 20 grossorum in qua idem abbas eidem mercatori, prout ipse mercator asserit, tenetur et obligatur, nisi praefatus abbas de Balerna causam allegare voluerit propter quam id minime fieri debeat, ad quam discutiendam et fine debito terminandam eidem de Bullione committitur, in plenaria Ordinis potestate.

35. Per generale Capitulum abbati de Salem, patri abbati monasterii monialium de Hegbach, committitur quatinus secundum quantitatem proventuum et emolumentorum ipsius monasterii de Hegbach taxet numerum personarum, ultra quem nulla persona in eodem recipiatur, in sua ac totius Ordinis potestate, cui abbatissae licentiam concedat carnes ministrandi saecularibus et [e] ballivis eiusdem monasterii, prout viderit expedire.

36. Abbati monasterii de Mansiada, patri abbati de Sinaqua, per generale Capitulum committitur quatinus, in plenaria Ordinis potestate, fratrem Ginrandum de Veraco bonorum eiusdem monasterii de Sinaqua detentorem, sub censuris Ordinis et per omnia iuris et iustitiae remedia compellat, ipsumque si necesse sit, incarceret quousque plenam fecerit huiusmodi bonorum satisfactionem, invocato ad praemissa, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore; ubi autem ipse de Mansiada vacare non poterit, vices suas alteri committat.

37. Abbati monasterii de Campo per generale Capitulum committitur, quatinus abbatissam monasterii monialium de Gevelsbergh, Coloniensis dioecesis, sub censuris Ordinis debite compellat ad satisfaciendum fratri Ioanni Lupi, monasterii de Novali Sanctae Mariae professo, dictique monasterii de Gevelsbergh quondam confessori, de stipendiis ratione officii confessoratus per eamdem abbatissam eidem fratri Ioanni Lupi, prout asserit, debitis.

38. Praesens generale Capitulum per litteras, instrumenta publica, et alia legitima documenta sufficienter informatum super inobedientiis, rebellionibus et contradictionibus abbatis monasterii de Valle Sancti Lamberti, fratres Guillemum Morge, in sacra pagina licentiatum, et Iacobum de Blarey eiusdem monasterii de Valle Sancti Lamberti professos, recipere nolentis,

[e] et ballivis... : *deest MP²W*.

ipsosque tamquam oves errantes per diversa loca, prout possunt, oporteat evagari in Ordinis dedecus et opprobrium, necnon in ipsorum fratrum grande praeiudicium et iacturam, talibus inconvenientiis et opprobriis, prout tenetur volens ipsum Capitulum generale salubriter obviare, de Villari et de Alna monasteriorum abbatibus in virtute salutaris obedientiae districte praecipit et mandat, quatinus ad praedictum monasterium Vallis Sancti Lamberti quantocius poterunt personaliter accedentes in eodem monasterio visitent et reforment in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, quaecumque invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa quorumcumque dominorum et iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore, ipsumque abbatem Vallis Sancti Lamberti omni dissimulatione postposita ex abundanti exhortentur et moneant ex parte Capituli generalis, ut diffinitioni Capituli generalis anno Domini M.CCCCLI ratione praemissorum editae obediat, ipsamque quoad praedictorum fratrum Guillelmi Morge licentiati et Iacobi de Blarey receptionem ad professionem et provisionem condecentem debito cum effectu adimpleat, quod nisi, quod absit, ausu temerario compleverit, attento quod de huiusmodi diffinitione adimplenda tam pro parte dicti Capituli generalis quam alias pluries monitus et requisitus extitit, auctoritate memorati Capituli generalis excommunicent, excommunicatumque palam et publice denuntient, denuntiatumque in valvis ecclesiasticis aggravent et reaggravent, et tamdiu teneant quousque dictos fratres Guillelmum et Iacobum ad professionem suam ordinariam receperit, ipsumque citent personaliter et peremptorie ad proximum generale Capitulum, contra ipsum prout iuris et rationis fuerit procedi visurum cum protestationibus opportunis, de omnibus quae fecerint in premissis praedictum generale Capitulum proxime futurum debite informent.

39. Abbati de Valentia, Pictaviensis dioecesis, committit generale Capitulum visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum in dioecesi Burdigalensi consistentium, quae nuper sub obedientia tenebantur Anglorum, et in quorum nonnullis quidam Mendicantes subreptitie et clandestine dicuntur, in ipsius Ordinis grande praeiudicium, in abbates et praesidentes installati et promoti, mandans et praecipiens eidem abbati, quatinus omnibus viis et modis et iuris et iustitiae reme-

diis eosdem Mendicantes a dictis locis expellat et secludat, et cum expensis gratiosis locorum, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

40. Generale Capitulum plurimorum querimoniis informatum quod monasterium de Boudelot, quod solemne nuper inter cetera Ordinis monasteria ferebatur, per incuriam abbatis totaliter tendit ad collapsum, disperguntur que et vagantur per mundum monachi, pastoris sollicitudinis neglectu, de Claravalle et de Cambrone monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum altero legitime occupato, visitationem, reformationem et huiusmodi religiosorum convenientem provisionem, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate committendo.

41. Domino Pontigniaci per generale Capitulum praecipitur, quatinus assumptis secum abbate de Rigniaco ad monasterium de Bonoradio personaliter accedens, diligenter se informet de vita, moribus et regimine spirituali et temporali abbatis eiusdem monasterii, quem si culpabilem invenerit a dignitate abbatiali deponat, aliumque secundum formam Ordinis instituat in plenaria Ordinis potestate.

42. Abbati de Heisterbach generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae praecipit et mandat, quatinus Ioannem de Sancto Vito monasterii de Heymerod quondam abbatem, per ablationem suae pensionis et sub excommunicationis latae sententiae poena compellat ad reddendum et restituendum eidem monasterio de Heymerod omnes et singulos libros quos ipse a dicto monasterio abstulit, necnon ad regulariter et religiose vivendum, in plenaria Ordinis potestate.

43. Abbatem monasterii de Eberbaco per dominum Morimundi ad Capitulum generale novissime lapsum peremptorie pro suis contributionibus solvendis et aliis rationabilibus de causis citatum et minime comparentem, nec se aliquo modo postea excusantem, praesens Capitulum generale reputat et iudicat contumacem in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quam fert in his scriptis, si, quod absit, praedicti Capituli non obedierit mandatis, eidem abbati et suis officiariis iniungens, quatinus infra a 60 dies a notificatione praesentium computandos, domino Cisterciensi mittant et solvant omnia et singula arreragia ratione contributionum suarum Ordini debita ; alioquin praedictis 60 diebus elapsis, sit ei ingressus ecclesiae interdictus usque ad satisfactionem condignam ; quod

quidem generalis Capituli mandatum frater Arnoldus in Heysterbac professus s. th. pr., eidem de Eberbaco praesentet, et dominum Cisterciensem certificet de his quae fecerit in praemissis, et ad satisfaciendum ei de expensis quas fecerit occasione executionis praemissorum compellat, in plenaria Ordinis potestate.

44. Abbati de Salem per generale Capitulum committitur, quatinus excommunicationis sententias per ipsum auctoritate Capituli generalis contra moniales sibi subditas, eadem praedicti auctoritate Capituli casset, revocet et annullet, et in alias poenas temporales sive corporales commutet prout viderit expedire.

45. Generale Capitulum abbati monasterii Populeti committendo praecipit et mandat, quatinus secum assumpto alio nostri Ordinis abbate videant partes expensarum factarum in processu habito contra sororem Aldoncam Ciffre monasterii de Laceydia, super abbatiatu eiusdem monasterii iniuste et indebite contendentem et sibi adhaerentes, ipsasque expensas bene videant et fideliter examinent, seque super eis diligenter informent, ipsasque vigore citationis iam factae et contumaciae unde secutae, ea vi diffinitionis in Capitulo generali novissime editae fideliter et rationabiliter taxent ac prout fuerit rationis praefatam sororem ac omnes alias compellandas per censuram ecclesiasticam, et alia iuris et iustitiae remedia ad restituendum et solvendum parti adversae, quod per eos rationabiliter taxatum fuerit, viriliter et exacte compellant, in plenaria Ordinis potestate.

46. Restitutionem cuiusdam camerae per dominum Cistercii factam sorori Castellanae Catula monasterii de Laceydia, dudum eidem per abbatissam suam rationabiliter collatae, sibique indebite ablatae, generale Capitulum praefatas collationem ac restitutionem dictae camerae eidem sorori ratificans et approbans, declarat eamdem sororem praedicta camera debere gaudere quamdiu religiose se rexerit, suaeque abbatissae humilis et obediens fuerit inventa.

47. Translationem seu emissionem sororis Aldoncae Ciffre monasterii de Laceydia ad monasterium de Casuis, et Brigidae Bon monasterii de Laceydia ad monasterium de Transonares, earumdem exigentibus conspirationibus, delictis, rebellionibus et inobedientiis per abbates Populeti et Sanctarum Crucium, auctoritate domini Cistercii et Capituli generalis factas, praesens Capitulum generale ratificans, confirmans et approbans, praefatis sororibus districte praecipit et mandat in virtute salutaris obe-

dientiae ac sub poena apostasiae, quatinus infra tres dies ab intimatione praesentis diffinitionis eisdem facta ad praedicta monasteria se transferant iuxta et secundum praefatorum abbatum ordinationes; alioquin praedictis tribus diebus elapsis, dictum Capitulum declarat eas fugitivas, apostatrices et excommunicatas, praecepitque praefatis abbatibus et cuilibet ipsorum quatinus ipsas tamquam tales excommunicatas et apostatrices denuntient et denuntiari faciant, capiant, capique faciant, ac carceribus mancipent usque ad ordinationem domini Cistercii, sumptibus et expensis pensionum praedictarum sororum ac praedicti monasterii de Laceydia, invocato ad praemissa, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saeculariorum auxilio et favore.

48. Insolentiam, rebellionem et inobedientiam sororis Agnetis Belugna, monasterii de Laceydia, abbatissae suae ac abbatibus Populeti et Sanctarum Crucium, commissariis domini Cistercii et Capituli generalis multipliciter factas, ut ex eorumdem abbatum processu constat, impunitas relinquere nolens generale Capitulum, per praesentem diffinitionem praefatam sororem, praedictis suis exigentibus delictis, declarat inhabilem ad omnes gradus, dignitates, officia, voces et administrationes Ordinis, donec poenitentia ducta se a praedictis delictis penitus emendaverit, et emendata suis promerentibus meritis per dominum Cistercii secum dispensatum fuerit, praefato abbati Populeti mandans idem Capitulum ut praesentem diffinitionem eidem sorori, ceterisque monialibus praefati monasterii intimet seu intimari faciat.

49. Sorores Violant Suan, Ysabellam de Castellin, Violant Monyoc, Catalinam Monyoc, Beatricem Ciffre et Ysabellam Carbonella, monasterii de Laceydia, ob earumdem varias rebelliones, inobedientias et contumacias abbatissae dicti monasterii ac abbatibus Populeti et Sanctarum Crucium, commissariis domini Cistercii et Capituli generalis, pertinaciter adhaerendo sorori Aldoncae Ciffre super abbatiatu ipsius monasterii indebite et iniuste contendenti, volendoque gaudere et uti quibusdam litteris apostolicis subreptitie, in praeiudicium Ordinis impetratis et per Summum Pontificem cassatis, revocatis et annullatis, generale Capitulum declarat praedictas sorores excommunicatas et inhabiles ad omnes gradus, voces, dignitates et officia Ordinis, abbati Populeti praecipiens et mandans idem Capitu-

lum quatinus easdem, ut praemissum est, excommunicatas et inhabiles in praedicto monasterio declaret et denuntiet, seu declarari et denuntiari faciat, ipsasque absolvat a praedicta sententia excommunicationis auctoritate domini Cistercii et Capituli generalis, mox ut ad humilitatem et obedientiam redierint, praedicta inhabilitate in suo vigore remanente, donec earumdem promerentibus meritis, ad requestam abbatissae ipsarum cum eisdem per dominum Cistercii fuerit dispensatum.

50. Cum frater Franciscus Guarnier monasterii Sancti Bernardi Valentiae per abbates monasteriorum Populeti et Sanctarum Crucium, suis gravibus et innumeris delictis exigentibus, auctoritate domini Cistercii et Capituli generalis incarceratus fuerit et ab eisdem carceribus, ut ad notitiam praesentis Capituli generalis venit, aufugerit hinc inde discurrendo et peiora prioribus faciendo in detrimentum animae suae, in dedecus Ordinis et scandalum populi, generale Capitulum huiusmodi delicta impunita dimittere nolens rursus abbatibus Populeti et Sanctarum Crucium ac aliis quibuscumque abbatibus, prioribus, cellerariis et procuratoribus Ordinis in virtute salutaris obedientiae praecipit et mandat, quatinus praefatum fratrem Franciscum ubicumque apprehendere potuerint, capiant seu capi faciant sumptibus et expensis praefati monasterii Sancti Bernardi, ipsumque in districtissimis carceribus, in compedibus et manicis ferreis mancipent et tradant usque ad nutum et ordinationem domini Cistercii, invocato ad praemissa, si opus fuerit, quorumcum que iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

51. Tractatum per abbatem de Bello loco regis inter fratrem Robertum abbatem monasterii de Gratiis prope turrim Londoniarum et suum conventum, eidem de Bello loco regis immediate subiecti, factum de fundatione unius collectae in missa Beatae Virginis et anniversarii ipsius abbatis, prout in scriptura inde facta, cui praesens diffinitio annectitur, abbati de Wardona confirmandum praesens Capitulum committit in plenaria Ordinis potestate.

52. Per generale Capitulum citatur abbas et conventus monasterii de Vallibus Sernay ex una, ac provisor et scolares collegii

Sancti Bernardi Parisius ex altera parte, ad proximum generale Capitulum, ad videndum confirmari vel infirmari diffinitionem anno Domini M.CCCCLII editam super annui et perpetui redditus 20 scutorum auri, scuto pretii 18 librarum pro tempore constitutionis redditus huiusmodi currentis moderatione, quem redditus dicti scolares a dictis abbate et conventu de Vallibus de iure annuatim percipere affirmant.

53. Abbatem monasterii de Bullione, Lemovicensis dioecesis, a duobus annis citra per generale Capitulum pro eo quod suas contributiones solvere refutavit excommunicatum, quia adhuc contributiones huiusmodi differt solvere, praesens generale Capitulum aggravat et reaggravat, huiusmodi diffinitionis executionem abbati Misericordiae Dei committendo, potestatem quoque eidem dando, ipsum revocandi a studio Tolosano, citandique ad proximum generale Capitulum proxime futurum, ad ea quae sibi obiicientur responsurum, qui, si huiusmodi contributiones suas solverit, eum ac fratrem Petrum Moreau excommunicatum absolvendi, in plenaria Ordinis potestate.

54. Cum secundum omnia iura et statuta, tam apostolica quam alia, nullus criminosus vel excommunicatus ad dignitatem aliquam seu praelaturam possit vel debeat promoveri vel assumi, generale Capitulum plene et iuridice per processum informatum de criminibus ac defectibus fratris Ioannis de Sancto Eligio, monasterii de Signiaco monachi expresse professi, nuper per abbatem de Valle clara, monasterii de Charmeya patrem abbatem, in abbatem dicti monasterii de Charmeya promoti, promotionem ac provisionem dicti fratris Ioannis de Sancto Eligio, tamquam contra omnia iura atque statuta Ordinis tam apostolica quam regularia factam, praesens Capitulum generale cassat, revocat et irritat, ipsamque cassam et nullam fore declarat, ipsum fratrem Ioannem de Sancto Eligio eiusdem monasterii de Charmeya minime fore abbatem denuntiando, ipsum ab omni administratione spirituali et temporali dicti monasterii de Charmeya privando et amovendo, citandoque personaliter et peremptorie ad proximum generale Capitulum praefatum abbatem de Valle clara ad ea sibi per promotorem causarum Capituli tunc obiicientur responsurum, cum protestatione quod nisi tunc comparuerit, nihilominus contra eum procedetur.

55. Ad supplicationem abbatis de Brumbach, patris abbatis monasterii monialium de Felici valle, absolvitur abbatissa prae-

dicti monasterii a receptione novarum filiarum ad religionis habitum, quousque a debitis et ruinis, in quibus idem monasterium de Felici valle constitutum est, peramplius relevetur.

56. Sororibus Ysabellae de Sancto Martino et Ioanna de Avinione, monasterii monialium de Olivis monialibus, sub inhabilitationis et apostasiae poenis, generale Capitulum mandat et praecipit, quatinus infra undecim dies a notificatione praesentis diffinitionis computandos, ad proprium monasterium revertantur, alioquin tamquam apostatae et excommunicatae secundum Ordinis statuta capiantur et puniantur, quam quidem diffinitionem abbas de Valle bona debite exsequatur.

57. Abbati monasterii Fontis regis praecepit generale Capitulum, quatinus abbatem monasterii de Caesarea per censuram Ordinis compellat ad satisfaciendum et indemnes reddendum abbates de Lutzella et de Salem, de summa quingentorum florenorum auri, in qua damnificati sunt occasione conventus de Riffenstein, in executione commissionis Capituli generalis.

58. Abbati monasterii de Salem per generale Capitulum conceditur ut certas possessiones nimis longinquas et minus utiles possit vendere et alias propinquiores et magis utiles emere, dum tamen emptio seu acquisitio huiusmodi possessionum propiusque et utiliorum venditionem possessionum minus utilium et longinquarum praecedat, alioquin minime concedit.

59. Idem et secundum eamdem formam et non alias, abbatissis monasteriorum de Bona cella et de Velbach conceditur.

60. Pensata abbatis de Salem impotentia et matura senectute, praesens generale Capitulum ipsum misericorditer absolvit a via Capituli generalis.

61. Idem abbati de Moroliis conceditur.

62. Idem abbati de Charitate.

sionem et obedientiam in aliquo nostri Ordinis monasterio bene regulato infra tres menses a receptione praesentium, alias transactis tribus mensibus a dicta receptione et intimatione eidem Ferrarii, nisi fecerit dictus professionem et obedientiam, ipsum incarcerent et tamquam fugitivum et vagabundum puniant.

65. Dispensatur cum abbate monasterii de Candelio, quod non teneatur mittere vel tenere scolarem seu scolares Parisius usque ad triennium, attento quod non habet instructos in primitivis scientiis, ita tamen quod unum magistrum pro instruendo et informando suos iuvenes per ipsum triennium in suo monasterio continuare teneatur.

66. Ad idem pro abbate Regalismontis, s. th. pr.

67. Attenta sumptuosa missione per abbatem monasterii Bonaevallis Pictaviensis pro renovatione bullae seu privilegii Bonifacii VIII super materia decimarum, propriis denariis monasterii de Castellariis facta, generale Capitulum mandat et praecipit de Pinu et de Valentia monasteriorum abbatibus, quatinus per censuram Ordinis eumdem de Bonavalle compellant ad satisfaciendum eisdem abbati et conventui de Castellariis infra terminum per ipsos praefigendum, huiusmodi missiones rationabiles prout viderint expedire, nisi ipse de Bonavalle causam allegare voluerit propter quam id minime fieri debeat.

68. Quia abbas monasterii Gratiae Dei, Xantonensis dioecesis, per generale Capitulum monitus canonice renuit seu contempsit de expensis rationabilibus suo scolari Parisius in collegio Sancti Bernardi commoranti providere, generale Capitulum sententiam excommunicationis incurrisse denuntiat ac excommunicatum decernit, et nihilominus sub poena depositionis mandat idem Capitulum eidem abbati, quatinus mittat eidem scolari suo pecunias sufficientes pro duobus annis, videlicet pro

69. Generale Capitulum mandat et districte praecipit abbati de Bolbona, quatinus infra tres menses a data praesentium immediate sequentes, copiam seu vidimus authenticam bullarum et litterarum unionis monasterii de Calercio monasterio praedicto de Bolbona, ac omnium actitorum super eadem unione, per securum nuntium et sub sigillo suo, et apostolici notarii signo, domino Cistercii mittere non omittat.

70. Contractum inter fratres Ymbertum Bonloye et Petrum Villagrays super abbatiatu de Busayo contendentes factum, prout plenius in litteris, quibus nostrae praesentes annectuntur, continetur generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

71. Generale Capitulum sufficienter informatum de laudabili vita, scientia et dispositione ad actus virtuosos fratris Guillelmi Papin, scolaris de Mortuomari, bachalarii formati in sacra theologia, ipsum usque ad magisterium inclusive retinet et mandat retineri in collegio Sancti Bernardi Parisius, mandatque abbati et officiariis dicti monasterii Mortuimaris, quatinus quamdiu in eodem collegio residerit pro necessitatibus suis 16 libras parisienses tradat vel tradi faciat, committendo abbati Regalismontis, s. th. pr., quatinus ad praedicta, per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia, dictum abbatem et officiarios cogat et compellat.

72. Generale Capitulum compatiens paupertati et desolationi monasteriorum de Longovado et de Albaripa, usque ad quinquennium medietatem quottarum contributionum ipsis imponendarum et iam moderatarum misericorditer relaxat et remittit.

73. Ad supplicationem abbatis et conventus monasterii de Mataplana in Castella, generale Capitulum ipsum monasterium et personas ipsius, in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, domino Cistercii et eius monasterio submittit, eumdem dominum Cisterciensem per se et eius commissarios visitatorem, correctorem et reformatorem eiusdem monasterii, attento quod, prout est fama publica, ipsum monasterium de Mataplana fuit ab antiquo et est de generatione et subiectione ipsius monasterii Cistercii, quamcumque auctoritatem seu ius praetendebat habere in idem monasterium abbas et conventus Vallisbonae, qui est divisus ab Ordine et inobediens domino nostro Summo Pontifici et eius mandatis ac Capitulo generali, donec idem abbas et conventus de Vallebona ad obedientiam et unita-

tem venerint et sufficienter, quod ius paternitatis in eodem monasterio habeant, generali Capitulo et eidem domino Cistercii ostenderint.

74. Diffinitionem anno immediate praeterito contra fratrem Antonium de Combabessossa editam et abbati de Valeta directam pro correctione eiusdem fratris Antonii, praesens generale Capitulum renovat et executioni demandari praecipit et mandat.

75. Cum per privationem et depositionem fratris Ioannis [f] de Sancto Eligio, quondam abbatis monasterii de Charmeya, idem monasterium vacare dignoscatur, et ne idem monasterium propter diuturnam vacationem subiaceret incommodis, praesens generale Capitulum, quod eumdem fratrem Ioannem [f] de Sancto Eligio a dignitate abbatiali ipsius monasterii de Charmeya, suis exigentibus demeritis, deposuit, de pastore et administratore pro huiusmodi monasterii bonorum conservatione in statu spirituali et temporali providere volens, idem generale Capitulum de fratris Nicolai Milliville [g], monachi monasterii Claraevallis, laudabili vita ac moribus et sufficienti litteratura sufficienter informatum, eumdem fratrem Nicolaum, quaesita eius voluntate et praebente consensu, in abbatem et pastorem dicti monasterii promovit, instituit et ordinavit, ac per praesentes promovet, instituit et ordinat, ac per traditionem unius birreti, clavium et unius libri per dominum Cisterciensem in possessionem ponit, mandans omnibus personis regularibus eiusdem monasterii, quatinus eidem Nicolao eorum novo abbati pareant, eum in verum abbatem recipiant, et ei in omnibus tamquam proprio et vero abbati obediant, requirendo omnes dominos ecclesiasticos et temporales, ac alias personas saeculares, quatinus eidem abbati auxilium et favorem conferre dignentur; executionem praesentis diffinitionis abbati de Igniaco committendo.

76. Moderationes quottarum contributionum factas per abbatem Fossae novae, abbatibus et monasteriis Castellae, Legionis et Galleciae, praesens generale Capitulum revocat et annullat.

77. Contractum inter R. P. dominum abbatem Morimundi, s. th. pr., et eius conventum ex una parte, et Petrum Brulley ac eius uxorem ex parte altera, de quadam grangia sita Divione, prout in litteris quibus praesentes nostrae annectuntur, praesens generale Capitulum ratificat et approbat.

---

[f] Philippi : *MP*[2] [g] Milluille : *MP*[2].

78. Generale Capitulum monet et hortatur abbatem Sancti Bernardi, quatinus intuitu pietatis et charitatis in monasterio suo fratrem Iacobum de Blarey, monachum monasterii Vallis Sancti Lamberti, teneat et ei in victu et vestitu, donec provisum sit aliter suo monasterio, et quamdiu necesse fuerit, misericorditer providere velit.

79. Ad instantiam illustrissimae principissae et dominae dominae ducissae Burgundiae, quae speciali afficitur devotione ad paupertatem reclusarum monialium monasterii de Walteribrania in Brabantia, volens generale Capitulum paupertati earumdem de remedio gratioso providere, decernit, ordinat et praecipit, quatinus omnes et singuli abbates monasteriorum virorum in provincia Remensi et episcopatu Leodiensi consistentium, necnon abbatissae monialium de Marqueta, de Spinoso loco, de Fontenellis, de Pratis dominarum, de Camera et de Parco dominarum, duodecimam partem eorum, quae singula monasteria antedicta distribuere consueverunt in eleemosynam pauperum, eamdem portionem realiter et cum effectu in relevamen dictarum monialium sic depaupertarum, aut verum valorem huiusmodi duodecimae portionis distribuant et conferant per immediate sequens quinquennium, cuius diffinitionis executorem et collectorem generale Capitulum constituit magistrum Ioannem de Pratis, s. th. pr., in ipsius Capituli plenaria potestate.

80. Generale Capitulum pie compatiens desolationi et paupertati monasterii de Castro aquilae, abbatibus de Eberbaco, de Schonovia et de Heghena et duobus corum, altero praepedito, committit quatinus informent se de viis et mediis, quibus ipsum monasterium de Castro aquilae poterit a desolatione fructuose relevari, de his quae invenerint, proximum generale Capitulum ad plenum informaturi.

81. Venditiones, alienationes et impignorationes censuum, servitiorum, terrarum, pratorum, vinearum, domorum, grangiarum et aliorum plurium bonorum monasterio de Sinaqua pertinentium, per fratres Ioannem Tisserii, Berengarium Bagarelli et Gurrandum de Veraco, eiusdem monasterii de Sinaqua olim abbates, factas et perpetratas, praesens generale Capitulum omnino revocat, cassat et annullat, declaratque huiusmodi venditiones, alienationes et impignorationes nullius fuisse aut fore roboris et momenti.

82. Ad idem pro abbate de Regniaco.

83. Unionem et incorporationem monasterii Beatae Mariae de Sinaqua monasterio de Aquabella, per dominum Cisterciensem sinistre informatum, factas et concessas, generale Capitulum revocat, cassat et annullat.

84. Depositionem et privationem fratris Ioannis de Haro a dignitate abbatiali monasterii de Ferraria, nuper per abbatem monasterii Loci regis propter eiusdem de Haro demerita, in monasterio de Berola coram abbate dicti monasterii de Berola, patrem abbatem eiusdem monasterii de Ferraria, secundum Ordinis statuta factas, generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

REHABILITATIONES

85. Cum fratre Ioanne de Rosario, monasterii de Sigilleriis monacho expresse professo, in sacerdotali ordine constituto, qui humani generis inimico suadente aufugit ad saeculum, et ibi quasi per annum apostatando, vitamque ducendo dissolutam damnabiliter permansit, quia postea ad misericordiae gremium salubriter rediens, iniunctam propter hoc sibi poenitentiam humiliter peregit, ad supplicationem sui abbatis, praesens generale Capitulum dispensat ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, promoveri valeat et assumi.

86. Ad idem cum fratre Guillelmo Garmet, monasterii de Stella monacho, in carnis contagio deprehenso.

87. Ad idem pro fratre Matheo Chuynart de Chalocheyo, in carnis contagio deprehenso, et qui per quinquennium aut amplius apostatavit.

88. Ad idem pro fratre Guillelmo Natal, monacho monasterii de Bonarequie, qui ab anno citra quasdam clandestinas celebrando nuptias excommunicationis sententiam damnabiliter incurrit, qua innodatus se divinis immiscuit irregularitatem incurrendo.

89. Generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Vincentio de Vario, sacerdote monacho monasterii de Theoloco expresse professo, quatinus non obstante quod licet animi levitate et humani generis inimico suadente, per quindecim dierum spatium vel circiter apostatavit, habitu regulari minime derelicto, et inde ad cor reversus ad nutum et dispositionem sui abbatis super hoc supplicantis poenitentiam peregit salutarem, ad

omnes Ordinis gradus, voces, officia et dignitates promoveri valeat et assumi, etiam abbatiali dignitate inclusa.

90. Ad instantiam abbatis de Rigniaco per generale Capitulum dispensatur cum fratre Ioanne de Anhiers, qui habitu regulari dimisso pluries apostatavit et de immunditia carnali fuit convictus, super hiisque poenitentiam peregit salutarem, his non obstantibus ad omnes Ordinis gradus, etiam abbatiali dignitate inclusa, etc.

91. Ad idem pro fratre Stephano de Sancto Florentino, monacho monasterii Fontis Ioannis, qui apostatavit per spatium trium dierum.

92. Cum vigore et mandato Capituli generalis, dominus Claraevallis, s. th. pr., anno Domini 1453 nuper elapso, commissionem suam in monasterio de Cheresiaco eiusdem Ordinis executioni demandando fratrem Antonium Vicedogny, pro tunc dicti loci abbatem, suis innumeris et manifestis delictis, criminibus, excessibus, dilapidationibus, lubricitatibus ac aliis multiplicibus demeritis exigentibus, processu et sententia ordinariis, a dignitate abbatiali et ab omni administratione spirituali et temporali ipsius monasterii privaverit et deposuerit, ipsique monasterio de novo pastore et abbate auctoritate dicti Capituli providerit, scilicet de persona fratris Bartholomei Duc, praedictusque frater Antonius ab huiusmodi privatione, destitutione et depositione ad Sedem Apostolicam, ut fertur, appellaverit, ac postmodum coram illustrissimo principe domino duce Sabaudiae ac quamplurimis aliis notabilibus personis ecclesiasticis et saecularibus, mediante certo contractu concordato et appunctuamento, coram praedictis principe et notabilibus personis inter partes inito, facto et passato, praefatus frater Antonius praedictae appellationi renuntiavit, ac deinde in dedecus et derisum praefatorum principis et notabilium personarum dicti tractatus mediatores existentium huiusmodi tractatum, concordatum et appunctuamentum minime servaverit nec servare curaverit, sed praetextu cuiusdam rescripti apostolici per eumdem subreptitie et obreptitie impetrati, in ipso monasterio vi et violenter se intruserit, bonaque ipsius monasterii mobilia et immobilia, ut fertur, vendendo, dando, alienando, dilapidaverit, sic quod religiosi in eodem monasterio existentes hinc inde dispersi fuerint et vagabundi, in diminutionem et cessationem divini obsequii, in praeiudicium devotionis fundatorum et benefactorum dicti

monasterii, in dedecus et opprobrium Ordinis et scandalum totius populi, generale Capitulum tantis malis, inconvenientiis et scandalis per debitae provisionis remedium salubriter providere cupiens, de Stamedio et de Chassenia monasteriorum abbatibus, ac dilecto fratri Iacobo Alberti, monasterii de Balerna, s. th. pr., tam coniunctim quam divisim committendo districte praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis poena, quatinus si de praemissis eisdem legitime constiterit praefatum fratrem Antonium Vicedogny tamquam excommunicatum, irregularem, infamen ac dicti monasterii dilapidatorem capiant seu capi faciant, ac districtis carceribus mancipent usque ad nutum Capituli generalis vel domini Cistercii, ac dictorum bonorum mobilium et immobilium per eumdem ablatorum et alienatorum restitutionem et condignam satisfactionem, praefatamque provisionem per dominum Claraevallis de persona praedicti fratris Bartholomei Duc manuteneant et conservent, suumque plenarie sortiri effectum faciant et procurent, omnesque et singulas alienationes et venditiones praedictorum bonorum immobilium per eumdem fratrem Antonium quomodolibet factas absque licentia domini Cistercii et Capituli generalis, auctoritate praedicta penitus revocent, cassent et annullent et nullius vigoris et efficaciae esse et fuisse declarent et annuntient, et generaliter omnia et singula circa praemissa et ea tangentia agant, faciant et exerceant, quae agere, facere et exercere posset idem Capitulum generale, invocato ad praemissa quorumcumque dominorum ecclesiasticorum vel saecularium, si necesse fuerit, auxilio et favore ; quos dominos ecclesiasticos et temporales generale Capitulum rogat ex affectu et requirit, quatinus divini cultus et Ordinis intuitu et contemplatione eisdem comissariis consilium, auxilium et favorem conferre velint. Omnibus, etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

93. Omnibus et singulis abbatibus Ordinis qui dehinc ad proximum generale Capitulum suis administrationibus sponte, absque fraude et deceptione, cedere et sua monasteria in manus patrum abbatum resignare voluerint, per generale Capitulum licentia conceditur huiusmodi cessiones et resignationes faciendi.

94. Cum a fundatione Ordinis monasteriis monialium eius-

dem Ordinis aliquae contributiones annuales non sint imponi solitae, nonnulli tamen Ordinis contributionum collectores ab aliquibus monialium monasteriis exigere praesumunt, in ipsorum praeiudicium et gravamen ; hinc est quod praesens generale Capitulum declarat huiusmodi monialium monasteria seu prioratus ad huiusmodi contributionum annualium solutionem minime teneri, prohibetque a quibuscumque receptoribus exigi, sive levari.

95. Cum ad audientiam praesentis Capituli generalis dolenter venit, nonnullos Ordinis abbates in regno Angliae constitutos ita fore negligentes ut libros et bibliothecas, qui thesaurus monachorum fore censentur, ita inveteratos et laceratos relinquant, ut vix ad reparationem condignam valeant reduci, tantis indemnitatibus et negligentiis praesens generale Capitulum cupiens obviare statuit, ordinat et diffinit ut in singulis eiusdem regni Angliae monasteriis, in quibus opus sit pro reparatione librorum magis necessariorum quadraginta solidis anglicanae monetae, donec huiusmodi libri sufficienter fuerint reparati, annis singulis convertantur.

96. Virginem gloriosam omni laude dignissimam a personis Ordinis sufficienter honorari olim animadvertens generale Capitulum salubriter statuit, quatinus in reverentiam tantae Virginis, Ordinis patronae, ad antiphonas et hymnos tam vesperarum, completorii, vigiliarum, laudum et tertiae, omnes ipsius Ordinis personae surgerent et extra stalla starent, praesens generale Capitulum attendens tam salubre statutum ob plurimum incuriam, ignorantiam aut negligentiam, in desuetudinem abiisse, ipsam rursus innovando in singulis monasteriis Ordinis praecipit indefectibiliter observari, omnibus et singulis patribus abbatibus et visitatoribus iniungendo quatinus in suis visitationibus, diffinitionem huiusmodi praecipiant observari.

97. Cum otium sine litteris vivi hominis sepultura fore dignoscatur, in nonnullis quoque regni Angliae, prout ad praesentis Capituli devenit notitiam, monasteriis iuvenes insufficientes et idiotas ad habitum regularem recipi, et sic receptos ob salutaris lectionis ignorantiam ut plurimum otiari contingat in maximum salutis detrimentum animarum, generale Capitulum huiusmodi volens salubriter obviare, praecipit omnibus et singulis abbatibus eiusdem regni, qui tales inscios et idiotas recipiunt, ut de aliquo instructore, qui in monasteriis hoc facere poten-

tibus huiusmodi sic receptos in grammaticalibus instruere valeant, sibi providere non omittant.

98. Cum indecens sit et deforme nedum viris religiosis sed et cunctis christicolis maxime autem ecclesiasticis, ut se invicem mordeant et lacerent, aut se ad saecularia iudicia mutuo pertrahant, quod tamen nonnumquam per studentes collegii Oxoniensis fieri dicitur, inhibet Capitulum generale sub poenis Ordinis, ne aliqua Ordinis persona, praesertim ne aliquis praedictorum scolarium verbis iniuriosis alium commovere aut impetere, ne insuper alius alium ad aliam praeterquam Ordinis audientiam evocare seu provocare, per se vel alium, clam vel palam, quovis colore quaesito, praesumat, quod si quis contra huiusmodi statutum attentare praesumpserit, per patrem dicti studii visitatorem huiusmodi poenas statutis Ordinis contentas declaretur incurrisse; volens propterea idem Capitulum ut omnes et singuli praedicti collegii Oxoniensis studentes illis libertatibus et franchisiis gaudeant, quibus sui praedecessores hactenus usi sunt, praecipiensque ordinationes domini Benedicti Papae XII, ac diffinitiones ipsius Ordinis tam antiquas quam novellas de studentibus salubriter editas, ab omnibus et singulis dicti collegii personis inviolabiliter observari.

99. Cum in rebus humanis nihil sit perfectius, commendabiliusve et a cunctis christicolis magis appetendum sedulo studio sacrarum litterarum, generale Capitulum tanto affectuosius ea prosequitur, quae ad huiusmodi studii votivum in Ordine exercitium salutarisque sapientiae placidam et quietam acquisitionem proficiunt et conferunt, quanto cognoscit apertius claram formam nostri Ordinis vivificum suavitatis odorem in campo militantis Ecclesiae spirantem per hoc adaugeri; cum itaque in praeclara Coloniensi Universitate multis ab annis Ordo noster ad maturorum ac studiosorum virorum Ordinis inhabitationem locum aptum quaesierit, et iam duo mulierum monasteria videlicet de Valle dominarum iuxta Coloniam desolatum et penitus extinctum, alterum de Monte Sanctae Walburgis in gravibus nimis et pondere debitorum constitutum, Ordo ipse habeat, ipsaque minime posse relevari, quin potius magis semper ac desolari, ipsorum quoque possessiones dietim ab Ordine alienari, idem Capitulum considerans, matura super hoc deliberatione praehabita, vult, statuit et ordinat praedicta de Valle dominarum et de Monte Sanctae Walburgis monasteria ac ipsorum

census, redditus, proventus, possessiones et alia bona quaecumque mobilia et immobilia ad erectionem et aedificationem unius collegii in ipsa Universitate Coloniensi perpetuo applicari et converti. Volens ulterius idem Capitulum atque decernens ipsum collegium ac ipsius studentes illis libertatibus, privilegiis et statutis, quibus collegium Sancti Bernardi Parisius utitur, pacifice uti et gaudere, ipsius visitationem, directionem et gubernationem abbati de Heisterbach, qui pro tempore fuerit plenarie committendo. Quocirca de Hemmenrod et de Heisterbach monasteriorum abbatibus ac fratri Arnoldo eiusdem monasterii de Heisterbach professo, s. th. pr., committit idem Capitulum ac districte praecipit et mandat, quatinus praesentis Capituli voluntatem, ordinationem atque statutum debitae executioni quantocius commode poterunt, studeant demandare, in plenaria Ordinis potestate.

100. Quoniam haud dubium quidquid honoris et reverentiae beatae Annae matris Beatissimae Virginis Mariae, cui Ordo noster specialiter dignoscitur dedicatus, exhibitum fuerit, ipsa Beatissima Virgo sibi impensum reputabit, generale Capitulum gratia huius piae et devotae considerationis intuitu, diffinitionem alias editam innovando statuit, diffinit et ordinat, ut de cetero festum ipsius beatae Annae cum XII lectionibus et duabus missis celebretur ab omnibus et singulis conventibus Ordinis universi.

101. Cum ratio dictet etiam naturalis ut nullus alteri faciat quod sibi fieri non vult, et regula beati Benedicti expresse inhibeat ne aliquis religiosum alterius monasterii absque licentia sui superioris recipiat et retineat, ac secundum privilegia Ordinis omnes litterae apostolicae contra communia Ordinis instituta impetratae sint irritae et inanes, et tales impetrantes, ac eisdem pertinaciter uti volentes sententiam excommunicationis ab Ordine latam incurrant ; cum ad notitiam praesentis Capituli venerit, quosdam Ordinis abbates praetextu quarumdam litterarum apostolicarum subreptitie ac contra praedicti Ordinis instituta impetratarum, fugitivos et apostatas Ordinis in suis monasteriis recepisse et retinuisse contra voluntatem et absque consensu propriorum abbatum, praedictam sententiam excommunicationis incurrendo, generale Capitulum huiusmodi abusus radicitus amputare volens hac perpetua diffinitione districte inhibet omnibus et singulis abbatibus Ordinis universi, sub praedicta excommunicationis poena et depositionis, ne tales fugiti-

vos et apostatas in suis monasteriis recipiant et retineant absque praedictorum consensu et litteris specialibus propriorum abbatum, declarans idem Capitulum omnes et singulos illos abbates, qui tales fugitivos et apostatas, virtute praedictarum litterarum apostolicarum subreptitie impetratarum, tamdiu fore excommunicatos quousque realiter et de facto ipsos ad propria monasteria remiserint, praedictas litteras domino Cistercii tradiderint, absolutionem praedictae excommunicationis,nisi in articulo mortis, eidem domino Cistercii reservando.

1455

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, statuta sunt haec apud Cistercium, duodecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis generali Capitulo.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo... Calixto III... *etc. ut in anno* 1449.
2. Praeterea pro christianissimo ... *etc. ut in anno* 1449.
3. Insuper pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis ... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem, confirmationem et installationem de persona fratris Ingerami Bernicourt per reverendum patrem dominum Pontigniacensem, patrem abbatem, ad monasterium de Caricampo, rite et canonice factas, prout in decreto,

---

1455. *Fontes* : *A*[4] : 15, 16, 25 ; *L*[4] : 1-45 ; *M* : 15, 26, 41, 45 ; *P*[2] : 1, 15, 26, 28, 41, 43, 44, 45. [a] *Titulus apud L*[4].

[b] Sub Calixto III ; Philippo, card. episc. Bonon. Ord. protect. ; Frederico rege romanorum ; Carolo rege francorum ; Philippo duce Burgundiae : *P*[2].

cui nostrae presentes annectuntur, plenius continetur, generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

8. Electionem, installationem, promotionem et provisionem fratris Guidonis de Edna, in sacra pagina baccallarii, in abbatem monasterii de Caroliloco, per dominum Pontigniaci factam, et sententiam ac iudicium in hac materia per dominum Cisterciensem latam, ac omnia et singula inde secuta prout in decreto et sententia huiusmodi, cui praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

9. Provisionem, promotionem, institutionem et installationem sororis Beatricis de Casilhaco, in abbatissam monasterii Elnonencae, Vabrensis dioecesis, die 12ª mensis augusti anno Domini M. CCCC. LVº, prout in litteris, *etc.*

10. Sententiam latam per abbates de Fonte salutis et de Fonte regis contra Margaretam de Friberg, monialem monasterii in Superiori Schonvel, praesens generale Capitulum ratificat et approbat, mandando eisdem abbatibus, quatinus eamdem monialem expellant a dicto monasterio, et eam ad expensas rationabiles in huiusmodi causa factas, per censuras Ordinis refundendum compellant.

11. Ad idem pro fratre Maturino Ferrunet ad monasterium de Fontis albis, per abbatem de Savigniaco et eius commissarium factis.

12. Ad idem pro fratre Ioanne Manifain ad monasterium de Baugeseyo per abbatem de Oratorio, et eius commissarium factis.

[ALIAE DIFFINITIONES]

13. Generale Capitulum mandat omnibus et singulis abbatibus et personis Ordinis regularibus super hoc requirendis, quatinus omnes et singulos Ordinis abbates et personas, quos et quas invenerint abbati et conventui de Caroliloco obligatas seu aliquibus pecuniarum summis vel rebus iuste teneri, per censuras Ordinis ad eisdem de Caroliloco satisfaciendum viriliter et debite compellant.

14. Ad idem pro domino Pontigniaci. — Ad idem pro domino Claraevallis. — Ad idem pro abbatissa et monasterio de Rosis in Flandria. — Ad idem pro fratre Petro Senef, monacho monasterii de Longovillari.

15. Inhibet Capitulum generale sub depositionis poena omnibus et singulis abbatibus Ordinis, Pataviensis [c] dioecesis, ne episcopo Pataviensi [d] pro suo iucundo adventu aut caritativo subsidio aliquid tribuant [e], abbatibus de Sancta Cruce et de Alderspach committendo ut, convocatis eiusdem dioecesis abbatibus certas contributionum quottas imponant, ac sub censuris Ordinis solvere compellant ad defendendum et prosequendum huiusmodi causam in romana Curia vel alibi, ubi fuerit opportunum, et eos qui in praeiudicium Ordinis in hac causa quidquam solverint, puniant secundum Ordinis instituta.

16. Piam et Deo acceptam devotionem populi ecclesiam seu capellam sancti Leonardi in Chenhosen, monasterio de Campo principum pertinentem, visitantes, generale Capitulum attendens, ipsamque per spiritualium bonorum elargitionem fovere desiderans, ad supplicationem humilem abbatis et conventus eiusdem monasterii de Campo principum, participationem omnium bonorum, missarum vel orationum, eleemosinarum, ceterorumque divini cultus obsequiorum eisdem misericorditer largitur et concedit.

17. Cum generale Capitulum ad comparendum in eodem citatos, qui non comparuerunt, reputaverit contumaces, ad quod abbas Boniradii ad instantiam domini Pontigniaci citatus, quia non comparuit, contumax reputatur, mandatque idem Capitulum eidem de Pontigniaco patri abbati immediato, quatinus per se vel alium eumdem de Bonoradio denuo citet ad primam diem Capituli proxime futuri, ad respondendum super his quae sibi obiicientur cum supradicta contumacia, quam aliis per promotorem causarum sibi opponendis, sub poena depositionis nisi comparuerit.

19. Abbatem de Fusniaco, qui suis exigentibus demeritis, ex mandato domini Cisterciensis ad praesens generale Capitulum debite personaliter citatus fuit, ut ex relatione executorum praefati mandati eidem Capitulo sufficienter apparuit, nec non comparuit, tamquam Ordini inobedientem et rebellem ipsum generale Capitulum contumacem reputat et denuntiat, mandans idem Capitulum omnibus et singulis super hoc requirendis, quatinus eidem de Fusniaco praesentem diffinitionem notificent, et in locis publicis ac in valvis ecclesiarum ipsum

[c] Pictaviensis : *MP*[2]. [d] Pictaviensi : *MP*[2]. [e] *hic desin.* *MP*[2].

abbatem de Fusniaco contumacem et excommunicatum fore denuntient et denuntiari faciant, domino Cisterciensi benigne committendo, quatinus per se vel alium seu alios ab ipso deputandos ad ulteriores poenas et sententias, etiam usque ad sententiam depositionis inclusive contra huiusmodi de Fusniaco procedat, procedique faciat in plenaria Ordinis potestate.

19. Ad idem pro abbate de Bono fonte, de Valle clara, de Signiaco et de Valle Sancti Lamberti.

20. Diffinitionem visitationis et reformationis quoad monasteria suae generationis et alia monasteria nationis germanicae transactis annis datam domino Morimundi, s. th. pr., praesens generale Capitulum confirmat, approbat et ratificat, quoad singula eiusdem diffinitionis puncta, in plenaria Ordinis potestate.

21. Praesens generale Capitulum abbatem de Eberbaco denuntiat fore et esse excommunicatum et deponendum propter suas diversas rebelliones et inobedientias, et maxime quia diffinitionibus et statutis Ordinis etiam apostolicis obedire renuit, praecipitque et mandat abbati de Eymerode, quatinus praesentem diffinitionem infra duos menses a data ipsius eidem abbati de Eberbaco praesentet et executioni demandet, eumdem abbatem citando ad comparendum in Cistercio 13[a] die ab executione praesentium, visurum se deponi et alias iuxta demerita sua puniri.

22. Tractatum, concessionem atque conventionem inter abbatem et conventum de Crista, de quatuor anniversariis solemnibus in eodem monasterio annuatim celebrandis, et nobilem virum Petrum Daillancourt scrutiferum, ac domicellam Mariam eius uxorem, de certis homagiis, iustitiis, haereditatibus et possessionibus eidem monasterio datis et assignatis, prout in litteris, *etc.*

23. Praesens Capitulum generale approbat, ratificat et confirmat quoddam appunctamentum seu quasdam ordinationes dudum factas per abbatem de Caesarea, s. th. pr., et abbatem de Reinhaslach inter abbatem et conventum de Campo principum ex una parte, et fratrem Paulum dudum eiusdem monasterii abbatem, et eidem fratri Paulo perpetuum imponit silentium super omnibus causis, questionibus seu querelis, quas usque ad praesens movit aut movere potuit contra praefatos abbatem et conventum de Campo principum, ac contra abbatem in Alderspach, mandatque et praecipit abbati de Caesarea, s. th. pr.,

quatinus ambas partes compellat ad observationem praesentium, in plenaria Ordinis potestate.

24. Domino Claraevallis, s. th. pr., per generale Capitulum committitur potestas absolvendi omnes et singulas Ordinis regulares personas suae generationis ab irregularitate et quibuslibet aliis sententiis, quas hactenus incurrerunt aut incurrere potuerunt, in apostasia celebrando aut alias quovismodo, ipsasque rehabilitandi ad omnes actus Ordinis legitimos, in plenaria Ordinis potestate.

25. Omnibus et singulis abbatibus, prioribus, cellerariis ac procuratoribus Ordinis, per generale Capitulum committitur et praecipitur, quatinus ubicumque repererint fratrem Ioannem de Ligneriis, monasterii de Misericordia Dei professum, per saeculum vagantem et vitam ducendo dissolutam, capiant seu capi faciant et incarcerent, ibique detineant sub arctissima custodia usque ad nutum Capituli generalis ; quod si ad praedictum monasterium de Misericordia Dei venerit, quia ad instantiam suam professionis suae quittantiam habuit, declarat ipsum recipi non debere, nisi in carceribus et manicis ferreis, usque ad nutum dicti Capituli generalis.

26. Abbati de Loco Sancti Bernardi per generale Capitulum sub inobedientiae poena districtissime inhibetur, ne quoscumque ad religionis habitum recipiat vel admittat, nisi, secundum regulam beati Benedicti, 18 suae aetatis annum attingerint, fuerintque in grammaticalibus, cantu et aliis sufficienter instructi.

27. Attentis gravibus criminibus, inobedientiis, rebellionibus per fratrem Petrum de Overhof, monasterii de Dunis in Flandria expresse professum, perpetratis et perseverantia ipsius in malis, prout in litteris abbatis et conventus dicti monasterii, quibus praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, magistro Ioanni Magdale, abbati de Fossanova procuratori generali Ordinis in Curia romana, s. th. pr., per generale Capitulum districte mandando praecipitur, quatinus dictum fratrem Petrum capiat seu capi faciat et remittat, seu remitti faciat, et procuret ad praedictum monasterium de Dunis, cum ipsius monasterii de Dunis expensis.

28. Ad instantiam ac propter reverentiam illustrissimi principis domini ducis Burgundiae, cum fratre Petro de Sagey, monasterii de Miratorio monacho expresse professo, dispensatur, ut non obstantibus variis diversorum criminum et infamiarum

notis, propter quae inhabilis merito habebatur, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia seu beneficia quaecumque, etiam abbatialem includendo dignitatem, promoveri valeat et assumi.

29. Ad idem pro fratre Philippo de Cabilone, monasterii Firmitatis monacho expresse professo, in diaconatus ordine constituto, qui licet per quatuor menses vel circiter apostataverit, ad omnes, etc.

30. Ad idem cum fratre Nicolao Carrelk, monasterii de Ursicampo monacho expresse professo in sacerdotii ordine constituto, qui licet per decem dies apostataverit habitu regulari minime dimisso, ad omnes, etc.

31. Ad idem pro fratre Girardo de Monstreolo, eiusdem monasterii de Ursicampo professo, qui per mensem vel circiter apostatavit.

32. Ad idem pro fratre Philippo Carpentarii, professo monasterii de Bello prato, qui licet de contagio carnis notatus, non tamen convictus.

33. Ad idem pro fratre Nicolao Berelli, qui licet de diversis criminibus fuerit accusatus non tamen convictus, imo per abbatem de Begar innocens et immunis inventus est, his non obstantibus, etc.

34. Cum nobis flebilis extiterit porrecta supplicatio ex parte abbatis de Charone, quod lite pendente inter fratrem Nicolaum Berrandi, religiosum suum, et abbatem de Trizayo in curia Pictaviensi vel alias, et ipsi ex compromisso compacto transierint ad concordandum ad dictum monasterium de Trizayo, ubi per aliquos fautores dicti abbatis fuerit violenter captus et excussus de equo et castrum proximum deductus, prout constare poterit per debitam informationem, generale Capitulum committit abbatibus de Locoregio, de Gratia Dei et de Moroliis, aut duobus ipsorum in solidum, altero legitime impedito, quatinus de praemissis insolentiis iuste et rite se informent, et in proximo referant scriptotenus eidem generali Capitulo, in plenaria Ordinis potestate.

35. Praesens generale Capitulum cassat et annullat omnes processus factos per abbatem in Alderspach contra abbatem de Cella Dei, et ipsum abbatem reponit in statu in quo erat ante processum, et declarat illos monachos, qui in ipsum abbatem de Cella Dei manus sacrilegas iniecerunt, tamquam conspiratores

fore puniendos, sic quod principales mittantur ad Summum Pontificem et ceteri puniantur iuxta Ordinis diffinitiones, committitque abbati de Caesarea et fratri Petro de Fonte salutis, s. th. pr., quatinus ad ipsum monasterium de Cella Dei accedentes, de moribus et vita abbatis loci se diligenter informent, et si sua demerita exigant, deponant aut alias, prout viderint, puniant, necnon monachos conspiratores, in plenaria Ordinis potestate. Nihilominus suspenditur ipse abbas in Alderspach a sua iurisdictione in praefato monasterio de Cella Dei, usque ad nutum Capituli generalis.

36. Magistro Ioanni de Istem, s. th. pr., per generale Capitulum committitur visitatio, reformatio ac omnimoda dispositio et ordinatio monasterii monialium de Rams, tam circa bonorum huiusmodi monasterii mobilium et immobilium conservationem, quam circa monialium emissionem et institutionem, cum plenaria Ordinis potestate, invocando in sui auxilium adiutorium et favorem abbatum vicinorum ac aliorum quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium.

37. Abbati de Fonte salutis in virtute salutaris obedientiae praecipitur, quatinus fratri Ioanni Veldner suo professo ad Sedem Apostolicam pro absolutione cuiusdam irregularitatis habenda transeundi necessitatem habenti, aut de rationabilibus expensis pro huiusmodi ad Curiam romanam transitu et absolutione obtinenda provideat, aut ipsum fratrem Ioannem in suo Fontis salutis monasterio, in suis loco et gradu recipiat et retineat.

38. Fratri Ioanni de Silvanecto, monasterii Caroliloci nuper abbati, sub poena excommunicationis per generale Capitulum praecipitur, quatinus infra festum Omnium Sanctorum quamdam domum in Silvanecto situatam, in qua pendet pro signo figura pavonis, quam dictus de Silvanecto de pecuniis dicti monasterii tempore sui abbatiatus emisse dicitur, tradat et restituat dicto monasterio, prout iuris est; alioquin elapso dicto termino idem Capitulum denuntiat ipsum de Silvanecto huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse, nisi causam allegare voluerit propter quam id minime fieri debeat, ad quam audiendam et decidendam abbati de Ursicampo, s. th. pr., committitur.

39. Abbati de Begar, s. th. pr. per generale Capitulum districte mandando praecipitur, quatinus abbatem de Valle Richerii suas contributiones solvere recusantem, a divinis suspensum

et excommunicatum, palam et publice, denuntiet et promulget ac in valvis ecclesiarum affigat seu affigi faciat, prout sibi videbitur expedire, ipsumque tamdiu suspensum et excommunicatum teneat, quousque huiusmodi contributiones suas ac ipsarum arreragia per ipsum et suum monasterium debita integraliter solverit, merueritque ab ipso de Begar absolutionis beneficium obtinere ; ubi autem huius diffinitionis executionem per se non possit idem de Begar peragere, alteri Ordinis abbati, de quo sibi expedire videbitur, committat.

40. Isto anno renovata est diffinitio alio anno edita super reformatione Angliae, et dati sunt commissarii seu reformatores de Fontibus, de Wardona, de Coggeshale et de Furnesio, et ablata est illa clausula de expositione contributionum, et simpliciter commissa est eis recipiendi potestas et compellendi ad solvendum.

41. Devotionem populi christiani, quam his diebus intemerata Dei Genitrix et Virgo Maria suis nobis miraculis in monasterio Prulliaci excitare dignata est, generale Capitulum sinceris amplectens affectibus, ipsamque benignis prosequens favoribus atque spiritualium largitione beneficiorum semper adaugere summe desiderans, omnibus et singulis utriusque sexus christicolis, praesertim provinciae Senonensis, in qua praefatum Prulliaci monasterium situm est, ecclesiam ipsius monasterii Prulliaci devote visitantibus plenariam bonorum omnium spiritualium, missarum videlicet, orationum, ieiuniorum, eleemosinarum, poenitentiarum, hospitalitatum, abstinentiarum, laborum, ceterorumque divini cultus obsequiorum, quae in dicto monasterio et toto Ordine fiunt, ac de cetero fient, participationem misericorditer idem Capitulum largitur et concedit.

42. Generale Capitulum pio compassionis affectu inopiae et desolationi fratris Antonii Lemo, abbatis monasterii Beatae Mariae de Sagittario, in gratia reverendissimi in Christo patris et domini domini Bissarion, S. R. E. cardinalis episcopi Tusculani, legati Bononiae, capellani continui commensalis, condolens, consideransque, quod etsi universis christifidelibus misericordiae et caritatis viscera exhibere teneamur, hoc maxime fratribus et domesticis nostris obligamur adimplere, omnes et singulos abbates, ceterasque regulares personas Ordinis universi rogat, monet, requirit, hortatur, eisque praecipit, et mandat, quatinus in subsidium, relevationem et redemptionem eiusdem sororis

ac duorum nepotum dicti abbatis, quos, ut asserit, in Constantinopolitanae urbis excidio et calamitate magnus ille Turcarum dominus, totius christianae religionis saevissimus impugnator, accepit et in suis manibus crudelissime ac miserabilissime detinet, de bonis a Deo sibi collatis tribuere ac erogare dignentur ; universis autem christifidelibus, qui eidem Antonio abbati manus porrexerint adiutrices, praesens generale Capitulum plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, missarum, orationum, ieiuniorum, eleemosinarum, aliorumque divini cultus obsequiorum, quae in toto Ordine fiunt ac de cetero fient, misericorditer concedit.

43. Generale Capitulum pro defensione libertatum Ordinis et multiplicibus in Curia romana expensis factis et fiendis, ac pro gratiis et privilegiis de novo impetrandis super gravaminibus Ordini illatis, et nisi celeriter occurratur inferendis, contributionem huius anni ad novem millium florenorum, sicut a quatuor annis citra taxata fuit, imponit, mandando omnibus contributionum receptoribus, quatinus a monasteriis ipsis et cuilibet ipsorum commissis, quottas abbates et conventus monasteriorum ipsorum iuxta dictam impositionem ad solvendum compellant.

44. Quoniam ad notitiam praesentis Capituli generalis deductum relatu nonnullarum personarum fide dignarum sacratissimum Sudarium Domini nostri Iesu Christi, cuius praesentia pro nobis in eo more hominum involvi dignatus est, et totum nostrum specialiter Ordinem illustrare, proh dolor ! minus debite tractari, nec prout decet tantum iocale venerari, tum ratione carentiae personarum religiosarum a quibus eidem sacratissimo iocali minus honeste deservitur, tum ratione raritatis missarum, tum prout praedictarum personarum fide dignarum relatu nobis expositum extitit, aliquoties transeunt duo dies aut plures, quibus in dicta domo sanctissimi Sudarii missa non celebratur ; et frequentissime dictum sanctum iocale sine lumine extitit, quorum occasione ubi adesse deberet celebris devotio, intervenit vehemens divisio, tum ratione inhonestae conversationis religiosorum ibidem deservientium, qui quasi omnes dignoscuntur fore apostatae, tum culpa vel impotentia possessoris, qui in decrepitu constitutus praemissis vacare non valet, tum propter negligentiam prioris et conventus monasterii de Caduino, audiensque generale Capitulum periculum quod evidenter imminet erga

tutam custodiam dicti sacratissimi Sudarii, de qua nonnulli ad quos pertinet conquesti sunt, aliisque causis et rationibus quas hic causa brevitatis omittit inserere, ipsum moventibus, videns denique quod nullum est propitius vel decentius monasterium, cui eiusdem sacratissimi iocalis servitium et custodia pro nunc exhiberi posset, quam monasterium Grandissylvae, quod per Dei gratiam abundat in copia monachorum et bonorum abundantia ; hinc est quod idem Capitulum cupiens quantum cum Deo poterit cultum divini nominis et eius divinum servitium, prout decens est, in praefato Sancto Sudario augere et exaltare, necnon praefatis inconvenientiis et periculis alienationis ab Ordine dicti Sancti Sudarii obviare ac tuitioni eiusdem sancti Sudarii salubriter providere, abbatibus de Bolbona et de Fonte frigido committendo praecipit et mandat quatinus, si de praemissis eisdem legitime constiterit, ipsum sacratissimum Sudarium cum suis membris, iuribus ac pertinentiis perpetuo uniat et incorporet monasterio et conventui monasterii Beatae Mariae Grandissylvae ipsum sanctum iocale et eius membra ac pertinentia a monasterio praedicto de Caduino et ex causa separando et in quantum poterunt dismembrando, et praedicto monasterio Grandis sylvae uniendo et incorporando, propriumque dicti monasterii Grandis sylvae membrum fore declarando, taliter quod liceat abbati et syndico monasterii Grandissylvae aut alteri ipsorum auctoritate propria, imo verius totius et praesentis Capituli generalis dictum sacratissimum Sudarium et eius membra, iura seu pertinentia recipere et recepta manutenere et possessionem eorumdem sibi auctoritate praedicta adiudicare, et hoc videlicet quam primum dictam abbatialem dignitatem dicti monasterii de Caduino vacare contigerit quoquomodo, aut dum nunc vivens abbas et possessor suum liberum ad praemissa praebuerit consensum, dum tamen ipse abbas et possessor nunc existens post adeptam possessionem dictorum sacri iocalis iurium ac pertinentium eiusdem per praefatum abbatem et syndicum monasterii Grandis sylvae gaudeat et potiatur et fruatur dignitate, honore, iuribus et emolumentis ac proventibus dicti sancti Sudarii, tamdiu quamdiu vitam duxerit in humanis, cum pactis et conventionibus sequentibus : primo quod dicti abbas et syndicus monasterii Grandissylvae teneant duos monachos studentes dicti monasterii de Caduino in dicta domo Sancti Sudarii monasterii Grandis sylvae sumptibus et expensis, eisdem providendo de victu et

vestitu condecentibus. Item, quod dicti abbas et syndicus monasterii Grandissylvae tenebunt sex monachos sui monasterii bonae vitae et famae ac honestae conversationis, qui teneantur ibidem celebrare officium divinum, videlicet missas et alias horas canonicas bene et laudabiliter. Item, quod dicti abbas et syndicus teneantur singulis annis in festo Omnium Sanctorum solvere et pagare dictis abbati et conventui de Caduino tantam pecuniae summam, quantum constabit proventus dicti sacratissimi Sudarii valuisse et valere potuisse annuatim a decem annis citra, et hoc postquam abbas et syndicus monasterii Grandis sylvae pacificam dicti iocalis iurium et pertinentiarum tenuerint possessionem, cuius quidem dicti sancti Sudarii valoris inquisitionem et pecuniarum summae praefatis abbati et conventui de Caduino singulis annis in praefato Sanctorum Omnium festo fideliter solvendae, expressionem et taxationem praefatis abbatibus idem generale Capitulum tenore praesentium committit in plenaria Ordinis potestate.

45. Praesens generale Capitulum propter varias ac multiplices rationes sufficienter motum et inductum, ac matura super hoc deliberatione praehabita, continuat seipsum ad duodecimam diem mensis septembris proxime futuram, et propter easdem rationes assignat locum celebrandi dictum Capitulum in monaterio Claraevallensi, ad quos diem et locum ex nunc pro tunc citantur omnes et singuli abbates Ordinis in dictis die et loco personaliter comparituri, salvis in omnibus apostolicis et regularibus Ordinis statutis, domino Cisterciensi benigniter committendo, ut causas urgentes praesentis Capituli diffinire possit et terminare, omnes et singulos abbates, qui in praesenti Capitulo fuerunt debite citati et non comparuerunt, aut excusationes sufficientes miserunt, reputando contumaces.

1456

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo

1456. *Fontes* : L^4 : 1-116 ; *M* : 51, 58, 90, 98 ; P^2 : 1, 13, 51, 53, 54, 58, 85, 90, 92, 98, 104 ; *W* : 117 *deprom ptum ex ms. Dusseld. (U).*

[a] *Titulus apud* L^4.

sexto statuta sunt haec apud Cistercium, duodecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis generali Capitulo.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo... *etc. ut in anno* 1455.
2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1449.
3. Insuper pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis ... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster ... *etc.* contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

[ALIAE DIFFINITIONES]

7. Omnibus et singulis Ordinis abbatibus, generale Capitulum sua monasteria in manus patrum abbatum aut reformatorum Ordinis, resignandi concedit facultatem.

8. Lamentabilem virorum litteratorum in Ordine desolationem praesens generale Capitulum, non sine gravi cordis amaritudine revolvens, tanto efficacius per opportunae provisionis remedium cupit occurrere, quanto lucidius per hoc conspicit ipsum Ordinem ampliora virtutum suscipere incrementa. Provisori igitur, magistro regenti et cellerario collegii Sancti Bernardi Parisius, et cuilibet ipsorum in solidum, in virtute salutaris obedientiae districte praecipiendo committit, quatinus omnes et singulos monasteriorum infrascriptorum abbates et conventus, sub poenis in Benedictina et aliis statutis Ordinis contentis, compellant, et quilibet eorum compellat ad mittendum cum sufficientibus provisionibus infra proximum Pascha unum studentem in praefato Sancti Bernardi collegio ; nomina vero huiusmodi monasteriorum sequuntur : videlicet de Dunis, de Claromarisco, de Vaucellis, de Nigro lacu, de Loco Sancti Bernardi, de Laude,

---

[b] Sub Calixto ; Philippo, card. episc. Bonon; Frederico rege romanorum ; Carolo rege francorum ; Philippo duce Burgundiae ; Joanne abbate Cistercii : *P*[2].

de Ellantio, de Longovillari, de Cambrone, de Benedictione Dei, de Ioyaco, de Fonteneto, de Balerna, de Caroloco, de Theoloco, de Altacumba, de Altocristo, de Alpibus, de Albaripa, de Bella valle, de Bonavalle Viennensi.

9. Visitationem et reformationem monasterii monialium de Corona Cœli, abbati de Langkheim per generale Capitulum hactenus commissam, praesens generale Capitulum certis ex causis rursus eidem committit usque ad septennium, in plenaria Ordinis potestate.

10. Diffinitionem visitationis et reformationis omnium et singulorum monasteriorum in tota natione germanica existentium, ac generationis Morimundi in aliis nationibus, domino Morimundi, s. th. pr., retroactis annis datam et concessam, quoad singula eius puncta, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate.

11. Abbatibus de Heymerod et de Villario Metensi per generale Capitulum praecipitur, quatinus antiquam abbatissam sororem Ioannam de Lapide de Fristof et quatuor ex aliis monialibus, ad alia Ordinis monasteria transmittant, quousque monasterium de Bonavia, in quo nunc sunt, fuerit a debitis exoneratum.

12. Abbatibus de Walkenrod, de Eberbaco et de Cella, praecipit generale Capitulum ut ad reformationem monasterii de Castro aquilae diligentiam adhibeant, in plenaria Ordinis potestate.

13. Cum viros ecclesiasticos et maxime religiosos honestas deceat, omniumque insolentiam et turpitudinem fugere, omnibus et singulis collegii Sancti Bernardi Parisius scolaribus praesentibus et futuris, sub poena excommunicationis per generale Capitulum inhibetur, ne amodo vultus maculationes aut inhonestas contrectationes faciant vel inferant, provisori eiusdem collegii, qui pro tempore fuerit, in virtute salutaris obedientiae districte inhibendo, ne amodo huiusmodi inhonesta et turpitudines fieri quovismodo permittat, in hac parte rebelles et inobedientes per censuram Ordinis coercendo.

14. Abusus varios et scandalosos quorumdam Ordinis abbatum, qui suae salutis obliti omnem disciplinam et correctionem Ordinis fugientes, servitutisque et obedientiae iugum, cui se devotius submiserant a se reiicere molientes, contra tam aposto lica quam regularia eiusdem Ordinis statuta, causas et personas ipsius Ordinis, quas intra Ordinem et per personas ipsius tracta-

ri oportuerat, ipsius Ordinis iustitia minime requisita, ad diversa iudicia tam ecclesiastica quam saecularia trahere ubique, contra propriam conscientiam et iuramentum, secreta Ordinis revelare, multipliciterque famam Ordinis denigrare non erubescunt, praesens generale Capitulum de medio tollere, et per debitae provisionis remedium salubriter occurrere cupiens, conformiter ad statuta apostolica et regularia ipsius Ordinis, auctoritate apostolica roborata, statuit, ordinat et diffinit quod, quicumque abbas aut alia Ordinis persona, ad aliam praeterquam Ordinis audientiam ipsius personas evocare, aut ab eiusdem Ordinis iustitia et iudicio alibi praeterquam ad Summum Pontificem appellare vel per se vel per alium praesumpserit, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, declaratque idem Capitulum contrarium facientes tamquam Ordinis proditores, inobedientes, rebelles et excommunicatos ab omnibus et singulis personis Ordinis cautius evitandos, omnibus et singulis patribus abbatibus et reformatoribus Ordinis districte praecipiendo, quatinus contra tales ad huiusmodi sententiae excommunicationis promulgationem, et ulteriores poenas et sententias in statutis Ordinis contentas indissimulanter procedant, praesentemque diffinitionem notificent, invocato ad hoc quorumcumque dominorum ac iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore.

15. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum in toto regno Angliae et partibus Walliae consistentium, abbatibus de Fontibus, s. th. pr., de Furnesio in provincia Eboracensi, de Wardona et de Coggeshale cum adiuncto secum in Wallia, in provincia Cantuariensi tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committit cum certis clausulis per dominum Cistercii postea declarandis.

16. Ad idem committitur abbati de Dublinia in regno Hyberniae, cum potestate sibi associandi abbatem vel abbates, prout sibi videbitur expedire.

17. Ad idem abbati de Cella Sanctae Mariae, in regno Bohemiae et Silesiae. Ad idem abbati de Comprovincia, in regno Poloniae.

18. Generale Capitulum sufficienter informatum super temeritatibus, insolentiis et praesumptionibus fratris Petri alias Overhof, monachi monasterii de Dunis expresse professi, quibus nedum monasterium ipsum de Dunis et ipsius personas

immerito diffamare, imo et proprii abbatis reverentiam, obedientiam ac subiectionem debitas subterfugiendo et vilipendendo ipsum abbatem suum contra Ordinis instituta ad iudicium trahere et ipsum diffamare non erubuit, ut talibus temerariis et inobedientibus filiis via praecludatur erroris, salubrisque apponatur talibus morbis medicina, praefato abbati de Dunis idem Capitulum in virtute salutaris obedientiae districte dat in mandatis, quatinus ipsum fratrem Petrum capiat, captumque in strictis carceribus detineat usque ad nutum Capituli generalis, invocato ad hoc, si necesse fuerit, quorumcumque dominorum ac iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore.

19. Cum severitate debita refrenari debeat peccantium temeritas, praesens Capitulum abbati de Dunis districte praecipit et mandat, quatinus fratrem Nicasium Arnoldi suum suique monasterii monachum expresse professum, in apostasia, furtis et sacrilegiis non modicis deprehensum taliter secundum Ordinis statuta puniat et corrigat, quod de cetero talia attentare seu committere formidet, sitque sua ceteris correctio in exemplum.

20. Abbati de Caesarea, s. th. pr., per generale Capitulum committitur, quod diligenter examinet causam quam movere intendit abbas in Hilaria contra provisorem collegii Ordinis in Vienna, ipsamque fine debito terminet, in plenaria Ordinis potestate.

21. Contractum vitalitiorum 40 florenorum renensium inter monasterium de Otterburg et sororem Margaretam Daylberg, abbatissam in Macra, tamquam iniustum et inhonestum et nullo iure standum, praesens Capitulum generale cassat, irritat et annullat, mandando abbatibus de Heysterbach, quatinus inhibeat sub excommunicationis et depositionis poena eidem abbatissae, ne amodo aliquid exigat ratione praedicti tractatus a praedicto monasterio de Otterburg, et si in hoc rebellis fuerit, ad ulteriores poenas et sententias procedat, in plenaria Ordinis potestate.

22. Abbati de Aceyo per generale Capitulum praecipitur, quatinus fratrem Gerardum de Pagneyo, suum professum a lepra percussum, de medio aliorum tollat eumque seorsum habitare faciat, et de camera seorsum ac necessitatibus provideat, prout iuris est et rationis.

23. Fratri Iacobo Roys monasterii de Populeto professo, in civitate Parisiensi studenti, in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis poena districte praecipiendo mandatur

per idem Capitulum generale, quatinus infra octo dies a notificatione computendos, ad collegium Sancti Bernardi suum in eodem prosecuturus studium personaliter accedat, permaneatque in eodem, aut ad proprium monasterium redeat, non obstante quacumque praeterita licentia per ipsum a domino Cistercii obtenta, omnibus et singulis praefati collegii scolaribus graduatis et non graduatis inhibendo, ne sibi aliquam iniuriam faciant aut inferant.

24. Generale Capitulum abbatibus de Frigido monte et de Bello prato Belvacensi committit, quatinus diligenter se informent an tractatus, cui praesens diffinitio annectitur, pro utilitate monasterii de Fulcardimonte sit factus, super quo proximum generale Capitulum debite informare non omittat.

25. Abbatem de Insula Barrensi sub poena excommunicationis sufficienter monitum ad mittendum unum scolarem Parisius infra festum Paschae novissime lapsum, quia nondum misit, licet numerum et facultatem sufficientem habuerit, et habeat, praesens generale Capitulum in his scriptis denuntiat excommunicatum, et ipsum nihilominus in his scriptis monendo, quatinus infra proximum festum Omnium Sanctorum ad idem Parisiense studium cum provisione debita fratrem Nicolaum de Heppen transmittat, sub poena solvendi duplum expensarum, quas idem studens fecisset, si in dicto studio praesens extitisset, ad cuius dupli solutionem abbas de Tribus fontibus ipsum, si huiusmodi studentem transmittere infra praedictum terminum distulerit, per censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate, quod quidem duplum idem de Tribus fontibus cellerario Sancti Bernardi transmittat in reparationem dicti collegii convertendum.

26. Generale Capitulum sufficienter informatum super pluribus infamiis, diffamationibus et scandalis quibus in monasterio Sancti Hilarii, Hylerdensis, occasione ingressus plurium personarum saecularium in ipsum monasterium Sancti Hilarii exortis, abbatissae eiusdem monasterii sub poena excommunicationis et depositionis inhibetur, ne huiusmodi saeculares ipsum monasterium et Ordinis famam denigrantes introducat seu introduci faciat vel permittat.

27. Licet Ordo noster Cisterciensis variis et multis indulgentiis et privilegiis a priscis temporibus sit munitus atque dotatus, ad praesentis tamen Capituli audientiam dolenter pervenit,

quod ipsa privilegia et indulgentiae in diversis mundi partibus, et praesertim in Thuringia, Miscena, Saxonia, Hassia, Westphalia et partibus circumvicinis multipliciter, multisque modis impugnantur, enervantur atque laeduntur in maximum Ordinis et personarum ipsius praeiudicium et scandalum, quibus praesens generale Capitulum de remedio cupiens providere opportuno, statuit, ordinat et diffinit quod omnes et singuli praedictarum partium abbates, singulis annis solvant et tradant abbatibus de Walkenrode et de Cella Beatae Mariae summam duarum coronarum Franciae vel valorem ipsarum, ut ipsae summae per ipsos receptae conserventur in defensionem huiusmodi privilegiorum, et non alias convertendas ; ad cuius quidem summae solutionem ipsi de Walkenrode et de Cella universos et singulos huiusmodi partium abbates per censuras Ordinis compellant, in plenaria Ordinis potestate, dum tamen adversus Ordinem aut suos superiores non militent, in convocatione patrum abbatum fidele computum de receptis reddituri.

28. Abbati de Heymmerode per generale Capitulum committitur, quatinus ad instantiam domini archiepiscopi Coloniensis, et praepositi Maguntinensis, moniales de monasterio Sanctae Catharinae prope Lyns oppidum expellere et loco earum religiosos secundum facultatem monasterii ponere et taxare valeat, in plenaria Ordinis potestate.

29. Domino Cisterciensi per generale Capitulum committitur, quatinus praeceptum factum per abbatem Bonae vallis Pictaviensis, super abbatiali dignitate monasterii de Columna, videat et examinet, ipsumque processum confirmet vel infirmet, vocato abbate Prulliaci, eiusdem monasterii de Columna patre abbate, in plenaria Ordinis potestate.

30. Ad instantiam abbatis de Ursicampo, s. th. pr., cum fratribus Ioanne Lardin, Guillelmo Grissin, et Geraldo Monstreclo, monasterii eiusdem de Ursicampo monachis expresse professis, misericorditer dispensatur, quod non obstante infamia et inhabilitate, quam per aliquod temporis spatium evagando per saeculum contraxerunt, propter quod merito inhabiles reputati sunt, ad actus Ordinis legitimos, voces, gradus, officia et dignitates, etiam abbatiali inclusa, promoveri valeant et assumi.

31. Ad idem cum sorore Maria de Lens, in monasterio monialium Vallis benedictae professa (pro puerperio).

32. Ad idem pro fratre Petro de Gendre, monasterii de Aceyo professo (pro apostasia).

33. Ad idem pro fratre Guillelmo Garnier, monasterii de Stella Pictaviensi professo (pro carnis contagio).

34. Ad idem pro fratre Ioanne Chambrelent, monasterii de Valloliis professo (pro apostasia).

35. Generale Capitulum sufficienter informatum de vita laudabili, scientia et bona dispositione ad actus scolasticos et virtuosos fratris Ioannis Bloy, monasterii de Castellariis monachi, ac studentis in collegio Sancti Bernardi Parisius, in sacra pagina baccalarii formati, ipsum propterea usque ad magisterium inclusive retinet et mandat retineri in praefato collegio Sancti Bernardi Parisius, mandatque abbati et officiariis dicti monasterii de Castellariis, quatinus usque ad dictum magisterium praedicto fratri Ioanni Bloy de necessitatibus sufficientibus provideant, domino Claraevallensi, s. th. pr., committendo, quatinus ad praedicta observanda per dictos abbatem et officiarios de Castellariis per censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

36. Ad idem pro fratre Ioanne de Marreyo, monasterii de Gratia Dei professo, in sacra pagina baccalario et studenti dicti collegii Sancti Bernardi, conceditur.

37. Cum secundum Ordinis statuta, pro aliqua monasterii dispositione principes et potentes adiri minime debeat, conformiter ad ipsa statuta, et sub poenis in eisdem contentis praesens generale Capitulum inhibet districte conventui monasterii de Longovillari, ne aliquos dominos vel potentes pro ipsius monasterii dispositione, ordinatione, statu aut ad audiendum computa vel alias, adire praesumant.

38. Abbati de Novo castro per generale Capitulum misericorditer conceditur, quatinus dehinc ad triennium omnibus et singulis christicolis utriusque sexus ad relevationem et reaedificationem sui monasterii manus adiutrices porrigentibus participationem omnium bonorum spiritualium, quae in toto Ordine fiunt, et Domino concedente de cetero fient, possit indulgere.

39. Abbati de Comprovincia per generale Capitulum committitur conformiter ad diffinitionem anno Domini 1450 editam, quatinus omnes et singulos Ordinis abbates regni Poloniae ad mittendum scolares suos ad studium Cracoviense, cum debitis provisionibus et expensis, per censuras Ordinis compellat, in plenaria potestate.

40. Attenta monasterii Bullencuriae paupertate et inopia, praesens generale Capitulum, pro anno praesenti dumtaxat, misericorditer moderat et remittit quottam contributionis sibi impositae ad duos florenos.

41. Ad idem pro abbate de Altofonte.

42. Ad idem pro abbate de Cheminione.

43. Per generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae, abbati de Fonte frigido praecipitur, quatinus fratrem Petrum de Espineyo, monachum monasterii de Bullione expresse professum, infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum ad proprium monasterium de Bullione remittere non omittat.

44. Abbati Fossae novae, s. th. pr., ac procuratori generali Ordinis in Curia romana, per generale Capitulum committitur, quatinus per omnes vias sibi possibiles revocationem cuiusdam summae 60 florenorum per fratrem Eberhardum Molitor, apostatam monasterii de Alba, pro abbate monasterii de Gelassaro, supra dictum monasterium de Alba a domino nostro Summo Pontifice impetratam tamquam nimiam et excessivam, ad expensas dicti monasterii de Alba faciat fieri et procuret, omnibus et singulis Ordinis abbatibus committendo, quatinus praedictum fratrem Eberhardum, ubicumque repertus fuerit, capiant seu capi faciant et incarcerari usque ad nutum Capituli generalis.

45. Abbati Sanctarum Crucium, s. th. pr., per generale Capitulum conceditur, quod cum de Laus pluribus regularibus personis abundet, de ipsis suis religiosis monasterio Bolbona propriis religiosis per mortem destituto, valeat providere.

46. Generale Capitulum abbati de Longovillari, misericorditer concedit, ut omnes et singulas personas regulares sibi subiectas, semel in foro conscientiae absolvere valeat ab omnibus et singulis casibus, peccatis et sententiis generali Capitulo reservatis, quodque idoneum confessorem de Ordine sibi valeat eligere, qui ipsum ab huiusmodi casibus valeat absolvere.

47. Contractus vitalitiorum sororum Elisabeth Mentelerin, monialis in Inferiori Schonveld, super anniversario et aliis praetensis ibidem, generale Capitulum tamquam iniustum et invalidum cassat penitus, revocat et annullat ; eidem sorori in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena districte mandando, quatinus in huiusmodi negotio suo visitatori obediat.

48. Generale Capitulum de damnabili et sinistro regimine

monasterii abbatis Vallis regalis in Anglia dolenter informatum, abbatibus de Wardona et de Coggeshale, in virtute salutaris obedientiae et sub excomunicationis poena, dictricte mandando et praecipiendo committit, quatinus ad praedictum Vallis regalis monasterium personaliter accedentes, reformanda reforment et corrigenda corrigant, in plenaria Ordinis potestate.

49. Ad supplicationem domini comitis Willermi de Oeting, ac abbatissae et conventus monasterii in Zimmern, abbati de Fonte salutis per generale Capitulum committitur, quatinus secundum suam conscientiam cum praedictis dispensare valeat ut impignorare vel ad vitas hominum vendere, quantum sibi videbitur expedire pro ipsius monasterii relevatione, in plenaria Ordinis potestate.

50. Ad instantiam et humilem supplicationem magistri Gaufridi de Constantino, s. th. pr., monasterii de Alneto professi, quod monasterium multas et varias habuit expensas in promotione dicti magistri Gaufridi ad magisterium sustinere, praesens generale Capitulum contributiones per ipsum monasterium de Alneto debitas per quinquennium, a fine quinquennii iam sibi per aliam diffinitionem concessi computandum, penitus quittat et remittit, in subsidium et sublevationem expensarum dicti magistri Gaufridi convertendas.

51. Singularem affectionem et pium [c] zelum, quem ad relevationem reaedificationemque collegii Sancti Bernardi Parisius dominus Firmitatis, s. th. pr., in animo gerit, et effectu volens praesens generale Capitulum prosequi, eidem domino Firmitatis favorabiliter concedit, ut certum locum in dicto collegio ad hoc congruum et opportunum valeat eligere, in quo iuxta suae probae maturitatis discretionem, pro se suisque successoribus et monachis habitationem aedificare possit, sic tamen quod nullum cuiquam praeiudicium afferat vel documentum [d].

52. Cum privilegia Ordinis communia et libertates communibus expensis tueri debeant et defendi, et magistri Ioannes de Pratis, s. th. pr., pro monasterio Fusniaci, et Guillelmus pro monasterio Signiaci contendentes, pro tuitione et defensione huiusmodi privilegiorum et libertatum, multiplices habuerint et adhuc habeant sustinere expensas, subsidium caritativum abbatibus omnibus etiam abbatissis Ordinis totius provinciae

[c] praecipuum : *MP*². [d] gravamen : *M*.

Remensis praesens generale Capitulum imponit, de Ursicampo, s. th. pr., et de Tribus fontibus monasteriorum abbatibus committendo, quatinus huiusmodi subsidium fideliter imponant, impositumque per censuras Ordinis solvi compellant, praedictis de Fusniaco et Signiaco, prout opus fuerit distribuendum, de super quo fidele computum domino Cisterciensi reddere tenebuntur.

53. In favorem mutui ducentorum scutorum auri quod pro reaedificatione collegii Sancti Bernardi lamentabiliter ruinosi, dominus Firmitatis, s. th. pr., favorabiliter impertiri dignatur usufructuum, et receptionem omnium et singulorum praefati collegii reddituum usque ad plenam et integram huiusmodi mutui refusionem, praesens generale Capitulum concedit et committit, dempto redditu stalarii Furnensis.

54. Ad idem abbati de Dunis pro eodem redditu stalarii Furnensis, qui ad huiusmodi collegi reaedificationem centum mutuare permittit.

55. Abbatibus de Eberbaco et de Villario Metensi committit generale Capitulum quatinus debite informent si venditio et alienatio trium domorum, in civitate Trevirensi ad abbatem de Heymerod, pertinentium debeant cedere ad huiusmodi monasterii utilitatem, quod si ita invenerint, licentiam ipsas vendendi valeant concedere, in plenaria Ordinis potestate.

56. Attenta paupertate et inopia monasterii de Otterburg, contributiones dicti monasterii, dehinc ad quinquennium, praeens generale Capitulum moderat et remittit ex uberiori gratia, sabbatem ipsius monasterii a missione studentis ad universale studium absolvendo.

57. Ad humilem supplicationem et requestam abbatis monasterii de Recluso, generale Capitulum monasterium ipsius, attenta paupertate, a solutione contributionum per immediate sequens quinquennium penitus quittat et absolvat.

58. Abbatem Regalis montis, s. th. pr., provisorem et cellerarium collegii Sancti Bernardi Parisiis, et quemlibet eorum in solidum praesens generale Capitulum suos constituit et ordinat procuratores generales et nuntios speciales ad promovendum, procurandum, tractandum et appunctuandum, pro et nomine totius Ordinis, cum reverendis doctoribus et magistris sacrae theologiae professoribus Universitatis Parisiensis, ut omnes et singuli collegii Sancti Bernardi Parisiis studentes, more studen-

tium collegii Cluniacensis et aliorum de Ordine sancti Benedicti, ad lecturas bibliae et cursum sententiarum, actusque et gradus scolasticos valeant promoveri, secundum privilegia Ordinis Cisterciensis concessa ; dans eisdem procuratoribus plenariam potestatem renuntiandi privilegiis et consuetudinibus eisdem studentibus Sancti Bernardi concessis, quibus more Mendicantium ad huiusmodi lecturam bibliae et sententiarum, ac ad licentiam hactenus consueverunt promoveri ; promittens idem Capitulum bona fide ratum et gratum habere, quidquid per dictos procuratores nostros aut alterum eorumdem tractatum, procuratum, appunctuatum extiterit, seu renunciatum, in praemissis et quolibet praemissorum. Datum ... etc.

59. Cum, sicut ad praesentis Capituli audientiam dolenter pervenit, lis seu controversia sit mota et pendeat inter abbates de Fontibus, s. th. pr., ex una et de Woburnia eidem de Fontibus immediate subiectum ex altera partibus, praesens generale Capitulum huiusmodi litem et controversiam salubriter terminare cupiens, abbatibus de Bella landa et de Melsa Eboracensi, et de Pipewel monasteriorum abbatibus praedictas partes ad certum tutum locum, per censuras Ordinis, coram ipsis convocandi et citandi huiusmodi litem et controversiam audiendi, tractandi, examinandi, diffiniendi et determinandi, similiterque sententiandi in eadem cum potestate huiusmodi lite pendente, praefatum monasterium de Woburnia visitandi, reformandi, corrigendi, instituendi et destituendi, omnia et singula, quae tam in capite quam in membris, videbunt aut invenerint esse visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, invocato ad hoc quorumcumque dominorum et iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore. Omnibus igitur et singulis praefatorum monasteriorum de Fontibus et Woburnia, ceterisque Ordinis subditis regularibus personis in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena firmiter dat idem Capitulum in mandatis, quatinus eisdem de Bella landa, de Melsa et de Pipewel pareant humiliter et devote.

60. Diffinitionem visitationis et reformationis omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant, in regnis et dominiis regis Arragonum, abbati Sanctarum Crucium, s. th. pr., annis retroactis, datam et concessam, quoad singula eius puncta, praesens generale Capitu-

lum dehinc ad triennium continuat et renovat, in plenaria Ordinis potestate.

61. Fratrem Ioannem de Seri dudum abbatem de Sygniaco, Ioannem de Bulsicourt, Ioannem de Puteolis, Petrum de Alneto et Ioannem de Aubigny, cum sibi adhaerentibus fratribus propter suas contumacias, rebelliones, inobedientias aliaque diversa sua crimina quibus etiam laboravit et laborat contra Ordinis libertates, praesens Capitulum generale denuntiat fore et esse excommunicatum et excommunicatos, aliisque poenis diversis plectendos, et inhibet sub poena conspirationis priori, subpriori, cellerario, ceterisque officiariis praedicti monasterii Sygniaci, ne eidem fratri Ioanni se socient aut sibi aliquid administrent quousque beneficium absolutionis obtinere promeruerit, praecipitque et mandat idem generale Capitulum omnibus et singulis Ordinis personis cuiuscumque dignitatis existant, et super hoc fuerint requisitae, quatinus praesentem diffinitionem, alter alterum non expectantes, debitae executioni demandent.

62. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ioannis Besronis ad abbatialem dignitatem in monasterio de Thela, alias de Montheront, ex resignatione domini Stephani Zeloti, quondam abbatis eiusdem monasterii praedicti de Thela, per abbatem de Alto cristo commissarium, rite et canonice factas, prout in decreto cui nostrae praesentes annectuntur, plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

63. Ad idem pro fratre Petro de Parisiis per abbatem de Fonteneto, seu eius commissarios, ad monasterium de Excallens ordinato et promoto.

64. Ad idem pro fratre Ioanne de Castelleto per dominum Pontigniaci, ad monasterium de Fonte Ioannis ordinato et promoto.

65. Ad idem pro fratre Guillelmo in sacra theologia licentiato, monasterii Vallis Sancti Lamberti religioso, electo et confirmato per dominum Claraevallensem, s. th. pr., et abbatem de Igniaco ad monasterium de Signiaco.

66. Ad idem pro fratre Ioanne de Bagneux per dominum Claraevallensem, s. th. pr., seu eius commissarios, per electionem promoto a monasterio de Excallens ad monasterium de Regniaco, prout in decreto, etc.

67. Ad idem pro fratre Petro Pipon, per abbatem Regalis

montis, s. th. pr., auctoritate domini Cisterciensis commissarium, assistente sibi per electionem ad monasterium de Briostel, alias de Lanneyo, assistente etiam patris abbatis commissario, eidem monasterio promoto.

68. Ad idem pro fratre Erasmo, per abbatem de Ylaria per viam compromissi electo et promoto ad monasterium de Cella angelorum.

69. Ad idem pro fratre Hugone de Pulcrovisu, per dominum Pontigniaci promoto per electionem ad monasterium de Bonoradio.

70. Ad idem pro fratre Ioanne Wagner, per electionem ad monasterium de Maris stella per abbate de Salem, patrem abbatem eiusdem monasterii de Maris stella promoto.

71. Ad idem pro fratre Thoma Munemothe, per electionem ad monasterium de Tinterna per abbatem Wardonarum promoto.

72. Ad idem pro fratre Georgio Bourgeois electo, et per dominum Claraevallensem, s. th. pr., ab abbatialem monasterii de Moris promoto.

73. Ad idem pro fratre Ioanne de Sancta Agata, ad monasterium de Ferraria per electionem et per dominum de Berola seu abbatem de Rivo sicco eius commissarium, prout in decreto patet, etc.

74. Ad idem pro abbate de Tribus fontibus.

75. Frater Ioannes abbas Cistercii, nostri totius Ordinis geralis Capituli plenaria potestate fungens, venerabilibus coabbatibus nostris, ... *(nil aliud in ms).*

76. Fratri Ioanni Crotier, dudum monasterii de Miratorio abbati, per generale Capitulum praecipitur, quatinus omnia et singula bona in memoriali, cui praesens diffinitio annectitur, declarata, abbati moderno eiusdem monasterii de Miratorio, sub poena proprietarii, furti seu sacrilegii indilate, visis praesentibus, restituat.

77. Frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod cum de et super quodam processu seu moveri sperato inter venerabilem abbatem monasterii Fossae novae, s. th. pr., et carissimum fratrem Martialem, ratione dignitatis abbatialis monasterii Fontisfrigidi, Narbonensis dioecesis, se penitus sententiae nostrae et determinationi submiserint, seque firmiter servaturum perpetuo promiserint

id quod per nos decisum et sententiatum fuerit, licet tam ex canonica electione de persona eiusdem abbatis Fossae novae ad dignitatem abbatialem ipsius monasterii Fontisfrigidi, quam ex bullis Sanctissimi Domini nostri Papae pro parte ipsius abbatis Fossae novae exhibitis, visisque etiam omnibus et singulis per eumdem fratrem Martialem productis, nobis sufficienter apparuerit praefatum abbatem Fossae novae ius habuisse et habere in ipsa dignitate abbatiali dicti monasterii Fontisfrigidi, et ius ipsum etiam praefato Martiali consentiente, approbante et ratum habente, eidem abbati Fossae novae adiudicaverimus ; nihilominus quoniam praefatus abbas Fossae novae ex mera liberalitate coram nobis iuri praefato, quod sibi in dicto monasterio Fontisfrigidi competebat, et idem per nos sententiatum et adiudicatum fuerat, penitus, simpliciter et absolute in manibus domini Cistercii cessit et renuntiavit ; hinc est, quod eiusdem fratris Martialis idoneitatem, sufficientiam, circumspectionem, ceterasque virtutes considerantes, ipseque dominus Cistercii praefatum Martialem in abbatem et pastorem dicti monasterii Fontisfrigidi auctoritate Ordinis creavit, promovit, instituit et ordinavit, sperantesque in eo qui virtutes largitur et proemia, monasterium ipsum Fontisfrigidi per solertem diligentiam, et circumspectam directionem eiusdem Martialis, gratia Dei dirigente, felicia in spiritualibus et temporalibus reportaturum incrementa, huiusmodi cessionem, renuntiationem praefati abbatis Fossae novae super praefato iure monasterii Fontisfrigidi, necnon creationem, promotionem, ordinationem et institutionem ipsius fatris Martialis in abbatem eiusdem monasterii Fontisfrigidi per eumdem dominum Cistercii factam ratificavimus, confirmavimus et approbavimus, tenoreque praesentium ratificamus, confirmamus et approbamus ; omnibus igitur et singulis eiusdem monasterii Fontisfrigidi regularibus personis et vacellis firmiter damus in mandatis, quatinus ipsum Martialem tamquam verum et indubitatum eorum abbatem suscipiant, ac eidem debitas reverentiam et obedientiam humiliter et devote reddant. Datum Cistercii sub sigillo praefatorum Diffinitorum eiusdem Capituli, anno Domini 1456, die 14 mensis septembris.

78. Abbatibus de Tribus fontibus, de Longovado, et de Moris, et cuilibet eorum per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes abbates et abbatissas, et utriusque sexus personas Ordinis quos et quas alter eorum invenerit domino abba-

tis Claraevallis, s. th. pr., et eius monasterio in aliquibus pecuniarum summis, vel rebus aliis quibuscumque obligatos seu debite teneri, per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia ad satisfaciendum eidem et suo monasterio viriliter et debite compellant, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

79. Ad idem pro abbate de Caroliloco, abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., de Vallibus Sernaii et provisori collegii Sancti Bernardi, Parisiis.

80. Ab idem pro abbate de Tribus fontibus,dominis abbatibus de Claravalle et de Morimundo, s. th. pr., et cuilibet ipsorum in solidum.

81. Ad idem pro abbate Ursicampi, s. th. pr., abbatibus de Longo ponte et de Gardo.

82. Ad idem pro abbate de Prulliaco ,abbatibus de Regalimonte, de Caroliloco, de Locoregio et de Albis petris.

83. Abbati de Carraceto per generale Capitulum committitur, quatinus ad monasteria de Spina in Castella et de Melone in Galecia personaliter accedens,assumptis abbate vel abbatibus, quem vel quos assumendis dignum duxerit, si necesse sibi visum fuerit, aut indiguerit, eadem monasteria in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, visitet et reformet, omniaque et singula quae in eisdem monasteriis et quolibet ipsorum visitanda et reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda invenerit, abbatesque eorumdem monasteriorum, si clarescentibus eorum criminibus et culpis, de quibus graviter delati sunt in eodem Capitulo, a dignitate abbatiali deponendo, et alios novos abbates per electionem canonicam aut provisionem, secundum papalia et Ordinis instituta consuetam instituendo, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

84. Generale Capitulum declarat processum per abbates de Moris et de Valle regis, commissarios domini Claraevallis, s. th. pr., super destitutione fratris Cousin, et institutione fratris Ioannis Motois, quondam monachi professi et cellerarii monasterii de Vaucellis, legitime beneque fuisse et esse factam, necnon electionem et promotionem inde secutas ratificat et approbat.

85. Abbati de Carraceto committitur per generale Capitulum, quatinus se informet quibus viis, modis et titulis frater Aries, qui se gerit pro abbate de Ursaria seu Ossera fuit aut est abbas eiusdem monasterii, et si invenerit antiquum abbatem, qui ante dictum Arietem praesidebat, non renuntiasse in consis-

torio secreto Domini Papae, quodque in bullis provisionis ipsius Arietis non sit expressum renuntiasse, et quod Dominus noster Papa non dicat in dictis bullis de consensu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ipsum Arietem declaret et publicet, ubi oportebit et sibi visum fuerit, fuisse et esse excommunicatum, et non esse abbatem, cum excommunicatus gratiam dignitatis impetrare aut obtinere non possit, declaretque ipsum Arietem contra privilegia et gratias per Summos Pontifices Ordini concessas egisse, propter quod venit puniendus et dignitate privandus, si quam iusto titulo haberet, privetque dictum Arietem suo praetenso et falso iure et monasterio, secundum papalia et Ordinis instituta, de persona sufficienti et idonea provideat, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

86. Generale Capitulum vidit provisionem per dominum nostrum Papam modernum factam fratri Herverio Auberi, super dignitate abbatiali monasterii de Domo Dei, alias de Nigro lacu, domino Claraevallis, s. th. pr., immediate subiecto, ipsamque ob reverentiam dictae Sedis Sanctae Apostolicae laudavit, gratamque habuit et habet; mandans omnibus personis regularibus eiusdem monasterii, quatinus eidem Herverio eorum abbati, qui patri abbati praedicto et Ordini solemniter promisit esse verus obediens, incunctanter et omni scrupulositate postposita obediant et secundum regularia statuta pareant.

87. Abbati de Tribus fontibus per generale Capitulum committitur, quatinus se informet de occisione cuiusdam novitii in monasterio de Caladia, casu fortuito occisi, in praesentia fratris Ioannis Florent, monachi monasterii praedicti de Caladia, et si invenerit eumdem fratrem Ioannem in aliqua levi culpa aut causa mortis dicti novitii, oppressione seu casu cuiusdam arboris, occisi esse obnoxium, ipsum absolvat et iuxta suae culpae modum puniat, in dicti Capituli generalis plenaria potestate.

88. Cum exigentibus gravibus criminibus, excessibus et nefandis actibus fratris Ioannis Daharo, asserti abbatis de Ferraria, anno Domini 1454, per abbatem de Loco regio, commissarium pro tunc in regnis Castellae et aliis Hispaniae regnis, fuerit idem Daharo iuxta apostolica et Ordinis nostri instituta legitime a dignitate abbatiali et omni honore praelationis, regimineque spirituali et temporali dicti monasterii de Ferraria depositus, et in ipsius Ordinis nostri generali Capitulo anni 1454, viso processu depositionis praedictae fuerit sententia depositionis praedic-

tae approbata, dictumque quod legitime processum fuerit ; et nihilominus post huiusmodi depositionem et novi abbatis institutionem mala malis cumulando, abbatem qui ei successerat, occiderit aut occidi procuraverit, prout Capitulo relatum est, bonaque ipsius monasterii in magna quantitate rapuerit et aspostataverit, mineturque graviora scandala facere in dedecus et gravamen dicti monasterii et Ordinis, nisi celerius occurratur, generale Capitulum diffinitionem alias super depositione sua factam approbat et denuo declarat esse legitime factam, mandans abbatibus de Carraceto, de Sancto Prudentio, de Boscheto et de Mathaplana, quatinus depositionem praedictam, hac nostra confirmatione roboratam, executioni demandent, ipsumque fratrem Ioannem capiant aut capi faciant et incarcerent, et iuxta suorum exigentiam criminum puniant, in plenaria ipsius Capituli et Ordinis potestate, invocato ad hoc venerabilium carissimorum commendatorum et religiosorum magistratuum de Calatrava et Alcantara, de Avis et de Montesia, et quorumcumque dominorum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore.

89. Cum abbas Sacramoeniae commissarius esset ad iura Ordinis tuenda et defendenda, criminaque punienda, et ad aures Capituli generalis deductum fuerit, quod virum criminosum, et propter sua demerita a dignitate abbatiali, qua in monasterio de Ferraria erat sublimatus, legitime depositum in errore suo nutriverit et ei favores et honores exhibuerit, ipsum in gradum pristinum restituendo, de quo potestatem non habebat, sed excessit terminos suae commissionis, ipsum generale Capitulum declarat praetensam potestatem non habuisse, irritaque omnia per ipsum circa istam materiam facta et attentata ; mandans abbatibus de Carraceto, de Sancto Prudentio, de Mataplana et de Boscheto et eorum cuilibet, quatinus praesentem diffinitionem eidem de Sacramœnia intiment, aut legitime intimari faciant.

90. Quia a diebus multis monasterium de Valle bona in regno Castellae se substraxit et divisit ab unitate Ordinis, licet magna industria laboratum sit, et plurima sollicitudine et diligentia quaesitum et procuratum, quatinus reverti curarent religiosi ipsius monasterii ad eiusdem Ordinis unitatem, qui in sua pertinacia et singulari opinione perdurantes reverti contempserunt, propter quod veniunt apud Deum et homines nimium [e] culpandi

---

[e] magis : *M*.

et puniendi, ac iuribus, libertatibus, honoribus et dignitatibus, quibus in ipso Ordine temporibus, quibus in ipso dum unanimiter vivebant, gravisi sunt et gaudebant, merito privandi ; hinc est quod generale Capitulum ipsos rebelles et inobedientes de Valle bona, et monasterium ipsum a iure paternitatis, quod habebant et habere praetendebant in monasteriis de Mathaplana [f], de Palatiolis et aliis quibuslibet, ipsos privat et excludit, et curae ac regimini domini Cistercii per omnia supponit, salvo iure domini Morimundi, inhibendo omnibus abbatibus et personis regularibus dicti Ordinis, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, ne absque licentia ipsius domini Cistercii aut generalis Capituli, paternitatem in aliquo eorumdem monasteriorum aut visitationem exercere praesumant.

91. Generali Capitulo extitit intimatum quod dominus Iacobus de Lanis, sacrorum decretorum doctor, in lecto iugiter degens et propter suae senectutis et infirmitatis incommoda ad regimen sui monasterii de Cadunio non valens, ut decet et cupit,intendere, timensque ne si in manu debili ipsum resignaret, magnis et irreparabilibus subiaceret incommodis, attento quod reverendus pater dominus episcopus Condonnensis ius habere praetendit in eodem monasterio, estque lis pendens in Parlamento Tolosano in manu forti et personae Ordinis quae possit eidem episcopo resistere, procuravit et per procuratorem suum in manu domini Legati nunc in Francia existentis resignavit, pensione sibi retenta, qui quidem dominus Legatus, accepta renuntiatione ipsum monasterium de Cadunio in commendam tradidit abbati de Bullio, Lemovicensis dioecesis, qui humiliter rogavit et requisivit ipsum Capitulum et dominum Pontigniacensem patrem abbatem, quatinus dictam commendam gratam et acceptam haberent, ipsum generale Capitulum de consensu dicti patris abbatis, domino Cistercii et suae dispositioni et ordinationi committit et remittit, in plenaria ipsius Capituli et Ordinis potestate disponendum et ordinandum.

92. Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo, anno Domini 1456, die 14 mensis septembris apud Cistercium celebrato facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis : Ad generalis

---

[f] Macha-Plana : *MP*[2].

Capituli pervenit notitiam, quod magister Iacobus de Lanis, sacrorum decretorum doctor, propter suae imbecillitatis, infirmitatis et senectutis incommoda, ad sui monasterii in spiritualibus et temporalibus regimen non valens intendere, praecavensque ne gravioribus subiaceret incommodis, in manus domini Legati nunc in Francia degentis, ipsum monasterium resignavit, sibi pensionem retinendo, et resignatione ab eodem domino Legato accepta, ipsum monasterium fratri Petro de Gano [g], abbati monasterii de Bullio, curam, regimen et administrationem tradidit, ut pensionem per se assignatam eidem de Lanis annuatim solvere non omitteret ; visis igitur supradictis, consideratisque considerandis in hac parte, et quae rationabiliter animos Diffinitorum movere potuerunt, generale Capitulum dictam resignationem, provisionemque eidem de Bullio, ut praemittitur, per dominum Legatum factam, gratam et acceptam habuit et habet idem Capitulum, et eumdem Petrum de Gano [g] verum et indubitatum abbatem seu administratorem eiusdem monasterii esse declarat et decernit, mandatque priori, suppriori, cellerario et omnibus eiusdem monasterii de Cadunio regularibus personis, quatinus eumdem Petrum de Gano in eorum et dicti monasterii verum et legitimum abbatem recipiant, et eidem tamquam eorum vero abbati obediant, professionemque faciant, et per omnia secundum papalia et regularia Ordinis statuta humiliter pareant et obediant, in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis poena districte praecipiendo ; ne contra praemissa quidquam attentare praesumant. Datum sub sigillo praefatorum Diffinitorum, anno, die, mense, etc.

93. Quia per abbatem Loci regii, commissarium domini Cistercii, abbas de Fonte Guillelmi ad respondendum abbati de Ribelto super restitutione aliquorum bonorum eidem abbati de Ribelto et suo monasterio pertinentium, et aliis quae sibi obiicerentur, prout patuit in scriptis, qui quidem de Fonte Guillelmi reus minime comparuit,dicto de Ribelto, per abbatem de Fesia procuratorem suum comparente, propterea praesens generale Capitulum dictum de Fonte Guillelmi ad instantiam dicti de Fesia procuratoris, supradictum contumacem declarat, mandando omnibus personis nostri Ordinis super hoc requirendis, quatinus eumdem contumacem denuntient et ad secundam diem generalis

---

[g] Grano : P^2.

Capituli proxime celebrandi responsurum promotori causarum super omnibus, quae sibi obiicientur, citent vel citet alter eorum, mandans idem Capitulum omnibus personis Ordinis super hoc requirendis, quatinus informationes ad instantiam eiusdem de Ribelto super causa pro qua agere disponit contra eumdem de Fonte Guillelmi faciant, et si iam sunt aliquae factae, recurrant et Capitulo debite mittant.

94. Quia, prout in scriptis sufficienter apparuit, fratres Geraldus Oudam et Petrus Vitalis contendentes de abbatiatu monasterii Sancti Marcelli, per abbatem Loci regii fuerant citati ad secundam diem huius Capituli ad docendum de iure, quod ipsorum quilibet habere praetendit in eodem monasterio, non comparente igitur dicto Geraldo, ad instantiam dicti Vitalis per procuratorem comparentis, dictum generale Capitulum eumdem Geraldum declarat contumacem, committitque abbati Grandis silvae, s. th. pr., quatinus partibus coram se vocatis et auditis audiendis, faciat et ministret eis breve iustitiae complementum, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

95. Generale Capitulum per diffinitionem anno Domini 1441 editam, per quam concessum est abbati Sancti Martini de Boscis, alias Vallis serenae, quatinus posset vendere seu permutare aliquas haereditates, declarat non fuisse intentionis ipsius Capituli, quod idem abbas venderet seu permutaret aliquas haereditates praeter steriles et inutiles, et si in contrarium factum est, praesens generale Capitulum cassat, annullat et revocat.

96. Abbati de Campis bonis committitur per generale Capitulum, quatinus omnes contractus, quos in damnum et praeiudicium monasterii de Mansiade, sine licentia ipsius Capituli aut domini Cisterciensis, vel patris abbatis invenerit esse factos, casset, revocet et annullet.

97. Ad idem de Carraceto, in regnis Castellae et dominiis illustrissimi regis ipsius regni Castellae et Legionis.

98. Abbatibus et personis regularibus Ordinis universi praecipitur, ne a cetero bireta seu birros rubeos, vel ad nimiam rubedinem tendentes, gestare praesumant, nec etiam giberias seu capsellas.

99. Generale Capitulum declarat dominum abbatem de Fossa nova, s. th pr., et in Curia romana procuratorem, virtute electionis de se factae in monasterio Fontis frigidi ius habuisse et habere, et ipsum fuisse et esse verum eiusdem monasterii abba-

tem ; unde fratri Martiali se gerenti pro abbate eiusdem monasterii Fontisfrigidi silentium imponit.

100. Omnes et singulos abbates Ordinis universi, generale Capitulum ad comparendum in generali Capitulo proxime futuro citat et mandat citari per abbates huic praesenti Capitulo existentes et alios, ad quos praesens diffinitio pervenerit.

101. Attenta penuria et paupertate monasterii de Bella pertica in Vasconia, generale Capitulum misericorditer de gratia speciali moderat quottam contributionis eidem monasterio ab antiquo impositam, et usque ab quinquennium ad duodecim florenos astallat.

102. Ad idem pro abbate de Everbaco ad quinquennium pro quindecim florenis, ad duodecim annos pro viginti florenis Capituli.

103. Ad idem pro abbate de Vallibus Sernaii ad quinquennium, pro medietate quottae sibi ab antiquo impositae.

104. Abbatibus de Regali monte, s. th. pr., de Vallibus Sernaii, de Loco regio, de Albis petris et provisori collegii Sancti Bernardi ac omnibus personis Ordinis ad quas praesens diffinitio pervenerit, praesens generale Capitulum dat in mandatis, quatinus a [h] reverendis patribus episcopis Ebroicensi, administratore monasterii de Obesina, et Bethsabesensi, administratore monasterii de Monte petroso, reverenter requirant quottas contributionum monasterii quibus praesunt solvant, et nisi requisiti solverint post 20 dies huiusmodi ab intimatione et requisitione in ipsis monasteriis ponant interdictum.

105. Abbati de Gratia Dei Xantonensis concedit generale Capitulum, quatinus omnes personas regulares sibi subiectas possit ad omnibus peccatis et casibus Capitulo generali reservatis absolvere, et eis poenitentiam salutarem iniungere, quodque possit unum confessorem de Ordine eligere, qui in casibus supradictis eum hac vice possit absolvere.

106. Generale Capitulum compatiens senio et debilitati abbatis de Varennis, ipsum misericorditer excusat a via Capituli generalis, quamdiu vixerit in humanis.

107. Mandatur omnibus abbatibus et personis regularibus ad quos praesens diffinitio pervenerit, quatinus citent seu citet alter eorum abbatem de Lubens ad secundum diem generalis

[h] *hic incip.* P^2.

Capituli proxime futuri, mandatque idem generale Capitulum ne interim idem abbas de Lubens de visitatione aut reformatione quovis modo se intromittat.

108. Generale Capitulum misericorditer dispensat cum abbatibus in praesenti Capitulo non comparentibus, praesupponens quod propter indispositionem temporis ad ipsum generale Capitulum accedere non potuerunt, non habendo propter hoc abbates de Italia citatos excusatos, imo mandat eos citari ad proximum generale Capitulum, soluturos poenas, quas incurrerint non veniendo anno praesenti citati.

109. Abbatibus de Ferraria et de Rivo sicco committitur per generale Capitulum, quatinus se informent de permutatione quorumdam haereditagiorum fienda per abbates de Sancto Prudentio et de Fiterio, et si invenerint eam utilem et fructuosam esse pro dictis monasteriis, auctoritate Capituli generalis ipsam confirment, ratificent et approbent.

110. Contractum inter abbatem et conventum monasterii de Tribus fontibus, et Ioannem Aubert super grangia dicta Lagrantransière cum suis pertinentiis in gravamen et damnum non modicum dicti monasterii, cum in plusquam dimidia parte iusti pretii sit factum, et contra apostolica et Ordinis instituta, praesens generale Capitulum cassat, revocat et annullat, quacumque confirmatione patris abbatis super hoc facta non obstante, dispensando cum omnibus eiusdem monasterii personis, si et in quantum indigent, super iuramento in ista materia praestito.

111. Visitationem et reformationem studii Oxoniensis abbatibus de Wardona et de Furnesio, tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committit, donans eis et cuilibet ipsorum plenam potestatem ac mandatum speciale praefatum Oxoniense collegium visitandi et reformandi, baccalarios quoque tam formatos quam cursores et alios scolares franchisiis, libertatibus, privilegiis et praeminentiis, tam in dicto collegio quam in monasteriis uti et gaudere faciendi, fratribus insuper Ioanni Isoxford, s. th. bac. et Roberto Combe, monasterii de Sibeton monachos, auctoritate Capituli licentiam concedendi ut eorum quilibet celebrare valeat pro vivis et mortuis et pias eorum eleemosinas recipere in utilitatem monasterii convertendas.

112. Abbati de Wardona per generale Capitulum praecipitur, quatinus abbatem de Newham sub censuris Ordinis compellat

ad recipiendum fratrem Ioannem Spore, suum suique monasterii professum in suo monasterio de Newham, ipsumque fratrem sub poena incarcerationis et apostasiae ad residendum in dicto monasterio de Newham, in plenaria Ordinis potestate.

113. Institutionem fratris Ioannis Pomifret, monasterii Rievallis monachi, s. th. pr., in proviseratus collegii Oxoniensis officio cum annuo stipendio centum solidorum anglicanae monetae, per dominum Cistercii factam, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, omnibus et singulis visitatoribus et reformatoribus Ordinis sub poena inobedientiae et excommunicationis inhibendo ne ipsum fratrem Ioannem ab huiusmodi officio, quamdiu regulariter et studiose vixerit, quovismodo amovere praesumant, vel aliter eorum praesumat absque licentia Capituli generalis ; cui insuper fratri Ioanni per idem generale Capitulum conceditur, ut gratia sibi a Sancta Sede apostolica concessa super acceptatione cuiuslibet dignitatis in Ordine, si tamen proprii abbatis ad hoc concurrerit assensus, uti valeat et gaudere.

114. Fratrem Ioannem Willelmum Gumruchestem abbatem monasterii de Wanburnia, Lincolnensis dioecesis, per patrem suum abbatem de Fontibus, s. th. pr., aut ab eodem deputatum et commissum, ad instans generale Capitulum peremptorie et personaliter, sufficienter et iuridice citatum et minime comparentem, generale Capitulum ad instantiam patris abbatis et eius procuratoris declarat contumacem et excommunicatum.

115. Frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis quod in eodem generali Capitulo, anno Domini 1456, die 14 septembris apud Cistercium celebrato facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis : Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum dicti Ordinis, utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant, in Hibernia, tota provincia Cantuariensi et Wallia consistentium, de Wardona et de Cogghesale monasteriorum abbatibus, abbatique de Dublinia cum potestate alium sibi associandi abbatem, aut aliam Ordinis notabilem personam in Wallia, praesens generale Capitulum per immediate sequens novennium, tam coniunctim quam divisim committit, dans et concedens idem Capitulum eisdem coniunctim et divisim omnia et singula monasteria in Hibernia, in praedicta provincia Cantuariensi et Wallia exis-


tentia, visitandi, reformandi, corrigendi, instituendi et destituendi in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, omnia et singula quae in eisdem et quolibet ipsorum videbunt aut invenient esse visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, ita ubi aliquod praedictorum monasteriorum per alterum eorum extiterit visitatum, alius in eodem anno, nisi inevitabilis necessitas aliter exigeret faciendum, non visitet in eodem ; omnes quoque et singulas huiusmodi monasteriorum regulares utriusque sexus personas in foro interiori et exteriori, quotiens opus erit, absolvendi ab omnibus et singulis sententiis, casibus, peccatis et poenis ipsi Capitulo generali reservatis, salutari propter huiusmodi poenitentia iniuncta, necnon dispensandi cum ipsis super irregularitatibus, si quas contraxerint, nisi talis foret irregularitas propter quam Sedes Apostolica merito foret consulenda, eas quoque, si indiguerint, ad instantiam propriorum abbatum aut abbatissarum rehabilitandi ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia et beneficia in Ordine assequenda ; omnes insuper et singulos praedictorum monasteriorum abbates ad certum locum, si necesse fuerit, semel in anno dumtaxat convocandi, de his quae in illo anno in ipsis monasteriis emerserunt, necnon de felici prosperoque eorumdem monasteriorum successu tractaturi, ac etiam praefatorum monasteriorum causas audiendi, examinandi, decidendi et fine debito terminandi. Contributiones praeterea per dicta monasteria Ordini debitas exigendi, levandi et recipiendi, ac ad ipsarum solutionem secundum taxam in rotulo per idem Capitulum super hoc confecto, per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia abbates et officiarios praedictorum monasteriorum cogendi et compellendi, ac in modum, qui sequitur, exponendi, videlicet pro tuitione et defensione privilegiorum et libertatum Ordinis, pro aedificatione collegii Oxoniensis, ac pro expensis illorum, qui ad Capitulum generale apud Cistercium transmittentur ; cessiones denique et resignationes abbatum et abbatissarum cedere vel resignare volentium acceptandi, et resignantibus sive cedentibus de pensionibus rationabilibus providendi, et securitatem faciendi, ipsosque abbates ad mittendum suos scolares ad studia generalia cum debitis provisionibus, secundum Benedicti Papae XII ordinationem, et sub poenis in eadem contentis constringendi, scolares virtuosos et ad proficiendum aptos et dispositos in dictis studiis generalibus reti-

nendi, et ad sibi providendum proprios abbates per censuram ecclesiasticam compellendi, et generaliter omnia et singula agendi, gerendi et exercendi, quod ipsum Capitulum agere, gerere et exercere posset et deberet in praemissis et quolibet praemissorum, invocato ad praemissa, si necesse fuerit, quorumcumque dominorum ac iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore. De omnibus autem quae fecerint in praemissis, de biennio in biennium, vel de triennio in triennium per aliquos abbates vel alias notabiles personas, praefatum Capitulum informare non omittant. Alioquin praesens diffinitio omni efficacia careat et vigore, cassatque praesens Capitulum omnem potestatem quibuscumque abbatibus aliisve personis super praemissis aut aliquo praemissorum a quocumque hactenus factam. Omnibus igitur et singulis praedictorum monasteriorum regularibus personis in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena firmiter dat idem Capitulum in mandatis, quatinus in praemissis, ea tangentibus et dependentibus, ab eisdem praefatis abbatibus tam coniunctim quam divisim, pareant et obediant humiliter et devote. Datum sub sigillo Diffinitorum eiusdem Capituli, anno, die, mense et loco antedictis.

116. Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis, quod nos taxavimus et taxamus per praesentes contributiones monasteriorum infra scriptorum ad summas seu quottas in modum inferius annotatum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, omnibus et singulis abbatibus, cellerariis et bursariis praedictorum monasteriorum, quatinus huiusmodi summas ipsos et quemlibet ipsorum concernentes, integraliter tradant et solvant receptoribus deputatis vel deputandis, quorum quidem monasteriorum nomina et quottae seu taxae sequuntur... *(sic desin. ms.)*.

117. Generale Capitulum dudum editam ratificans et renovans diffinitionem, qua universis abbatibus Ordinis salubriter inhibetur, ne monachis aut conversis suis licentiam inferant ad aliena monasteria transeundi aut profitendi in eisdem, nisi prius ipsi transeuntes aut profiteri volentes de abbate, qui eos recipere debeat, certificati fuerint, et sufficientes abbatibus suis, a quibus recipi volunt, possint super hoc certitudinem exhibere, omnes et singulas licentias taliter transeundi aut profitendi quibuscumque monachis aut conversis datas irritat, cassat et

annullat, mandans et praecipiens omnibus et singulis monachis et conversis Ordinis tales licentias habentibus, quatinus infra unius mensis spatium aut profiteantur, si in Ordine benivolum receptorem invenerint, vel ad propria revertantur monasteria, ibidem Altissimo sua, ut tenentur, vota reddituri. Alioquin tamquam fugitivi puniantur et ubique denuntientur excommunicati. Abbates vero suis monachis vel conversis ultra spatium trium mensium ad querendum et procurandum sibi abbatem, qui eos velit aut valeat recipere, nullatenus dare praesumant absque licentia Capituli generalis. Quicumque vero abbas suis monachis vel conversis licentiam transeundi ad alium Ordinem dederit, cum hoc in praeiudicium et contemptum ipsius Ordinis sit, tamquam libertatum et privilegiorum temerarius impugnator irremissibiliter puniatur.



INDEX

INDICES NOMINUM ET RERUM IN FINE TOTIUS OPERIS PRODIBUNT

IMPRIMERIE J. DUCULOT, GEMBLOUX (BELGIQUE).